UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimae, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

Visual Library

Th. 2592

f. XI
15

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPHEMERIS
ECCLESIASTICA CONCIONATORVM
HOC EST
CONSIDERATIONES METHODICÆ SEV VERITATES PRACTICÆ
EX
VITA DOMINI JESU, SANCTORUMQUE GESTIS IN
Singulos anni dies mira facilitate & solertia distributæ
AB OMNIBVS VERBI DIVINI PRAEDICATORIBVS, SACRORVM
Asceteriorum Magistris & Directoribus, Animarum Pastoribus, sacrisque cœtibus
LEGENDÆ, CONSIDERANDÆ PRÆDICANDÆ
JUXTA QUATUOR ANNI STATIONES QUADRIPARTITÆ
PARS SECVNDA, PARS VERNA
A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis
Authore R. P. JULIANO HAYNEVVE
Societatis JESU Sacerdote
Cum indicibus necessariis.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud JOANNEM BUSÆUM Bibliopolam sub Monocerote, Anno M.DC.LXV
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX VERITATVM IN SINGVLOS DIES.

SECVNDÆ PARTIS.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

De otiosis operariis in vineam missis.

Sicut nemo otiosus in vinea, sic nemo benè operatur, nisi otiosus. 1.

Nullus est labor, nisi sit in vinea Domini, & in vinea Domini nullus est labor. 3

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Qua parte peccator à se timorem Dei excutit, eadem Deus peccatori timorem magis incutit. 4

Multi sunt vocati, pauci verò electi.

Quæ causa est cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis. 5

Aliæ his affines veritates indicantur.

Hac hebdomade inchoatur historia Passionis Domini, à concilio Iudæorum contra Iesum; in eaque pergitur ad illum sermonem, quem peractâ cœnâ Dominus cum Discipulis suis habuit.

FERIA 2. *De consilio Iudæorum contra Dominum, ubi Iudas proditionem suam aperuit.*

Quid nequius, quàm quod excogitavit caro & sanguis? *Eccles.* 17. 10

FERIA 3. *De cœna Paschalis Agni secundùm legem moremque Iudæorum, qui de lege violatâ Christum indesinenter accusabant.*

Voluntatis eiusdem est, nolle afferre scandalum: & sufferre velle, si quando pravè accipitur. 12

FERIA 4. *De lotione pedum.*

Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo Dæmonis humiliabitur. 15

FERIA 5. *De institutione sanctissimi Sacramenti.*

Ingratus est tanti beneficii, qui se tantùm ex parte immolat, se totum immolante Christo. 17

FERIA 6. *De proditione Iudæ manifestata à Christo Domino.*

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. *Cor.* 10. 20

SABBATO. *De contentionne honoris inter Apostolos orta.*

Licet obtineres quod ambis, non esset contendendum: at verò licet contendas, non obtinebis. 22

DOMINICA SEXAGESIMÆ. De parabola seminis seminati in terram, cuius tres partes sunt infructuosæ. Semen est verbum Dei.

Nisi verbum Dei te convertat, tu pervertes verbum Dei. 25

De primo impedimento verbi Dei.

Quæ pœna timenda est in non servato deposito, hæc est timenda in verbo Dei secus viam exposito. 27

De secundo impedimento verbi Dei.

Qui ad tempus credunt, nullo credunt tempore. 29

Qui temporales sunt, nullius sunt temporis. 29

De tertio impedimento Divini verbi.

Inordinatæ solicitudines ita nocivæ sunt, ut illud ipsum Christi verbum, quo dicuntur alia Dei verba suffocare, suffocent. 31

De patientia, quæ ita necessaria est ad ferendum fructum, ut nullus alioquin feratur.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Iob. 6. *Id est*, qui timent laborem in audiendo Dei verbo, incident in majorem: quantoque minus pati voluerint, ut referant fructum, tantò magis patientur ex defectu fructus. 33

Aliæ conformes Evangelio veritates producuntur. 35

Hac hebdomade, de Sermone Domini post cœnam cum discipulis habito, ad eos roborandos in adversis.

FERIA 2. *De futuro Petri lapsu, à Christo Domino prænuntiato.*

Nimia firmitas, infirmitas. 36

FERIA 3. *De cavenda perturbatione animi in adversis.*

Quod Christus semel suis, hoc in omni semper casu, tibi dicit, Non turbetur cor tuum. 37

FERIA 4. *De Christo D. ut est exemplar constantiæ, & via vera ad perfectionem.*

Melius est in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare. S. Aug. 39

FERIA 5. *De charitate simul & constantia conjungendis ad tolerantiam adversitatum.*

Sic charitas & constantia simul junctæ constant, ut nisi sint simul junctæ, non sibi constent. 42

FERIA 6. *De prævidendis adversitatibus.*

Quantùm obest adversitas improvisa, tantùm prævisa prodest. 44

SABBATO. *De oratione in nomine Salvatoris facienda, ad petendum subsidium in adversis.*

Nulla in adversis conquerendi est ratio, aut nulla erit conquerentis oratio. 46

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ. *De cæco illuminato à Christo D. post colloquium de sua passione habitum cum discipulis.*

Cæcutientibus in via perfectionis, lux perfecta Christus patiens. 48

Contra impietatem temporis. Gladium evaginaverunt peccatores.

Quibus armis impietas hoc tempore propugnatur, iisdem expugnatur. 50

Nihil unquam Christiana Religio passa est gravius, quàm quod à Christianis modò patitur. 56

Nonnullæ aliæ designantur consimiles veritates. 60

Hac hebdomade veritates eruentur ex illa oratione, quam Christus D. ad Patrem habuit in cœnaculo, & quæ refertur Ioan. 17. ad præparandos affectus, qui frequentius occurrunt exercendi meditando passionem Domini.

FERIA 2. *De zelo clarificandi Christi Domini.* Clarifica filium tuum.

Scientia sine zelo, arma sine milite: zelus sine scientia, miles sine armis. 61

FERIA 3. *De nostra subjectione sub potestate Christi.* Dedisti ei potestatem omnis carnis.

Quo magis Christo subiicimur, eò magis erigimur. 62

FERIA

FERIA 4. Quæ est Cinerum. *De perfecta imitatione Christi Domini in adimplenda Dei voluntate, sicut ille fideliter eam consummavit*: Opus consummavi.
Non quidquid Christus egit, sed quomodo. 64
Pro Feria Quadragesimali. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.
Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.
Mortificandis concupiscentiis opportuna mortis memoria. 66
Quæ viventi res fuit gratior, hæc fiet morienti gravior. 70
Ut vita mortem ordinat, sic mors vitam. 71
Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.
Magis modò peccant, qui ne boni appareant hominibus, non jejunant; quàm olim tristes hypocritæ, qui ut boni apparerent, jejunabant. 73
FERIA 5. *De cavendo mundo, pro quo Christus non orat.*
Quà latè patet Mundus, nihil est uspiam ita contemnendum & cavendum, quàm quod intus in te uno latet, *Nempe* concupiscentia, quæ facit mundum. 77
Ad Evangelium Feriæ de commendata Centurionis fide, ac sanato eius servo. 79
FERIA 6. *De vera sanctitate, quam suis Christus orat.* Sanctifica eos in veritate.
Qui te à sanctitate acquirenda excusas, ex aliis acquisitis bonis te condemnas. 79
Ad Evangelium Feriæ, De diligendis inimicis, & de justitia nostra non facienda coram hominibus. 82
SABBATO. *De efficaci desiderio & cura salutis per media ordinata, sicut illam desideravit & curavit Christus mediator noster, qui propterea dicebat Patri,* Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, *&c.* 83
Si ordinatis ad salutem mediis non uteris, mediatore Christo abuteris.
Ad Evangelium Feriæ, de discipulis laborantibus in remigando. 85

DOMINICA 1. QVADRAGESIMÆ.

De solitudine, jejunio & tentationibus Domini. De his seorsim, nec non de triplici tentatione, quâ impetitus fuit Christus à dæmone, multa convenienter prodiuntur. 171. *In quibus, quæ contra tentationes maximè generalis & singulariter opportuna est Veritas, declaratur fusiùs.*

Si tentatorem permiseris ingredi, non se permittet egredi.
Facilius excluditur quàm eiicitur. 87
Hac hebdomade de internis Christi doloribus, quos in monte olivarum vehementius ipse in animo suo concitavit.
FERIA 2. *De tristitia Domini.*
Qui cum Christo dolente non dolet, nec cum ipso gaudente gaudet. 89
Ad Evangelium Feriæ de extremo judicio, ac de operibus misericordiæ. 91
FERIA 3. *De timore, anxietate, & agonia Domini.*
Ab imitando Christo excusantis humanâ infirmitatè infirma est & nulla excusatio. 92
Ad Evangelium Feriæ. De Domini ingressu in civitatem & in templum, unde vendentes eiecit. 94
FERIA 4. *De compassione Christi erga homines, & de nostra erga ipsum.*
Frustra te Christi miseret, nisi te tui priùs misereat. 95
Ad Evangelium Feriæ. De scribis petentibus signum è cælo, quibus Ninivitæ opponuntur, &c. 96.
FERIA 5. *De dolore Christi ex perituris & damnandis hominibus, pro quibus frustra passurus erat.*
Quantò te ipsum negligis, quasi non esses cum cæteris perituris, tanto te Christus doluit præ cæteris perituris. 97

Ad Evangelium Feriæ. De Cananæa. 98
FERIA 6. *De confusione Christi propter iniquitatem omnium nostrum quam Deus in eo posuit.*
Quæ in malo bona est confusio, in bono mala. 99
Ad Evangelium Feriæ, De sanato paralytico in piscina. 101
SABBATO. *De dolore contritionis, quem Christus D. sensibilem habuit.*
Vera contritio dolorem sensibilem nec includit nec excludit. 10
Evangelium Feriæ, idem est ac sequentis Dominicæ.

DOMINICA 2. QUADRAGESIMÆ

De Transfiguratione Domini.

Ad præcipuas Evangelii partes applicantur propriæ veritates.
Hæc inter alias ex colloquio Domini cum Moyse & Elia de excessu, quem completurus erat in Ierusalem, fusiùs exponitur.

In die bona, nisi memores mala, non erit dies bona.
Et in die mala, si memores bona, non erit dies mala. 105
Hac hebdomade, quidquid in olivarum horto, dum capitur à Iudæis Dominus, gestum aut dictum fuit, recensetur.
FERIA 2. *Discipulis à somno excitatis, appropinquantem passionis horam & traditorem Christus denuntiat.* Ecce appropinquavit hora. 107
Si dum adest occasio, virtus abest: vix unquam virtus aderit. 108
Ad Evangelium Feriæ. In peccato vestro moriemini.
FERIA 3. *Suavitas & mansuetudo Domini proditorem suum alloquentis.*
Quò quis est mitior, eò est generosior. 110.
Ad Evangelium Feriæ. Super cathedram Moysis sederunt scribæ, &c.
FERIA 4. *Procedit Iesus obviam suis inimicis, eosque prosternit.*
Qui supra mortem est, infra se videt omnia. *Id est*, qui sic paratus est pati & mori, ut Dominus; sic sibi mortem & adversa quæque substernit, sicut ille suos prostravit inimicos. 113
Ad Evangelium Feriæ, de Matre filiorum Zebedæi. 115
FERIA 5. *Gladio se defendi vetat Christus, cùm sit paratus bibere calicem sibi à Patre datum.*
Quo in cælis corona gloriæ sumetur vultu, hoc in terris calix sumendus est. 116
Ad Evangelium Feriæ. De divite Epulone, & de mendico Lazaro. 118
FERIA 6. *Scripturas adimplendas verbo & exemplo docet Christus.*
Si propter scripturas sunt adversa toleranda, sunt libenter toleranda. 119
Ad Evangelium Feriæ. De parabola vineæ locatæ malis agricolis. 120
SABBATO. *Sinit se Christus capi & ligari.*
Sicut ex necessitate virtus, ita ex virtute necessitas. 121
Ad Evangelium Feriæ. De filio prodigo. 123

DOMINICA 3. QUADRAGESIMÆ.

De Christo ejiciente dæmonium.

Post multas ad unamquamque partem Evangelii productas veritates, hæc ad verba Christi,
Qui non est mecum, contra me est, *fusiùs declaratur.*

Quod

Quòd difficillimè credetes, te contra Christum esse; hoc est facillimum creditu, si Christo credis. 124
Hac hebdomade, considerantur quæcunque gesta sunt per totam noctem apud Pontifices, usque ad matutinum diei sequentis, quo Christus ad Pilatum est adductus. 126
FERIA 2. *Christus alapam infligenti mira mansuetudine loquitur.*
Quantùm fas est ira loqui, tantùm ex ira nefas. 127
Ad Evangelium Feriæ. De prima Christi D. prædicatione in civitate Nazareth habita. 128
FERIA 3. *Christus falsò accusatus nihil respondet.*
Qui loquendo vincerétis, silendo vincis. 129
Ad Evangelium Feriæ. De correctione fraterna & remittendis semper iniuriis. 130
FERIA 4. *Christus adjuratus à Caypha, profitetur se filium Dei.*
Qui audaciùs loquitur inferiori, timidiùs Superiori loquetur. 131
Ad Evangelium Feriæ. De laudando corde potius quàm manibus. 133
FERIA 5. *Christus tota nocte apud Pontificem, iniuriis exponitur.*
Cæteræ pugnant virtutes, sola vincit perseverantia. 134
Ad Evangelium Feriæ. De socru petri periclitante, sanata à Christo Domino. 135
FERIA 6. *Christus negantem se Petrum benignè respicit.*
Læsi amoris ira, quò est suavior, eò est potentior. 136
Ad Evangelium Feriæ. De Samaritana. 137
SABBATO. *De Iuda proditore, miserrimè pereunte: & de miro Christi silentio circa huius interitum.*
Qui ruinâ gaudet inimici, ruinam ejus in se trahit. 138
Ad Evangelium Feriæ. De Muliere adultera. 139

DOMINICA 4. QUADRAGESIMÆ.

De quinque panibus multiplicatis, &c.

Multis Evangelii partibus multæ subiiciuntur veritates, quas inter, quòd Christus se volentes Regem facere fugerit; hæc singulariter declaratur.
Qui sectatur honores mundi, quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum. 140
Hac hebdomadè, quidquid Christus D. passus est, ex quo deductus fuit à Iudæis ad Pilatum, usque ad eius condemnationem: ubi de ferendis præsertim opprobriis agitur.
FERIA 2. *Christus Pilato à Iudæis præsentatus & accusatus.*
Qui sibi innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiæ injuriam facit. 142
Ad Evangelium Feriæ. De ejectis è templo venditoribus & nummulariis. 144
FERIA 3. *Christus ab Herode spretus.*
Quem pro Christo sperni pudet, Christi pudet. *ibid.*
Ad Evangelium Feriæ. Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum & docebat. 146
FERIA 4. *Christus Barraba comparatus & postpositus.*
Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine. 147
Ad Evangelium Feriæ. De cæco nato. 149
FERIA 5. *Christus flagellatus.*

Quæ

Quæ duo infidelem à Christo avocant, dolor & ignominia, fidelem ad Christum vocant. ibid.
Ad Evangelium Feriæ. De Adolescente mortuo suscitato in civitate Naim. 151
FERIA 6. *Christus per ludibrium Rex & homo dictus.*
Sic prudenter cavendum, ne vituperetur ministerium tuum; ut si nimis id caves, non satis caveas. ibid.
Ad Evangelium Feriæ. De Lazaro infirmo, mortuo & suscitato. 153
SABBATO. *Christus à Pilato, ex humano respectu, condemnatus ad mortem;*
Humanus respectus, inhumanus Christi despectus. ibid.
Ad Evangelium Feriæ. Ego sum lux mundi, *&c.* 155

DOMINICA PASSIONIS.

VEXILLA REGIS PRODEVNT.

Nemo cum Christo candidus, nisi sit simul rubicundus.
Nemo effectu candidus, nisi sit affectu rubicundus.
Nemo actu satis purus, nisi actum puritatis suo sit paratus tueri sanguine, contra quodvis peccatum. 156
Circa Evangelium (Quis ex vobis arguet me de peccato) *Multæ sunt aliæ veritates.* 158
Hac hebdomade, quidquid à prætorio Pilati usque ad crucifixionem in Calvaria monte gestum est.
FERIA 2. *Christus oblatam à Iudæis crucem accipit.*
Non quæsitæ cruces sunt magis exquisitæ. 159
Huic aliæ quædam subnectuntur.
Et ad Evangelium Feriæ. Quæretis *me & non invenietis,* 160
FERIA 3. *Christus impositam tollit crucem: & depositam finit Simoni post se tollendam.*
Qui sibi suas solus aptat cruces, vix unquam aptas efficiet. 162
Ad Evangelium Feriæ. Dixerunt ad Iesum fratres eius, transi hinc, & vade in Iudæam, &c. 163
FERIA 4. *Christus ad se sequentes & se plangentes conversus, futuras denuntiat pœnas non pœnitentibus.*
Crux interdum quidem à corpore, sed nunquam ab animo deponenda. 164
Ad Evangelium Feriæ. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam, &c. De ovibus Christi. 166
FERIA 5. *Quatuor dimensiones Christi crucis & nostræ.*
Qui à cruce suas tollit dimensiones, tollit à se suam crucem. 167
Ad Evangelium Feriæ, de Muliere peccatrice, seu Magdalena pœnitente. 168
FERIA 6. *Christus cruci affigitur.*
Quod petenti Christo juxta crucem non negasses, hoc à te semper petit, hoc illi semper debes, hoc illi nunquam negandum. 169
Ad Evangelium Feriæ. De Iudæorum consilio contra Dominum: Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo. 171
SABBATO. *Christus in cruce illusus.*
Quod novo negatur homini contra veterem: hoc indulgetur veteri contra novum. 172

Evangelium Feriæ. De celeberrimo illo ingressu Domini in civitatem Ierusalem, De quo jam suprà, & sequenti Dominica commodiùs.

Hac sancta hebdomada, de septem Christi verbis in cruce prolatis, ad perfectam omniũ renuntiationẽ.

DOMINICA PALMARUM. DE ILLUSTRI PALMA & TRIUMPHO, *quem Christus Dominus refert ex inimicis, & qui exprimitur in primo verbo in cruce prolato*, Pater dimitte illis.

Illustrior de inimicis palma est, moti pro eis ne moriantur, quàm ipsis perditis triumphare. 174

Quæ de hodierno ingressu & triumpho Domini possunt alia memorari. 176

Præsertim verò, duo hæc, declarantur expressiùs.

Lachryma, passionis Christi vicaria. 177

Hoc sacrum tempus Crisis est æternitatis. 178

FERIA 2. *De secundo Christi verbo ad Latronem.* Hodie mecum eris in Paradiso. *Et de ea renuntiationis specie, quæ spectat usum suæ potestatis.*

Impietatis genus est, pietatis cultoribus nimis commune, plura, quàm possint, velle facere; & quæ possint, non facere. 182

Ad Evangelium. De cœna in Bethania, Ante sex dies Paschæ, vel quidvis aliud sancto tempori opportunum. 183

FERIA 3. *De tertio Christi verbo.* Ecce filius tuus, Ecce mater tua.

Et de perfecta renuntiatione inordinati affectus erga parentes aut alias personas charas.

Qui nimis suos diligit, non satis diligit. 184

FERIA 4. *De quarto Christi verbo*: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Et de voluntaria renuntiatione cujuslibet sensibilis consolationis.

Beatius est carere omni sensibili consolatione, quàm ea abundare. 186

FERIA 5. *De quinto Christi verbo.* Sitio.

Et de interna renuntiatione desiderii cujuslibet inordinati etiam spiritualis.

Sic pia etiam desideria debent esse ardentia & temperata, ut qua ratione sunt ardentia, eâdem sint & temperata. 188

Quæ plura de desideriis, de cœna Domini, de sanctissimo Sacramento, seu etiam de communione, desiderari possint. 189

FERIA 6. Quæ parasceve dicitur. *De sexto Christo verbo.* Consummatum est.

Et de absoluta consummatione, quæ supersunt in hac vita, ut consummemur cum Christo.

Aut nihil hodie ages, aut sic semper ages. 189

Item ad illa S. Apostoli verba: Qui vivunt, *jam non sibi vivant*: vel, Non *estis vestri, empti enim estis pretio magno.*

Nihil est in vitæ nostræ usu minus nostrum, quàm ipse vitæ usus. 191

Vberiùs verò ad hæc S. Petri. IESVM Nazarenum, *virum approbatum à Deo in vobis, affigentes interemistis. Vel ad ista S. Pauli.* Rursum *crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.*

Gravius est Christo pati à peccato, quàm pro peccato. 196

Vbi tota Dominicæ Passionis series percurritur.

Ad hæc etiam, aut similia: Curramus *ad propositum nobis certamen, aspicientes in Autborem fidei & Consummatorem Iesum.*

Sic est propositum nobis certamen in septem Christi patientis stationibus, ut qui vel unam deserat, totius militiæ sit desertor. 211

SABBATO SANCTO. *De septimo Christi verbo.* Pater *in manus tuas commendo spiritum meum. De descensu ad inferos, de corporis sepultura. Et de postrema renuntiatione, quæ est libertatis.*

Nemo liberior, quàm qui minùs est liber. 217

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Nemo cum Christo mortuus, qui cum ipso non resurgat. 219

Nemo cum Christo resurgit, nisi qui cum ipso sit mortuus. *ibid.*

Hac hebdomade, dotes corporis, seu glorioſa vita Christi atque animæ nostræ simul eum eo resurgentis qualitates proponuntur, indeque veritates practicæ paradoxæque omnes eruuntur.

FERIA 2. *De Immortalitate gloriosæ vitæ Christi, atque animæ cum eo resurgentis.*

In morte immortalitas. 227

Ad Evangelium Feriæ. De duobus peregrinis euntibus in castellum Emmaus. 229

FERIA 3. *De impassibilitate Corporis Christi D. & animæ nostræ simul cum eo resurgentis.*

In patientia impassibilitas. *ibid.*

Ad Evangelium Feriæ, de discipulis congregatis in cœnaculo, quibus apparuit Christus, januis clausis. 231

FERIA 4. *De subtilitate corporis Christi, & animæ nostræ simul cum eo resurgentis.*

In infirmitate virtus, in impotentia potentia, 232

Ad Evangelium Feriæ. De septem discipulis piscantibus. 234

FERIA 5. *De agilitate corporis Christi D. & animæ nostræ cum eo resurgentis.*

In tarditate agilitas. 234

Ad Evangelium Feriæ. De Maria Magdalena quærente Dominum in sepulchro. 236

FERIA 6. *De claritate glorioſi corporis Christi D. & animæ nostræ cum eo resurgentis.*

In tenebris claritas. 236

Ad Evangelium Feriæ. De nobilissima omnium apparitione Domini, facta in monte Galilææ. 238

SABBATO. *De plagis in corpore Christi reservatis ad perpetuam memoriam.*

In oblivione memoria, 238

Ad Evangelium Feriæ. De Petro & Ioanne currentibus ad sepulchrum. 240

DOMINICA IN ALBIS.

De iisdem Christi D. plagis ad remedium infirmitatum nostrarum reservatis.

In plagis sanitas. *ibid.*

De iisdem rursus plagis, ad hæc Prophetæ verba; Haurietis *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Quantò est de peccato major tristitia, tantò est peccatori majus gaudium de fontibus Salvatoris. 242

Ad hæc verba Epistolæ, quæ hoc die legitur. Hæc *est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

Quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere; tanta modò est ignominia, vinci à mundo. 244

Ad

Ad hæc verba, quæ ex S. Petro usurpat Ecclesia. Quasi *modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo.*
Infantes esse oportet vel bonâ vel malâ infantiâ. 247
Hac hebdomade & tribus sequentibus, Charitatis proprietates, quæ ab Apostolo referuntur, sic ad mysteria sive apparitiones Christi resurgentis revocantur, ut his certissimis notis vera Charitas discerni possit ab amore proprio, seu zelo falso & adumbrato.
FERIA 2. *Apparet Christus D. Beatissimæ Virgini Matri, in quâ item apparet prima Charitatis proprietas:* Charitas patiens est. (charitatem. 250
Quàm verè Charitas includit in se patientiam, tam verè impatiens excludit à se
FERIA 3. *Apparet Christus Mariæ Magdalenæ, ubi & apparet secunda Charitatis proprietas:* Charitas benigna est.
Si quid Charitas negat, tam benigna negando est, quàm concedendo. 252
FERIA 4. *Apparet Christus aliis mulieribus & alium suæ benignæ charitatis effectum illis confert*
Sæpe videtur in nobis esse Charitas, & est magis carnalitas. *ibid.*
FERIA 5. *Antequam Christus appareat omnibus discipulis suis, in his apparet, quòd* Charitas non æmulatur.
Quicquid acquiras æmulando, plus perdis quàm acquiras. 256
FERIA 6. *Duo ex discipulis Petrus & Ioannes currentes ad sepulchrum ostendunt Charitatem,* Quæ non agit perperam. *Id est, inordinatè.*
Minima quævis inordinatio cordis immundi, major est maximâ quavis inordinatione hujus mundi. 258
SABBATO. *Apparet Christus seorsim Petro & Iacobo: & in his duobus Apostolis apparet charitas,* Quæ non inflatur.
Humilitati tuendæ tutius est vix de se, quàm vel humiliter loqui. 260

DOMINICA 2. POST PASCHA.

EGO SVM PASTOR BONVS.

ANIMAM MEAM PONO PRO OVIBUS MEIS.

Nihil æstimatione speculativa pretiosius anima nostra: sed practicâ nihil vilius 262
Hac hebdomada, dum apparet Christus D. duobus discipulis peregrinantibus, apparet Charitas, Quæ non est ambitiosa.
FERIA 2. *Christus apparens peregrinus in habitu peregrini, ostendere incipit Charitatem minimè ambitiosam.*
Sicut vinum novum, sic novus honor maximè temperandus. 265
FERIA 3. *De familiari colloquio Christi D. cum peregrinis.*
Hic ascendit ad summos, qui descendit ad infimos. 267
FERIA 4. *Christus de opprobriis suæ passionis libenter audit & loquitur.*
Quæ sunt ambitioso detrimenta, hæc sunt humili lucra. 269
FERIA 5. *Christus scripturas, quæ de ipso erant, peregrinis interpretatur.*
Quo gressu Charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem. 271
FERIA 6. *Christo loquente peregrinis, inardescunt eorum corda.*
Colloquendo de divinis, quanto magis luces quàm ardes, tantò minùs in te divina lucet charitas. 273
SABBATO. *Christus Dominus rogantibus se peregrinis ut secum maneat, acquiescit.* (275
In dubio certius est, & rationi conformius, aliorsum rationi te conformare quàm propriæ.

DOMINICA 3. POST PASCHA. De tristitia & gaudio Apostolorum, ex absentia & presentia Domini.

Tres præcipuæ distinguuntur Evangelii partes, ad quas hæ distinctæ referuntur veritates. Modicum *& iam non videbitis me.*

Nihil tam modicè creditur quàm modicum vitæ tempus, cum nil tamen sit tam credibile. 277

Tale est pretium hujus modicæ vitæ, ut quantò majoris vitam hanc æstimes, tantò minoris facias illius pretium. 281

Ex modico illo, quo vivis tempore, plus etiam vitæ perdis quàm vivas. 282

Amen dico vobis quia plorabitis & flebitis vos: Mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Vt fur de furto, sic mundus de mundo gaudet. 285

Non te contristes contristatus, & ipsa tua tristitia jam vertetur in gaudium. 286

Quæ à Christo est tristitia, magis jucunda est, quàm quæ à mundo jucunditas. 288

Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

De Christo nos vidente plus esse debet gaudii, quàm de nobis Christū videntibus. 289

Quantò felicius est illud gaudium, quod nemo à te potest tollere, tantò tu infelicior, qui hoc à te tollis. 290

FERIA 2. *Christo Domino apparente discipulis simul congregatis, apparet charitas,* Quæ *non quærit, quæ sua sunt.*

Charitas non quærendo sua, meliùs invenit, quàm si quæreret tantò ditior, quanto pauperior. 291

FERIA 3. *Apparet iterum Christus discipulis simul congregatis, præsente Thoma, simulque apparet charitas,* Quæ *non irritatur.*

(iracaris. 294.

Esto appareant aliquæ irascendi causæ, multò tamen plures sunt & validiores, ne

FERIA 4. *Apparet Christus septem discipulis de nocte piscantibus, ubi & apparet charitas,* Quæ *non cogitat malum.*

Si charitas cogitaret malum, malum de charitate cogitari posset. 298

FERIA 5. *Christus D. Petro suas pascendas oves concredit, simulque demonstrat charitatem,* Quæ *non gaudet super iniquitate.*

Gaudere super iniquitate, plerumq; est iniquius, quàm ipsā iniquitatē cōmittere. 301

FERIA 6. *Christus D. mittens suos in universum mundum, & promittens se miraculis confirmaturum, quæ prædicarent, ostendit charitatem,* Quæ *congaudet veritati.*

Aut amandus tui contemptus, & te contemnenti congaudendum, aut non amanda charitas, Quæ congaudet veritati. 303

SABATO. *De miraculis spiritualibus quæ Charitas Domini quotidie operatur, ut ostendat se congaudere veritati.*

(cato liberare possessos. 305.

Sapienter ille, qui maluit liber peccato possideri à dæmone, quàm vel levi cum pec-

DOMINICA 4. POST PASCHA. De necessario Christi discessu, & in eius vicem venturo Spiritu sancto, qui mundum arguat de peccato.

Vado ad eum, qui misit me.
Sicut à Deo, sic ad Deum. 308
Cui veritati multæ affines adjunguntur. 309
Expedit vobis ut ego vadam.
Duæ iam alibi propositæ veritates huc referuntur. 310
Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos.
Inordinata quævis affectio, licet parum sit mala, non est tamen parvum malum. 310
Huic multæ conformes aliæ producuntur. 312
Nec non ad illa, quæ ibidem declarantur: Cum *venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de Iudicio.* 312
FER. 2. *Apparet quingẽtis Dominus in mõte Galilææ, ubi & apparet Charitas,* Quæ *omnia credit.*
Non est prius intelligendum, ut credas: sed primo credendũ est, ut post intelligas. 313
FERIA 3, *De potestate, quam sibi Christus datam dicit, unde est illa charitas,* Quæ *omnia sperat.*
Vera fiducia confidenti nunquam infida.
FERIA 4. *De integra observatione mandatorum, quam Christus suis commendat, & de illa Charitate, quæ idcirco* omnia *suffert & omnia sustinet.* 315
Aut nulla, aut tota est Charitas in agendis, sicut fides in credendis. 318
FERIA 5. *De charitate, quæ non excidit, & quæ apparet in Christo remanente nobiscum, sicut promisit:* Ecce *ego vobiscum sum.*
Melius erat viam Justitiæ non introisse, quàm retroisse. 321
FERIA 6 *De eadem charitate Christi Domini, quâ nobiscum semper manet in SS. Sacramento.*
Quàm gloriosum est Sacramento, multa in nos posse, si velimus: tam ignominiosum est pauca posse, quod nolimus. 323
SABBATO. *De eadẽ charitate Christi, quâ cõstanter nobiscũ manet per superiores & directores.*
Quasi peccatũ ariolãdi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. 226

DOMINICA 5. POST PASCHA. De orationis efficacia, frequentia, & aliis proprietatibus.

Si quid *petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*
Ne dicas te petere in nomine Domini, aut ne dicas te nihil obtinere. 328
Plures huic annectuntur Veritates. 330
Quàm verè autem unusquisque sibi possit illud Christi applicare. Vsque modo non petistis quidquam, *patet ex ipsa Oratione Dominica, cuius septem petitionibus cùm septem opponantur vitia, quæ dicuntur Capitalia, nisi ea quisque reprimat, nihil petit: quod sic paucis expressum fusè declaratur.*
Qui sibi non contradicit in suis malis desideriis, sibi contradicit in bonis. 331
Hac hebdomade, conformes mysterio Ascensionis Domini considerationes & veritates ex primo capite Actuum Apostolorum eruuntur, atque his velut stimulis & motivis excitantur corda nostra, VT QVÆ sursum sunt, quarant & sapiant, ubi Christus est in dextera Dei sedens.
FERIA 2. INROGATIONIBVS. *De primo motivo cælestis desiderii, quod in cœlo nobis promissum sit Regnum Dei, de quo Christus cum discipulis loquebatur.*
Quantam in te vim habet desiderium Regni Cælestis, tantam tibi vim facies. 334
Ad Evangelium de Rogationibus, multa proponuntur, quæ singulis tridui Feriis possint deservire, & his tribus Evangelicis verbis accommodari, Petite, *quærite, pulsate.* 336
FERIA 3. *De secundo motivo exeundi in cælum desiderii: quod ibi omnia nostra desideria compleantur.*

Qua ratione terrena tantùm & non cælestia desideras, eadem necesse est, ut cælestia tantùm & non terrena desideres. 337

FERIA 4. QVÆ EST VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI. *De tertio motivo desiderii sursum ferendi, quod illuc suspirare nos faciat, qui in nobis habitat, Spiritus sanctus.*

Lachrymarũ descẽsus, ascẽsus est: quo est descẽsus celerior, eo & ascẽsus velocior. 340

FERIA 5. ASCENSIO DOMINI. *De quarto motivo cælestis desiderii, quòd Christus in cælum ascenderit, ibique regnet.*

Nemo veriùs ascendentis Christi Mysterium assequitur, quàm qui veriori desiderio ascendentem Christum sequitur. 342

Huic roborandæ veritati sequens adjungitur.

Tanti cuiusque refert se à terra retrahere, quanti ad cælum trahi. 344

Referuntur & aliæ multæ conformes, quarum quæ postrema est, fusè declaratur;

Ex his Apostoli verbis: Videte *ne recusetis loquentem.*

Sedentem in cælo Christum, & inde nobis loquentem non audire, periculosius est, quàm dum in terris loqueretur. 346

FERIA 6. *De quinto motivo excitandi in cælum desiderii, quòd tam justè debitum sit hoc desiderium, ut injusti simus & indigni cælo consequendo, nisi cælum desideremus.*

Sic dignum est cælum nostris desideriis, ut nisi cælum desideres, cælo sis indignus. 350

SABBATO. *De sexto motivo acuendi in cælum desiderii: quod inde gaudium spirituale redundet.*

Spes cæli, cælum est. 352

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS. Cum venerit paraclitus, &c. De Adventu sancti spiritus, & de adversis tolerandis multa congeruntur.

Explicatur verò latiùs, quæ est huius loci maximè propria veritas.

Vel nulla Christi recoletur memoria, vel nulla erit in eius cultu querimonia. 357

Hac hebdomade, quæ in Actis Apostolorum narrantur fecisse discipuli Domini, dum ab eius Ascensione ad Pentecosten expectarent Spiritum sanctum, referuntur ad sex virtutes seu veritates, quæ nos ad eundem plenius recipiendum disponant.

FERIA 2. *De continuata per decem dies recollectione Apostolorum: Et de nostra instituendâ, ad recipiendum cum eis Spiritum sanctum.*

Nulli magis necessariò secedendum, quàm qui minùs necessariũ sibi putat secessũ. 358

FERIA 3. *De moderanda cura nostri officii, ad Exemplum principis Apostolorum sancti Petri.*

Sic internis externa sunt temperanda, ut neutrum eorum importunè, & utrumque opportunè sibi cedat. 361

FERIA 4. *De perfecta obedientia quam cæteri omnes congregati S. Petro præstiterunt: & de nostra reddenda superioribus.*

Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ. 364

FERIA 5. *De unanimi consensu discipulorum in Electione duodecimi Apostoli: Et de nostro similiter procurando.*

Qui sensu suo privato saniorem se aliis putat, sano se privat sensu. 366

FERIA 6. *De ferventi oratione discipulorum: & de nostra consimili ad petendum lumẽ in dubiis.*

Erranti in dubiis & non oranti, nulla est erroris excusatio. 308

SABBATO. IN VIGILIA PENTECOSTES. *De perfecta discipulorum, & nostra resignatione, ad recipiendum Spiritum sanctum.*

Nemo

Nemo paratior ad omnia Dei dona recipienda, quàm qui ad nulla sibi danda, æquè paratus est. 370

Hac sequenti hebdomada, sic pergitur in historia Actuum Apostolorum, ut inde diebus singulis manifestetur unum è septem spiritus sancti donis, cui sua conformetur veritas.

DOMINICA PENTECOSTES. De missione Spiritus sancti, & de dono Sapientiæ.

Humana sapientia sic divinæ opponitur, sicut humanæ stultitia. 373

Eodem die, in illud Apostoli. Nolite *contristare Spiritum sanctum Dei.*

Quod nos magis lætificat, hoc magis contristat Spiritum sanctum. 375

Item. De peccato in Spiritum sanctum.

Peccati contra Spiritum sanctum malignitas sic est singularis, ut multis tamen peccatoribus jam sit communis. 377

Qui peccant in Spiritum sanctum, vix peccant, quin blasphement. 381

His adjunguntur alia, quæ generatim spectant Spiritum sanctum. 383

FERIA 2. *De prima prædicatione S. Petri ad Iudæos: & de dono intellectus.*

Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui. 384

FERIA 3. *De primo vivendi genere nascentis Ecclesiæ, & de dono scientiæ.*

Qui eminentior est in hac eminenti scientia, minùs inter homines eminere cupit. 386

FERIA 4. *De primo miraculo, quod refertur ab Apostolis factum, & de dono consilii.*

Qui cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum sed Deo consulit. 388

Non à Deo consilium petere, sed Deo dare velle videtur.

FERIA 5. *De prima persecutione Apostolorum, & de dono fortitudinis.*

Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis. 391

FERIA 6. *De prima oratione publica Ecclesiæ, & de dono pietatis.*

Sicut pietas valet ad omnia, sic omnia valent ad pietatem. 393

SABBATO. *De prima, qua refertur in Ecclesia, perpetrata culpa, sequentique pœna: & de dono timoris.*

Amori potius ab amore timendum est, quam à timore. 396

DIE 24. FEBRUARII. *De sancto Matthia Apostolo.*

Sicut in manu Domini, sors nostra est: sic in sorte nostra manus est Domini. 399

DIE 19. MARTII. *De sancto Ioseph. In 1. parte.*

DIE 20. MARTII. *De S. Ioachimo Patre B. Virginis.*

Affinitas sanctitatis cum B. Virgine magis æstimanda, quam sanguinis. 401

DIE 21. MARTII. *De S. Benedicto.* Inter *benedictos benedicetur.* Eccl. 24.

Inter benedictos benedicetur, nō cui meliùs omnia, sed qui ex omnibus melior. 404

DIE 25. MARTII. *In Festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis.* Missus *est Angelus Gabriel à Deo, &c.*

Sui quisque cultus ac pietatis in B. Virginem sæpe fidem facit majorem, in parvis quàm in magnis. 406

Ave gratia plena.

Quod cuique magis ex Virgine Matre proponi debet, est eius sanctitas: non quam sit sancta, sed quam tota sit sancta. 409

Ecce concipies in utero, & paries filium.
Non tam sibi quam nobis, Christus elegit Matrem. 415
Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco!
Frustra Beatam Virginem oras, si non quæris sicut illa, quod ignoras. 417
Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.
Qui dicunt se non posse quod jubentur, non possunt id dicere sine injuria Virginis Matris.
Ecce ancilla Domini, &c. 419
Talis superbi fastus est, ut ne quidem Matrem Dei veneretur. 422
Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium; & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Iacob inhabita. Eccles. 24.
Qui præcepit & dixit B. Virgini, ut inhabitaret in Iacob, tibi simul præcepit & dixit, ut quantùm velles illam in te inhabitare, tantùm esse velles alter Iacob. 426
DIE 2. APRILIS. *De S. Francisco de Paulo.*
Hic erit verè maximus, qui verè est minimus. 428
DIE 25. APRILIS. *De S. Marco Evangelista.* Qui *similis factus est Leoni in operibus suis.*
Fortitudo est animi nõ vinci à bonis blãdientibus, quã ipsa vincere mala terrentia. 430
DIE 1. MAII. *De sanctis Philippo & Iacob Apostolis.* Tanto *tempore vobiscum sum, & non cognovistis me.*
Si tempus respicis comparandæ tibi virtutis, vix ullam tibi comparatam respicies. 432
DIE 3. MAII. *Inventio sanctæ Crucis.*
Si quid fortè asperius inveniatur, de quo conquereris, de inventa cruce conquereris.
Inventæ cruci tantùm quis detrahit, quantùm in pœnis murmurat. 435
Considerationes & Veritates communes omnibus statibus. Prima consideratio. *Non sine Deo statum esse deligendum.*
Præcipitatio animi in statu vitæ deligendo, præcipitium est animæ. 437 (tione.
SECVNDA CONSIDERATIO. *De non differenda status seu vocationis cognitæ accepta-*
Non evitat præcipitium sed mutat, qui ne nimis sit præceps, nimis est lentus. 439
TERTIA CONSIDERATIO. *Quo die suscipitur administratio status, ut perfectè secundum Deum expleatur. Vel, quocunque die de officio ritè administrando cogitetur.*
Sicut à Domino quærendum est officium: ita in officio quærendus est Dominus. 442
QVARTA CONSIDERATIO. *De ordinando statu, si forte sit inordinatus.*
Revocanti hominem Deo ab errore viæ suæ non obsequi, pejus est, quam primò vocantem ne erraret, non sequi. 444
QVINTA CONSIDERATIO. *Quo die Pontifex consecratur.* (cratos. 446
Dum consecratur Pontifex, sic affectus esse debet, ut omnes affectus habeat consecSEXTA CONSIDERATIO. *Quo die sacri suscipiuntur Ordines.*
In qua sanctitate Ordinandus debet esse, debet Ordinatus semper esse. 449
SEPTIMA CONSIDERATIO. *Quo die primum celebratur Sacrum.* 451
Sacerdos sic cum Christo sacrificet, ut sit ipse sicut Christus sacrificans & sacrificium.
OCTAVA CONSIDERATIO. *Quo die Religiosus sumitur habitus.*
Non est in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde. 453

DOMINICA

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

DE OTIOSIS OPERARIIS IN VINEAM MISSIS.

Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. Matth. 20.

VERITAS PRACTICA.

Sicut nemo otiosus operatur in vinea; sic nemo bene operatur nisi otiosus.

RATIO quoad postremam partem, quæ sola difficultatem habet, hæc est, quòd nemo bene operetur nisi considerate operetur.
Sed nemo considerate operatur nisi otiosus.
Ergo nec bene; ac propterea, quàm diligenter Operario malum otium est vitandum: tam bonum est illi procurandum.

I. PUNCTUM.

SIMILE *est regnum cœlorum homini Patri-familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Vide reliquum parabolæ; & ex multis interpretationibus vineæ, applica tibi illam, quæ statui tuo magis conveniet, ut in eo discas fructuosùs operari. Quæcunque enim interpretationes afferantur, sive Ecclesiam intelligas, sive Clericalem statum, sive Institutum religiosum, sive Sacerdotale ministerium, sive Concionandi aut Confessiones audiendi Munus, sive Officii cujuslibet administrationem, sive animæ propriæ salutem & perfectionem, sive aliquam familiæ aut proximorum curam, aut quidquid demum simile interpreteris, eò tandem referri potest Parabola & similitudo vineæ, ut sicut ad fructum colligendum aut mercedem promerendam, necessario colenda est vinea, & labor impendendus: ita in illa certa vocatione tua, aut illo tuo munere, tibi est fideliter laborandū. Tua hæc est colenda vinea, aut potius tua hæc est pars & portio vineæ Domini excolendæ. Sic te cogitare debes singulariter vocatum & missum à Deo in hanc tui officii partem & sortem, sicut Operarium à Patre-familias in vineam suam; cui proinde laboris impensi rationem reddas, & à quo recipias operæ bene positæ justum & condignum præmium. O quale præmium tantillæ operæ!

Sicut verò cavendum est illud malum otium, quod labori necessario directè opponitur; ita planè aliud, quod laborem valde juvat & promovet, est procurandum. Atque hinc orta est Veritas plurimùm expendenda. *Vt sicut nemo otiosus operatur in vinea: sic nemo bene operetur nisi otiosus, bono illo videlicet otio, quod est magnum negotium.* Ratio perfacilis; Nemo enim bene operatur, nisi considerate operetur, id est, nisi agendo præ videat, & præordinet, quidquid habet agendum, prout apertè monet Sapiens: *Cor boni consilii statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo! In omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera tua verbum veræ præcedat te.* Id est recta rei agendæ notio, *& ante omnè actum tuum, Consilium stabile.* Ecclesi. 37.
Item-que in Proverbiis; *Oculi tui recta videant, & palpebræ tua præcedant gressus tuos, dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.* Prov. 4.
Et rursum: *Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendet.* Ibid. 19.

Hæc scientia animæ ipsa est Consideratio, ut fusè S. Bernardus, scriptis de hoc argu- Lib. 1. de Cōsid. c. 7.

mento quinque libris ad Eugenium Papam; unde sunt illa Propositioni nostræ aptissima: *Quid tam ad omnia valens, quàm quæ ipsius actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda sunt. Necessariò sanè ne fortè ea, quæ & prævisa & præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magis periculo fiant. Et primum quidem, ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, purificat Consideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat: postremò divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut in mente nihil resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est.*

Satinne patet ex istis quantùm Consideratio valeat ad rectè operandum: & quòd nemo bene alioquin operetur, nisi consideratè, seu nisi considerationem præmiserit operi, tamquam faceni in tenebris operanti? Itáne verò tibi prospicis? itáne agenda prævides?

II. PUNCTUM.

SED nemo consideratè operatur, nisi otiosus.

Id est, nisi ante per otium, quâ secũ meditando, quâ cum aliis consulendo, considerationem adhibuerit, quæ ad rectè operandum est necessaria. Hoc est otium, quod à *S. Greg. Nazian.* Viris magnis dicitur *magnum negotium*, quo scilicet negotia diligenti & attenta consideratione, nec non singulari cum Deo communicatione priùs expenduntur, quàm expediãtur. Tum quisquis ita sibi vacat, numquam minùs est otiosus, quã cùm otiosus: sic enim vel ante opus præcogitando quid & quomodo fieri debeat, rationem quodammodo suis impertit operibus: vel post opus recogitando, quid actum sit, ex ipso suo opere rationem elicit & disciplinam, quâ illud ipsum opus *Prov. 24.* alias perfectiùs operetur. Sic aptè sanctus Gregorius explicando illud Sapientis: *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum* 10. *Mor.* 16. *tuum, ut postea ædifices domum tuam. SVNT nãnulla*, inquit, *cogitationis acumina, quæ ex operatione nascuntur; sicut ab animo opus sumitur, ita ab opere animus eruditur. Mens imperat bona, quæ fiant; sed postquã fieri imperata cæperint, ipsa suis exercitata actionibus discit, cùm imperare bona inchoaverat, quantum minus videbat.*

Ad hæc autem quis non videt opus esse otio, sive ut singula diligentius pertractentur, sive ut intricata explicentur, sive ut difficilia explanentur, *sive ut obscura & incerta illustrẽ-* *Luc. 14.* *tur? Quò illud Christi Domini referas; Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens cogitat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficerè, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes; quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare.* Nonne tu sic aliquando te illudendum præbuisti? Nonne sic sæpe inchoasti, quæ non perfecisti? Nonne sic idcirco non perfecisti, quia non sedens & otiosè cogitaveras sumptus, qui erant necessarii ad perficiendum?

III. PUNCTUM.

SICVT ergo nemo otiosus operatur in vinea, ita nemo bene operatur nisi otiosus: Quia nemo bene operatur nisi consideratè, & nemo consideratè nisi otiosus, nisi in otio, nisi in secessu, nisi in oratione, nisi cum Deo, à quo est omnis rerum agendarum intelligentia, *& illa* *bonorum directrix operum Sapientia, quam Sa-* *Sap. 9.* *piens tantopere expetebat: Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, & sciam, quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus sobriè, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea.* Quasi diceret, nec aliter erunt accepta: sic enim antè præmiserat; *Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Hæc *Iob. 8.* autem Sapientia *trahitur de occultis*, ut est in libro Iob; id est, non in publico, non in foro; non in ipso externo opere nisi priùs in recessu, in occulta Commoratione, & intima meditandi cura. *Vacate & videte. STATVE tibi* *Psal. 45.* *speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum* *Ierem. 31.* *in viam rectam. Vsquequo delicijs dissolveris filia* *Eccles. 39.* *vaga? Sapientia scriba*, inquit Sapiens, *in tem-* *Ibid. 51.* *pore vacuitatis, & qui minoratur actu, Sapientiam percipiet.* Ibidémque aptissimè; *Operamini opus vestrum ante tempus, id est, ante ipsum*

opus

opus cogitate de opere, & dabit vobis mercedem in tempore suo.

1. *Offic.* 6. Sic gravitet & luculentè sanctus Ambrosius. *Ne quid turpe atque indecorum sentiamus, duo hæc, id est, & tempus & diligentiam ad considerationem rerum, examinandi gratia conferre debemus.* Vide quàm parum hæc duo conferas, & audi sanctum Bernardum. *Audi, quid redarguam, quid suadeam: si quod vivis & sapis, totum das actioni, considerationi nihil; laudo te, in hoc non laudo: puto, quod & nemo qui à Salomone audierit,* Qui minoratur *actu, pereipiet sapientiam*: & quæ plura ibi habet. Itémque paulò pòst egregiè, *ut in operando considerationem serves, sume,* inquit, *exemplum de summo omnium Patre, Verbum suum emittente & retinente. Verbum tuum, consideratio tua; quæ si procedit, non recedat; sic progrediatur, ut non egrediatur; sic exeat, ut non deserat.*

1. *de Consid.* 5.

2. *de Consid.* 3.

O te inconsultum & inconsideratum, qui nec antè, nec in ipso tibi attendas opere; hic te iterum plange, hic dole & geme, quod est in Canticis: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. EGO loci hujus occasione me ipsum reprehendere soleo,* inquit idem sanctus Bernardus, *quòd animarum susceperim curam, qui meam non sufficerem custodire. Quibus ergo lachrymis rigabo sterilitatem vineæ meæ: omnes palmites ejus aruerunt præ inopia. Iacent sine fructu, eo quod non habeant humorem,* id est, otiosæ considerationis affectum & effectum. Propone tibi praxim, quam diligentius servos cum gratia.

Cant. 1.

Serm. 30. *in Cant.*

EODEM DIE,

IN EADEM VERBA:

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Nullus est labor nisi sit in vinea Domini: Et in vinea Domini nullus est labor.

SENSVS & Ratio est, quia cùm labor in vinea Domini sit ille omnis labor, qui rectè & secundum Deum ordinatus est, in quacunque tandem vocatione suscipiatur, profectò si quis sit alius labor non sic rectè ordinatus, nullus censeri debet, quia erit infructuosus, inutilis & vanus labor. Et labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

Sap. 5.

Sed ille tamen labor, qui rectè & secundum Deum ordinatur, est tam facilis & amabilis, ut pene nullus sentiatur. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.

Eccles. 51.

Ergo nullus est labor, nisi sit in vinea Domini; Et in vinea Domini nullus est labor.

QUæ quidem Veritas attentè considerata, hunc habet inter alios fructum, ut relicto labore inutili, fructuosus suscipiatur. Et cùm laboris utilitas & inutilitas à rectè ordinato fine pendeat, curandum est, ut rectè semper ille ordinetur finis, quemadmodum in prima parte generatim demonstratur. Vide ibi Verbo *finis, Intentio, Labor.* Particulatim verò prima Propositio satis fusè probatur, Sabbato Dominicæ secundæ post Epiphaniam.

Secunda item Propositio declaratur in hac secunda parte, Dominica infra Octavas Ascensionis: Et alibi satis frequenter. Vide Verbo *Difficultas, Labor, Christus, amor.*

EODEM DIE,

AD HÆC EVANGELICI PATRISFAMILIAS VERBA:

An oculus tuus nequam est, quia Ego bonus sum? Matth. 20.

VERITAS PRACTICA.

Qua parte Peccator à se timorem Dei excutit; eadem Deus peccatori timorem magis incutit.

RATIO EST, Quia peccator ea parte magis à se timorem Dei excutit, quod bonus sit Deus.
Eccle.8. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.
Sed ex illa parte, seu ex illo nomine, Deus peccatori timorem magis incutit.

NAm primò hinc Peccator arguitur, quod abutatur Bonitate divina, & quod ille abusus majorem denotet malitiam, & ingratitudinem, atque ex consequenti graviores
Eccles.5. accersat pœnas. *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Vide locum valde hic aptum, & ibidem Capite decimo sexto ubi præcipuè perpendēda sunt Verba, quæ Justitiam Divinam eò severiorem dicunt, quò major præcesserit misericordia. *Sicut qui paulatim arcum intendit,* inquit sanctus Hieronymus, *tempus dat alteri, ut fugiat, qui si fugere nolit, tanto fortius sagitta emissa configitur; quanto majori tempore intensio arcus fuit facta: Sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, Tarditatem supplicii gravitate compensat.*

Deinde verò Peccator abutitur voce Bonitatis in pravū sensum, quasi Deus sit hoc sensu bonus, ut peccatis indulgeat, nec ita moveatur ad pœnam inferendam, sicut timidi sibi persuadēt. Quod certè dum Peccator cogitat, non levem Deo facit injuriam, nec leviter divinam accendit iram. *Existimasti iniquè, quod ero tui similis: arguam te & statuam contra faciem tuā. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deū:*
Ps. 9. *nequando rapiat, & non sit qui eripiat. PROPTER quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret* Quasi diceret, longè est alia mens Dei, qui quanto magis est bonus, tanto magis malitiam detestatur & punit: ac nihil est, quod illum magis provocet ad puniendum, quàm si quis sibi forte impunitatē promittat. Nā cùm sciat inde audaciores fieri peccatores, hanc ut audaciam coerceat, timoremque oppositū incutiat, tum maximè pœnas exposcit à peccatore, qui minus eas timet:
4. Reg. 21. *Vt quicunq; audierit, tinniant amba aures eius.*

O QVAM bonus & suavis est Domine spiritus tuus, ait Sapientia, sed quid inde infert? *Ideoque eos, qui exerrant, corripis & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Hoc est scilicet esse bonū, exerrantes corripere. Unde qui aliter sentit de bonitate, suo illam damno correptionem sentiet, & correptus non corrigetur. Sap. 12.

Denique, licet nullas à Deo cogitaremus immitti pœnas, & Bonitatem ejus interpretaremur solam Beneficentiam, hac etiā parte timorem Deus magis incuteret. Nam quo esset beneficentior, majora bona conferret, cùm verò, *Nihil sit melius quàm timor Dei, & nihil* Eccles.23 *dulcius quàm respicere in mandatis Domini,* ut ait expressè Sapiens, profectò vel nō esset bonus Deus, vel Timor nō esset melius bonum, vel illud daret Deus. Unde idem aptè Sapiens: *Quàm magnus qui invenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum. Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. Qui tenet illum, cui assimilabitur?* Ibid. 25.

Undè tandem concluditur, quod longè à vero & bono peccator errat, quādo minus timet Deum, quia bonus est Deus: & quā verè sit dictum, *Quâ parte peccator à se timorem Dei excutit, eādem Deus peccatori timorem incutiat.* Nam si peccator idcirco bonum esse Deum interpretetur, quia non infligit malum, errat, & hoc ipso magis illi Deus infliget, ut hoc errore sanetur: aut si bonum hoc sensu intelligat, quasi benefaciat: non minus errat excutiendo à se timorem, cùm nulla re magis benefaciat Deus, quam donando timorem Dei, unde aptè David: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ,* qui videlicet illud negant, quod astruunt: & quod negant, affirmant; quod volunt nolunt, & quod nolunt volunt. Qui dicunt Deum sibi valde benevolū & beneficentissimū: & tamen nolunt ejus beneficentiā, quā nulla major est quàm timor Domini. *Multa bona habebimus, si timuerimus* Tob. 4. *Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Psal.118.

Vide in 1. parte Feriam 3. Dominicæ 4. post Epiph. In hac secunda, Sabbatum post Pentecosten: In 3. parte Dominicam nonam post Pentecosten. In quarta, Feriam secundam & tertiam post Dominicam decimam octavam, ubi hæc Parabola rursum proponitur. Vide & Verbo *Timor, Bonitas. Præsumptio. Invidia. Labor.*

EODEM

EODEM DIE,

AD HÆC CHRISTI DOMINI VERBA.

Multi sunt vocati, Pauci vero electi. Matth. 20.

VERITAS PRACTICA.

Quæ causa est, cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis.

RATIO EST, Quia causa præcipua & magis immediata, cur pauci salvi sint, Concupiscentia est, quam pauci reprimunt.

Sed in te, qui concupiscentiam non satis forte reprimis, hæc causa reperitur.

Ergo quæ causa est, cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis. Quod quàm sit expavescendum nisi videas, argumentum est evidens tibi propositæ Veritatis.

I. PUNCTUM.

QUam sint revera pauci electi & salvi, jam Christus aliis in locis manifestè declaraverat, tùm quæ Christum tempore præcesserunt in veteri testamento: & quæ in nova sequutæ sunt vel Scripturæ, vel sanctorum Patrum sententiæ valde confirmant.

Sic porro Christus Dominus Matthæi septimo: *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam! & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Itemque Lucæ decimo tertio, quærenti cuidam, si pauci sunt, qui salventur, sic respondit: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Non est sensus, ut rectè notat Estius, quod multi quærent intrare per angustam portam, quam multi potius fugiunt, sed cum quæsitum fuisset à Domino, an multi salvarentur, primo admonuit eos, qui aderant, ut contenderent intrare per angustam portam, tum directè respondit multos fore, qui vellent intrare ad salutem, & non posse: quod scilicet alia via quàm arcta, aut alia quàm angusta portâ vellent intrare; Sic sanctus Augustinus, cujus hæc sunt Verba: *Dominus indicat paucos salvari, pauci enim intrant per angustam portam.* *De Verbis Domini.*

Quæ autem in veteri testamento præcesserunt figuræ & prophetiæ, mirum quàm apertè paucitatem illam adumbrent. In diluvio cunctis pereuntibus, *pauci*, ut ait expressè sanctus Petrus, *id est, octo animæ salvæ factæ sunt.* 1. Pet. 3. In pentapolitano incendio solus cum liberis Lothus eripitur, neque decem inveniuntur, Gen. 18. quorum consideratione Deus cæteris parcat. Sexcenta erant Israelitarũ millia, quæ ex Ægypto in Palæstinam vocabantur, ex quibus tamen soli duo Iosue & Caleb promissam illã terram ingressi sunt. Quo exemplo Apostolus magnificè utitur ad rem nostram illustrandã: *Sed non in pluribus eorum,* inquit, *beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.* 1. Cor. 10. Et post multa de illorum concupiscentiis, & pœnis consequentibus; *Hæc autem,* inquit, *omnia in figura contingebant illis: Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Itaq; qui se existimat stare, videat ne cadat.* Quasi diceret, nisi advertamus, idem nobis prorsus continget.

Cum postea verò terram illam desiderabilem inhabitarunt, vivente quidem Iosue, Deũ satis fideliter coluerunt, sed illo mortuo, quãdiu putas in vero Dei cultu perstiterunt? *Citò,* Iud. 2. inquit Scriptura, *deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant Patres eorum: & audientes mãdata Domini, omnia fecere contraria. Cumque Dominus Iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cade vastantium. Postquam autem mortuus esset Iudex, revertebantur, & multò faciebant pejora, quàm fecerãt Patres eorum, sequentes Deos alienos, servientes eis & adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas & viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. Iratusque est furor Domini in Israel.* Quid quod Davidis tempore, quo certè cultus Dei vigebat religiosius, audet ipse

David affirmare: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Psal. 13.

Tum de sequentibus sæculis, audiendi eorum Prophetæ: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen*, ait Isaias, *quasi Sodoma visssemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium*, inquit Jeremias. Denique quo uno Micheæ dicto cætera continentur: *Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe.* Is. 1. Ier. 8. Mich. 7.

Certè cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israël, dicitur de seniore Tobia, *quod solus fugiebat consortia omnium.* Et Babylone cùm Nabuchodonosor ipsos captivos detineret Judæos, suamque auream statuam omnibus adorandam proponeret, soli tres illi Viri dicuntur restitisse, qui propterea in ardentem conjecti fornacem, stupendo ad omnem memoriam miraculo, liberi & illæsi permanserunt. Tob. 1. Dan. 3.

Non est quidem Canonicus quartus Esdræ liber, sed non minoris saltem est fidei, quàm ex historicis illis unus aut Patribus Ecclesiasticis: quorum nomine nostra probantur dicta. Sic autem paucitas Salvandorum illo in libro describitur: *Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos. Quomodo autem interrogabis terram & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis, unde fiat fictile, parvum autem pulverem unde aurum fit: Sic & actus præsentis sæculi. Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.* 4. Esd. 8.

Sed ne quid dubii restet, propter incertam Authoris fidem: Propheta certus Isaias unum hoc idem prorsus, diversa licet similitudine nobis depingit. *Hæc erunt*, inquit, *in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca oliva, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi, cum fuerit finita vindemia.* Videsne disparem eorum fructuum numerum, qui plena manu carpuntur ex quavis planta, vel qui relinquuntur? Nonnè quàm multi possunt colligi, colliguntur: & quàm pauci possunt deseri, deseruntur? O verè stupendam paucitatem! Is. 24.

Neque minus stupendè qui post Christum vixerunt & scripserunt, Apostoli, cæteriquæ Patres de hac salvandorum paucitate loquuntur. *Iustus vix salvabitur*, inquit sanctus Petrus, *impius & peccator ubi parebunt?* Cui conformiter Apostolus: *Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptã. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Pet. 4. 1. Cor. 9.

In quibus Apostoli Verbis, multa conglobantur quæ per se singularem, de qua hic agitur ita probant, ut simul juncta, magis ac magis illam confirment. Primum est, ipsa comparatio salvandorum cum iis, qui bravium accipiunt, ut quemadmodum hi pauci sunt, ita & illi. Secundum est, quod sicut ij, qui sic currunt, ut bravium accipiant, ab omnibus se abstinent, ita nos ut salutem consequamur. At quàm pauci sunt, qui sic sese abstinent, cùm tamen pro æterna & incorrupta corona longè magis unicuique abstinendum esset. Tertium est, quod se in exemplum hujus cõtinentiæ statuit, affirmans se proinde castigare corpus suum & cohibere omnes sensus suos, ut cum paucis, qui se ita continent, salutem consequatur: quasi diceret, quod nisi se ita contineret, quantumvis esset Apostolus & Doctor gentium, salvus tamen non esset. Unde & addit, quod quartum est præ cæteris valde stupendum, tantum abesse, ut de se mortificando remittat aliquid, quòd sit Apostolus & Prædicator, quin potius inde magis timeat & sibi vacet, ne forte prædicãdo aliis, vel negligentiæ, vel superbiæ, vel alicujus demùm culpæ fiat obnoxius, & se perdat: discantque omnes tali exemplo non esse tantum consilij, sed præcepti, sed necessitatis ad salutem, *ut cum metu eam & tremore operentur.* Quàm pauci verò sint, qui hoc sibi persuadent, quis non videt? Phil. 2.

Neque minus ad rem nostram confirmandam efficax illud est, quod ait alibi: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & in desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erravе-* 1. Tim. 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

runt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Quod est uno Verbo dicere, *perierunt, nec tales unquam salutem consequuntur.* At quinam illi sunt, de quibus loquitur? *Qui volunt*, inquit, *divites fieri*; Non dicit, qui sunt divites, nec qui abutuntur divitiis: sed hoc unum, qui volunt divites fieri. Jam verò si quod ait, tales sint perituri, quis non apertè videat, quàm pauci sint, qui salventur, cùm pauci sint & certè paucissimi, qui non velint divites fieri? Ac propterea sanctus Joannes Chrysostomus: *Quod esse existimatis*, inquit, *in hac civitate nostra, qui salvi fiant?* Erat autem Antiochia Civitas tum totius orbis florentissima, & numero Christianorum celeberrima. Pòst verò pergens; *Infestum quidem est, quòd dicturus sum, dicam tamen; Non invenientur inter tot millia, centum, quin & de iis dubito.* Tum affert plurimas rationes, quas ad unam primariam contrahimus, ut facilius quisque intelligat, quam sit sibi timendum, si hanc in se causam perditionis omniũ, & tam raræ salutis, inveniat.

Hom. 40. prop. ant.

Est nempe illa cupiditas quam radicem malorum omnium vocat Apostolus, non quidem in se, cum nec ipsa sit peccatum in Christianis, sed in effectu, quem producit nisi diligenter cohibeatur, quod est paucis in usu. Cùm verò multi pravi sint & damnosi effectus, quos producit, tum hic eum maximè intelligimus, qui est proximus perditioni & demnationi sempiternæ, nempe Impœnitentia seu mors in peccato. Sicut enim certum est, quod si quem verè pœniteret suorum criminum, quantumcunque reus esset, salutem consequeretur: ita nisi pœniteat, licet vel unius peccati noxam contraxerit, de illius salute actum est. Vix autem eum pœnitet, quem humanis rebus affixum tenet Concupiscentia, cùm pœnitere nihil aliud sit, quàm hunc affectum revocare, & tam difficile sit hunc revocare affectum, quem semel rebus humanis inordinatè affixeris, ut propterea dicatur: *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, quia omnes conversi sunt ad cursum suum.* Et hi sunt universim, quibus à Domino dicitur: *In peccato vestro moriemini.* Nempe inquit, *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris.* O verba, verba ponderanda! nam esse de mundo nihil aliud est, quam affici rebus mundi ex inordinata concupiscentia: sicut alibi frequenter & fusius est demonstratum.

Ier. 8.

Ioan. 8.

Vide in 1. parte, Dominicam 1. & 3. Adventus. Totam hebdomadam infra Dominicam tertiam post Epiphaniam, & in Indice Verbo *Pœnitentia, Concupiscentia, Mors &c.* Abundè verò hæc declarantur in opusculo, *Via lata, quæ ducit ad perditionem*, In 1. parte.

II. PUNCTUM.

SED *in te, qui Concupiscentiam non satis forte reprimis, hæc causa reperitur.*

Tibi quidem relinquitur dijudicandum, an quantum satis est, Concupiscentiam reprimas sed ne tibi palpes in re tam seria, tres regulæ seu notæ offeruntur, quibus agnoscas te minus forte quàm par esset, huic vacare studio.

Prima est, quod volenti evitare graviores & mortales lapsus, necessarium est cavere leviores, quos vocant veniales, *Nam*, ut ait sanctus Augustinus, *peccata minima si negligantur, occidunt*, id est mortalia fiunt, id est à veniali proclivior est lapsus in mortale, *Voluntas humana facillimè disponitur ab uno in aliud*, ait sanctus Thomas: unde tu, qui non satis advigilas præcavendis illis leviculatibus culpis, quæ circa res amatas vel concupitas frequentius contrahuntur, non potes dici satis vacare huic studio, quod est ponendum in Concupiscentia reprimenda: & potest de te dici, quod est apud Jobum: *Appropinquavit corruptioni anima ejus: & vita illius mortiferis.*

Tract. 2. in Ioan.

1.2.q. 88. a. 3.

Iob. 33.

Secunda regula est, ut quia opus est maxima gratia, quam multi sæpe causantur sibi deesse in quibusdam difficilioribus: tunc se fidelem quisque præbeat in facilioribus, quæ aganda occurrunt; sic enim fiet, ut primis gratiis mereatur secundas & sequentes necessarias. Aut certè, qui hanc fidelitatem non servat in minimis & facilioribus, ne miretur se laborare in difficillimis, nec tam defectum accuset gratiæ, quàm fidelitatis suæ. *Nam qui fidelis est in minimo, & in minori fidelis est: Et qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Si cogitationes impuras non ita potes, ut velles, reprimere, non aliunde est, quam quia non vis oculos continere, sicut posses. *Pangendum fœdus cum oculis, ut non de virgine cogites.* An illud fœdus pepigisti? An pactum fideliter servas?

Luc. 16.

Iob. 31.

Tertia

Tertia denique regula est, ut quæ sunt præcepti melius fiant, fiant ea, quæ sunt Consilij. Hoc est enim, quod multos decipit, dum se dicunt non adstrictos ad ea, quæ sunt perfectionis & consilij: satisque sibi esse, si quod præcipitur aut vetatur, efficiant. Omnino sanè sit ita: sed non efficient, nisi plerumque consiliis adhæreant. Non desinent pejerare, nisi jurare desinant, neque jurare desinent, nisi præcaveant iram, nisi primos naturæ motus reprimant, nisi linguam moderentur, nisi affectus regant. Sic eruendus est oculus, si præbet scandalum: alioquin qui parcis oculo, non parcis animæ: qui consilium de continendo non servas oculo, nec servabis præceptum de continendo corde. *Non sunt opera tua plena coram Deo.*

Matth. 5.

Apoc. 3.

Vide in 3. parte, Feria 2. infra hebdomadam quintam, ubi hæc expressa declaratur Veritas: *Qui non servat Consilia, quia non sunt præcepta: nec ipsa etiam præcepta servabit.*

III. PUNCTUM

QVÆ est ergo causa, cur pauci salvi sint, hæc in te forte est, cur ex illis non sis. Quia causa illa proxima est, Concupiscentiæ motus inordinatus, quem qui non satis reprimunt, ita peccatis assuescunt, ut in his moriantur.

Tu verò si te probè nosti, non satis tuos illos naturalis concupiscentiæ motus soles reprimere: Ac proindè quid sequitur, nisi ut ejusdem causæ sit idem prorsus effectus? *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Nunquid potest ficus uvas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa potest dulcem facere aquam.* Quasi diceret sicut fructus pendet ab arbore, & arbor à radice: ita mors à vita, & ex affectibus. Non possunt depravati affectus vitam probatam producere, neque vita corrupta mortem advehit incorruptam. Ratum fixumque est, *Caro & Sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. NOLITE errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet: Quoniã qui seminat in carne sua: de carne & metet corruptionem.*

Matth. 6.

Luc. 3.

1. Cor. 15.

Gal. 6.

Nempe illi valde errant, qui cùm ex parte tantum & non omnino concupiscentiæ reprimendæ vacent, sibi tamen non timent nec præcavent; Et quidem in tribus errant. Primò quod alios videant nequiores, tùm se satis bonos putant, si non sint pessimi: contra quos expressè Christus Dominus, postquam retulit infœlicem quorundam exitum: *Putatis,* inquit, *quia hi, præ omnibus peccatores fuerint quia talia passi sunt? Non, dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Secundum in quo errant, est, quod habendæ pœnitentiæ satis sibi esse putant, si confessi faciant aut dicant, quod sibi jussum fuerit, nec de extirpandis pravis affectibus, aut avertendo corde à peccati objectis seriò cogitant, unde semper manent pravè affecti, & nunquam illos verè pœniteat, ut supra est demõstratum. *Colligata est iniquitas Ephraim: absconditum peccatum eius. Dolores parturientis venient ei. Ipse filius non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum.* Notanda valde Prophetæ Verba.

Luc. 13.

Osee. 13.

Tertium denique, quod si forte nullum in se apertum agnoscant peccatum, se propterea quasi tutos & securos habeant, nec satis humiles & pavidi ad perfectiora se extendant: *Quasi gens, quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit.* Quibus aptè sanctus Gregorius; *Consideremus,* inquit, *quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium Patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen David dicit, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Paulus cum diceret, nihil mihi conscius sum, cautè subjunxit, sed non in hoc justificatus sum. Iacobus dicit, in multis enim offendimus omnes. Ioannes dicit: si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?* Respondè: Et illud sancti Anselmi sæpe revolve, *si vis esse de numero salvatorum, esto de numero paucorum;* Et sicut quanto de paucorum numero fueris, tanto securior de numero salvatorum eris; ita quanto magis ab eorum discedes numero, qui pauci sunt, tanto à salutis securitate discedes longius. O quanta utrimque distantia! ô quantus inde metus & tremor!

Isa. 58.

24. Mor. 18.

Videri possunt hæ affines Veritates, ex aliis locis.

Sicut non est habenda solicitudo anxia & scrupulosa de peccatis remissis: ita rationabilis non est deponenda.

Ins.

Quanto teipsum negligis, quasi non esses cum cæteris perituru, tantò te Christus doluit præ cæteris perituris.

In hac 2. parte, Feria 5. infra hebdomadam primam Quadragesimæ.

Qua ratione fit, ut plures dici possint malæ, quam bonæ arbores: eadem prorsus fiet, ni caveas, ut mala potius, quam bona sis arbor.

In eadem parte, Dominica 7.

Præcipitatio animi in statu vitæ deligendo, præcipitium est animæ.

Non evitat præcipitium, sed mutat, qui ne nimis præceps, nimis est lentus.

In hac 2. parte, in fine ubi de statibus, prima & secunda Consideratione.

Sicut prima & puerilis ætas index est secuturæ vitæ præsentis: ita hæc vita præsens indicium est futuræ post æternitatis.

In eadem parte. In Nativitate S. Ioannis Baptistæ.

Qui sibi palpat, quod non longè erret, periculosius sæpe errat, quàm qui aberrat longiùs.

In 3. parte, Dominica 3. post Pentecosten.

Verendum, ne quod tibi deest ad perfectionem, desit etiam ad salutem.

In 4. parte, Feria 2. infra hebdomadam 17.

CVM hinc ad usque Pascha, Veritates desumantur ex Consideratione Passionis Domini nostri: HAC HEBDOMADE initium ducitur à Consilio Iudæorum contra Iesum, ubi Judas proditionem suam aperuit. Tùm in his pergitur, quæ Evangelica refert historia, usque ad sermonem Domini, peractâ cœnâ cum discipulis habitum; & eò præcipuè referuntur Considerationes, ut agnoscas Bonitatem Domini Iesu oppositam malitiæ Judæorum, sicque ejus exemplo discas malum in bono vincere.

FERIA SECVNDA.

DE CONSILIO IVDÆORVM contra Dominum IESUM:

ET DE CONSILIO DOMINI IESV, pro salute Iudæorum, & nostra.

Dixit IESUS *discipulis suis: scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & seniores Populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut* IESUM *dolo tenerent, & occiderent.* Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Quid nequius, quàm quod excogitavit caro & sanguis? *Eccles.* 17.

VERBA sunt Ecclesiastici, quæ non modo aptè quadrant in Iudam & Iudæos, qui de perdendo Iesu consilium iniverunt: quâ quidem impietate nihil nequius: sed in ipsas universim cogitationes humanas, quæ sunt cogitationes Carnis & Sanguinis, & quæ nisi coerceantur, in eandem cum Iuda & Iudæis conspirant nequitiam, ut Dominum Iesum perdant. Ac proinde sic absolutè Veritas enuntiari potest:

Nihil nequius, quàm quod excogitat caro & sanguis.

RATIO EST, Quia nihil nequius, quàm de perdendo nobis Iesu cogitare.

Sed quod excogitat Caro & Sanguis, eò tendit, ut perdat in nobis Iesum.

Ergo nihil nequius, quàm quod excogitat Caro & Sanguis. Quod non tantùm de impuris aut apertè pravis cogitationibus intelligas, sed de aliis inordinatis, quæ à quovis procedunt homine, qui Caro & Sanguis dicitur à Christo Domino: *Caro & Sanguis non revelavit tibi*, id est, ullus homo: & ab Apostolo: *Non acquievi Carni & Sanguini*, id est, nulli homini.

Matth. 16

Galat. 1.

I. PUNCTUM.

SUpradictis verbis de facto à Judæis consilio contra Dominum, addenda sunt, quæ idem sanctus Evangelista scribit de Proditore Juda. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos, & exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.* O quale consilium! quales nundinæ! qualis mercatura! ubi agitur de prodendo & vendendo Iesu! quale probrum sic vendi ab uno è suis! sic vendi adversariis! sic vendi tàm vili pretio!

Quàm longè aliud eodem tempore cum suis Dominus inibat consilium, quo imminens suæ passionis tempus illis indicabat! quid nequius cõsilio Judæorum, qui de prodendo Jesu deliberant? quid sanctius consilio Domini Jesu, qui de redimendis hominibus sermonem habet, & diem statuit? Nonne hoc est bonitate cum malitia decertare? O quoties idem nobiscum agitur! ô quoties caro, quoties ista pars animalis sua init consilia cum vitiis & concupiscentiis, quibus profectò in nobis periret Iesus, nisi bonus Iesus consilia illa destrueret, & meliora ipse statueret de salute nostra! O quam verè Sapiens, *Quid nequius, quàm quod excogitavit Caro & Sanguis*; cum eò tendant ex cogitationes ut Iesum perdant.

Hoc modò est expendendum; ac primò illud, quàm sit nequam & impium supra omnem nequitiam & impietatem, de perdendo nobis Iesu cogitare! Nam præter quam quod tantæ est dignitatis, ut sit *Rex Regum, & Dominus dominantium*: Tantæ est insuper Bonitatis, ut ipsa sit Bonitas, nec alia in nobis vera possit esse bonitas, nisi per ipsum, *Qui*, ut ait Apostolus, *factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. DE cujus plenitudine nos omnes accepimus: quia lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. QVI propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ divites essemus. QVI dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei, & Patris nostri. PER quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. IN quo ipse Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus. QVI est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est Principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.*

Apoc. 19. 1. *Cor.* 1. *Ioan.* 3. 2. *Cor.* 8. *Gal.* 1. *Rom.* 5. *Eph.* 1. *Coloss.* 1.

Satisne hinc agnoscis, qualis quantúsque sit Iesus? Satísne hinc intelligis, qualis sit ea cogitatio, quæ de illo perdendo formabitur, & quàm verè nihil illâ iniquius & nihil nequius?

II. PUNCTUM.

SED *quod excogitat caro; eò tendit ut perdat in nobis Iesum.*

Quidquid enim excogitat caro, nisi ratione temperetur & gratiâ, totum carnale est, penè totum vitiosum & inordinatum. *Cuncta,* Gen. 6. inquit Scriptura, *cogitatio cordis intenta est ad malum, omni tempore.* Quod & ipse Apostolus Rom. 7. in se sentiens; *Ego,* inquit, *carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malũ, illud facio. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Invenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et alibi univer- Gal. 5. sim de nobis omnibus; *Caro,* inquit, *concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem: hæc enim sibi invicem adversantur;* Unde evidenter patet, quòd quidquid sola caro excogitat, tam verè malum est, quàm verè repugnat bono.

Quò verò tendat illud malum, ubinam terminentur illæ carnis cogitationes, audi ex eodem Rom. 8. Apostolo: *Prudentia carnis mors est, Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta.* Quænã est enim illa prudentia aut Sapientia carnis, nisi ejusdem cogitatio, & illa præcipuè, de qua loquimur, quæ excogitat commoda, lucra & emolumẽta sua: Quomodo autem mors est, nisi quia perdit Iesum, qui est vita nostra, & qui quamdiu vivit in corde mors abesse necesse est; aut si mors adsit, tam verè is pereat, quàm certum est, vitam simul & mortem non posse consistere? licèt enim non omnis cogitatio carnis lethalis sit, ac proinde non ita Iesum ab anima fuget, quin per gratiam sanctificantem ibi remaneat; tamen de cogitatione carnis sicut de concupiscentia, & de concupiscentia sicut de igne sentiendum est, *qui nunquam dicit, sufficit,* ut est Prov. 30. in Proverbiis. Sic *concupiscentia quasi ignis ex-* Eccles. 9. *ardescit,* inquit Ecclesiasticus. Et rursum, *A scintilla una augetur ignis;* id est, ab una levi & veniali cogitatione facilis est progressus ad lethalem, qui sic à sancto Jacobo describitur: Jac. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua,* levi scilicet carnis cogitatione, *abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum,* primò quidem veniale, tum quando consummatum fuerit, facillimè transit in mortale, & generat mortem. Sic ordinaria dispositio à veniali ad mortale peragitur, ut expressè docet sanctus Thomas, satisq; esset ad nostræ propositionis evidentiam, ut sicut primæ carnis cogitationes tendunt in mortiferas, ita eo tendunt, ut perdant in nobis JESUM. 1.2. q. 88. 4. 3.

Addo illud verò, quòd cùm permittitur carni, ut excogitet, quæ sibi sunt commoda & opportuna, totus in his cogitationibus sic homo vivit, & occupatur, ut vetus ille homo vivat & regnet cum suis actibus, qui Novo repugnat & cõtradicit. Quid autem novo est repugnare homini, nisi tot ejus impedire vitales actus, quot Dominus Iesus in nobis exercuisset, nisi vetus homo Illi repugnasset? O quæ perditio! quæ jactura! Vide infrà Feria sexta & Sabbato Hebdomadæ Passionis: tum verò maximè in die Parasceves, Ubi quomodo per peccatum venundetur Christus, apertè declaratur. Interim verò hoc mirare, sic Judam sibi paulatim Dominum perdidisse. Neque enim cùm primò Eum prodidit & Iudæis vendidit, sic arbitrabatur condemnandum & crucifigendum, sicut pòst accidit. Cogitabat miser de una pecunia sibi comparanda, putabat se ludificaturum Judæos, tradendo illis Dominum, quem noverat satis potentem, ut se, cùm vellet, ab eorum manibus eripere, sicut jam ante pluries, se ab eis eduxerat. Unde cùm postea vidit rẽ aliter agi, ac revera Christo parari Crucem & necem, *tunc pœnitentia* Matt. 27. *ductus, retulit triginta argenteos,* ut dicetur suo loco, quasi doleret factum, quod futurum nõ putabat, quo dolore ita exarsit, ut, quod ait sanctus Leo, *insurrexerit in semetipsum non ju-* Serm. 11. *dicio pœnitentis, sed furore pereuntis, ut qui vi-* de Pass. *ta Authorem Interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suæ, etiam moriendo peccaret.*

Sic porro Jesus sensim perditur, cùm quasi joco, aut non quasi malevolo animo, nonnihil indulgentius sibi quis primò permittit, unde eò tandem abripitur, quò se lapsurum nunquam putasset. Sic cum Isaaco fratre lu- Gen. 21. debat Ismael: sed ludus iste vocatur persecu- Gal. 4. tio: jubeturque Ancilla & filius ejici, ne forte Mater & hæres Filius ab eis extrudantur, ut præclarè Apostolus, ad rem nostram.

III. PUNCTUM.

QVid nequius igitur, quàm quod excogitavit Caro & Sanguis; Cùm totum illud eò tendat, ut perdat in nobis Iesum, perdendo Gratias, seu quas vocant habituales, seu actuales, quibus in nobis habitat, & nobiscum vivit. Quâ proditione & perditione quid damnosius? quid nequius? *Nonne hoc est majus damnum, quàm si totum perderes mundum*, inquit pius ille author, qui de Imitatione Christi est, qui & pergens in tam suavi materia: *Quid potest*, inquit, *mundus conferre sine IESV? Esse sine IESV, gravis est infernus, & esse cum IESV, dulcis est paradisus. Si fuerit tecum IESVS, nullus poterit nocere inimicus. Qui invenit IESVM, invenit thesaurum bonum, imò bonum super omne bonum, & qui perdit IESVM, perdit nimis multum, & plus quam totum mundum.* Lib. 2. c. 8.

Defle hanc jacturam, quam toties incurristi. Vide quibus lachrymis absentiam Filii Tobiæ Mater deplorabat: *Heu Heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, Lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ: omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Nunquid major est JESUS Tobia? Quia verò propter debitam aliquam pecuniam recuperandam, missus erat domo à patre filius, audi iterum matrem, ut in illam pecuniam invehatur: *Nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum: sufficiebat enim paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* Sic planè tibi in rem, quæ causa peccati est, & per peccatum excluſi Jesu, sic tibi exardescendum & dicendum: Nunquam fuisset ista superbia, nunquam iracundia, pro qua Jesus à nobis dimissus est! ô insensate, à quo Jesus est ita proscriptus! Tob. 10. Ibid. Gal. 5.

Cave deinceps diligentiùs, quidquid à carne est, etiamsi leve appareat. Perpende, quòd in nobis, velut in templo Christus inhabitet; & sicut in templo immundum nihil tolerari debet, ita nec in corde tuo, quod tanti hospitis offendat oculos. Hinc enim non leve censendum est; unde Apostolus, *Quis consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos.* O qualis illa benignitas, ut qui toties à nobis ejectus est, sic nos velit recipere! *Tenui eum, nec dimittam.* 2. Cor. 6. Cant. 3.

FERIA TERTIA.

DE COENA PASCHALIS AGNI, Secundum legem moremque Iudæorum, à Christo Domino, cum Discipulis facta.

Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. Luc. 22.

VERITAS PRACTICA.

Voluntatis ejusdem est, nolle afferre scandalum: & sufferre velle, si quando pravè accipitur.

ID EST,

Qua ex causa & ratione non est afferendum aliis scandalum, eadem prorsus est sufferendum, si forte alii pravè & iniquè accipiant. Nullos oportet offendere & scandalizare, quantum in nobis est: At si sua sponte se ipsi scandalizent, non oportet propterea nos offendi.

RATIO est, quia vera causa, cur non est afferendum scandalum, est Charitas.

Sed illa ipsa Charitas exigit, ut sufferatur si pravè & iniquè accipitur.

Ergo quâ ex causâ & ratione non est afferendum aliis scandalum, eadem prorsus est sufferendum, si forte alii pravè & iniquè accipiunt. Ac voluntatis ejusdem est illud nolle, & hoc velle. Qua tamen voluntas paucorum est.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

VT Bonitatem Domini Jesu oppositam malitiæ Judæorum clariùs hic videas & constantiùs imiteris, qui est præcipuus hujus hebdomadæ finis: observa, Judæos id imprimis objecisse Christo, quòd non observaret legem; *Propterea persequebantur Iudæi Iesum*, ait sanctus Ioannes, *quia hæc faciebat in Sabbato.* Malitia planè execranda, cum nullus inter eos unquam extiterit tam religiosus observator universæ legis. Huic verò malitiæ opposita Bonitas & Sapientia Domini Jesu hìc elucent, quòd discessurus ex hoc mundo ad Patrem, quidquid præscriptum erat de Agno Paschali comedendo, perfectissimè voluerit à se suísque observari: idque apud nobilem Ierosolymitanum Civem, qui spectator & probatus esset testis hujus legalis observantiæ. *Euntes*, inquit Petro & Ioanni, *parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt, ubi vis paremus? Et dixit ad eos; ecce introeuntibus vobis civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis Patri-familias domus: Dicit tibi magister, ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cenaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autè invenerunt, sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli eum eò, & ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* O desideria Domini Jesu quàm sunt ardentia! quàm vera! quàm efficacia!

Ioan. 5.

Luc. 22.

Et tamen non destiterunt Judæi eum semper accusare legis infractæ & violatæ religionis: nec aliud gravius contra eum objecerunt Pilato, *quàm quòd legem haberent, & secundum legem deberet mori.* Quod certè scandalosum, infame & durissimum Christo fuit. Sed qui omni modo præcaverat, ne scandalum & offensiones daret, voluit hoc scandalum sibi impactum & hanc offensionem suo inustam nomini sustinere, ut nos plenius edoceret ejusdem esse voluntatis, nolle afferre scandalum, & sufferre velle, si quando pravè & iniquè accipitur: atque ut omnes intelligant, qua ex causa non est aliis inferenda offensio, ex illa ipsa esse ferendam, si nobis inferatur.

Ioan. 19.

Ratio est prorsus eadem, nam quænam est causa, cur non sit afferendum scandalum, nisi Charitas, cujus est *providere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus:* Illúdque maximè cavet, *ne ponatur offendiculum fratri vel scandalum: si enim propter cibum frater tuus contristatur seu offenditur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Nè ergo blasphemetur bonum nostrum: ITAQVE qua pacis sunt sectemur, & qua ædificationis sunt, invicem custodiamus.* Itémque paulò pòst: *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Rursúmque alibi graviter; *Videte, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis, & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalisat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalisem.* Quæ quo sensu sint intelligenda, & quomodo Charitati repugnent, fusè Divus Thomas, & alii: Tu vide, quid hìc pecces: & an illud Apostoli religiosè colas, *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in Charitate non ficta.*

Rom. 12.
Ibid. 14.
15. Ibid.
1. Cor. 8.
2. 2. q. 43.
2. Cor. 6.

II. PUNCTUM.

SED illa ipsa Charitas exigit, ut sufferatur scandalum, si pravè & iniquè accipitur.

Tunc dicitur iniquè accipi, quando non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex certa malitia seu invidia bonum opus pravè detorquetur, aut quæ sapienter dicta sunt, in pravum sensum accipiuntur. Sic Pharisæi sæpius scandalisabantur de Christo Domino, cui invidebant, & quem dolebant suis divinis operibus agnosci, & coli à populo: quod quidem scandalum non erat datum sed acceptum, & iniquè acceptum contra æquitatem & veritatem. Atque hinc fit, ut quoties sic iniqui de bonis detrahunt, & quæ hi probè dicunt aut faciunt, in tam perversum illi adducunt sensum, ut se etiam scandalisari & offendi affirment; hoc eorum scandalum dicatur Pharisaicum & iniquum, quod tamen est ex illa charitate sufferendum, *qua est patiens*

1. Cor. 13. *& benigna, quæ non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, & non irritatur, sed omnia sustinet, omnia sustinet.*

In 1. p. die 16. Ian. Sic supra jam visum est, ut qua lege non essent inferendæ injuriæ, eâdem prorsus, si inferrentur, essent ferendæ. Sic Christus Dominus & verbo & exemplo; unde Apostoli tam

1. Pet. 2. sæpe & graviter illud inculcant: *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste: Quæ est enim gratia, si peccantes & colaphizati sustertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* Et paulò post, *Non reddentes malum*

Ibid. 3. *pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.*

Quæ dum sincerè præstantur, sicut certum est esse Charitatis effectus: sic nisi sincerè præstantur, manifesti sunt Charitatis defectus. Ac proinde patet ex hac Charitate ferendum esse illud scandalum, quod iniquè accipitur. Durum est quidem, sed durius, non exercere Charitatem: Aut certè quæ suavis & blanda est Charitas, hoc quodcunque est durum, emollit & complanat.

III PUNCTUM.

QUA ergo ex causa & voluntate non est asferendum scandalum, eâdem est ferendum, si iniquè accipitur. Nempe ex Charitate, quæ perinde violatur, si asferas, aut si non feras tale scandalum, quod nullâ tuâ culpâ sibi alii accipiunt, & de re innocenti murmurant. Quod quia difficilius est in praxi & ratius, quam aliud de non asferendo scandalo, quod nolles, ne Charitatem lædere; Idcirco hic teipsum ex teipso urge & argue, si non æquo feras animo illa iniqua scandala & murmura. Cur enim non æquè times violare Charitatem, si non feras accepta scandala; sicut times eam violare si asferres, aut illam dares offensionem, cùm non minùs ex uno Charitas violari possit, quàm ex alio? Hinc fortè dictum à Sapiente, *Qui peccaverit in uno, multa*

Eccles. 9. *bona perdet*: Seu, ut alii vertunt, *bonitatem perdet*, quæ est ipsa Charitas. Adde, quod est valde notandum ad clariorem propositæ Veritatis intelligentiam & firmiorem praxim, si fortè tu, qui pietati vacas & perfectioni acquirendæ, non feras patienter, quod ex Charitate ferendum est, sed contra excandescas & frendeas, nonne pusilli & in virtute infirmi poterunt inde scandalisari? At verò iam non erit acceptum iniquè scandalum, sed erit à te imprudenti & peccanti datum, quod ex prima propositione certissimum est pugnare cõtra Charitatem: jamque ille eris, cui objiciebat Apostolus, *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus* 1. Cor. 8. *est*; nempe offendetur, quod tu sacerdos, tu religiosus, tu pietatis studiosus sic commovearis contra pietatem & perfectionis studiũ, quod profiteris! Aut fortè inde etiam tuo exemplo erit liberior ad similes impatientis animi motus; quod certè est offendiculum & scandalum infirmis ponere, quod quidem nolles, sed neque aliud etiam velis, unde illud facillimè sequitur. Esto, illi iniquè tecum agant, teque innocentem divexent: at illi iniqui sunt: Tu verò æquitatis & virtutis professor, non modo nihil iniquè debes reddere, sed ipsam iniquitatem tam placidè ferre, quàm verè profiteris virtutem; aut certè professioni tuæ maculam & scandalum infers.

Quidquid porro ultrà depravatus appetitus possit suggerere, aut fortè etiam ratio proponere ad conservationem tui juris & nominis, planè dilutum & solutum habes in his sancti Petri Verbis. *Et quis est, qui vobis noceat,* 1. Pet. 3. *si boni æmulatores fueritis? timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim benefacientes, si voluntas Dei velit, pati, quàm malefacientes.* Quod & ante iam dixerat pene iisdem verbis: *Conversationem vestram inter* Ibid. 2. *gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* Vide quæ hic plura prosequitur sanctus Petrus; Et quæ Thomas à Kempis libro tertio, capite tricesimo sexto, quod totum est de hoc argumento. *Quis tu, ut timeas à mortali homine? Deum time & hominum terrores non expaveſces.*

Quod

Quod si ad præsens videris succumbere, & confusionem pati quam non meruisti: ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam.

Charitas non quærendo sua, melius invenit, quam si quæreret.

Esto, appareant aliquæ irascendi causæ: multò tamen plures sunt, & validiores, ne irascaris.

Aut amandus tui Contemptus, & te contemnenti congaudendum: aut non amanda Charitas, quæ congaudet Veritati.

Hæ tres Veritates habentur infra in hac parte, Feria 2, 3. & sexta ejusdem hebdomadæ, quæ est tertia post Pascha.

FERIA QVARTA.

DE LOTIONE PEDVM.

Et cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Ioan. 13.

VERITAS PRACTICA.

Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo Dæmonis humiliabitur.

RATIO EST, Quia qui se Christi exemplo non humiliat, se contra Christum exaltat,

Sed qui se contra Christum exaltat: exemplo Dæmonis humiliabitur.

Ergo & qui se Christi exemplo non humiliat. Quod certe est expavescendum & ad praxim efficax.

I. FUNCTUM.

QUAM longè errarent Judæi, qui de Regni ambitione Christum Dominum accusabant, timebantvè, ne se supra omnes efferret, satis patet ex hac ejus humilitate, quâ se ad pedes discipulorum, atque ipsius etiam Judæ, abjecit: O quàm diversæ Jesu Judæorum cogitationes! nihil isti de Jesu nisi superbiam; Et Jesus præter humilitatem nihil cogitat!

Legendus Evangelii textus, expendenda sunt singula Christi Domini verba & facta: tam stupendum humilitatis exemplum singulari consideratione colendum, atque altè animo imprimendum. Quantùm nobis hanc virtutem commendet Dominus, observandũ accuratè ex his ejus verbis: *Scitis quid fecerim vobis: vos me vocatis Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim: si ergo lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quod de quibuslibet humilitatis actibus æquè est intelligendum, & iis præcipuè, qui sunt magis necessarij, & in quibus magis laboramus. Idcirco enim suum præsertim proponit exemplum circa hanc Virtutem, quia difficilior videtur, & rariùs exercetur. Ut verò etiam magis hoc exemplum ad praxim valeat, additur in proposita Veritate, quod jam attentè consideretur: *Qui se exemplo Christi non humiliat, exemplo Dæmonis humiliabitur.* Quod licet exemplum vulgare sit: ex certis tamen circumstantiis singulare est, ut videbitur.

Res porrò plana est, & facilis ad intellectum. Nam qui se non humiliat, cum id præcipuè quadam necessitate exigitur, sese contra Christum exaltat; cur enim tùm ille non se humiliat, nisi quia vel negat id sibi esse necessarium: vel quantumvis necesse sit ad salutem & perfectionem, id negligit & fastidit; quæ quidem fieri nequaquam possunt, nisi superbiat, & exaltetur animus, quasi se satis tutum & salvum putet sine his humilitatis actibus. Tales sunt porro actus, qui exiguntur ad obediendum Deo, Ecclesiæ, & superioribus; quando videlicet confitenda sunt rite peccata, quando paupertas defectus ingenij, & alia, quæ nos coram hominibus humiliant, nobis contigerint; quando arguemur de culpis; quando de nobis detrahetur; quando

erit

erit aliis cedendum ; quando invidia comprimenda ; quoties denique peccaretur, nisi te humiliares : tum humilitas tam necessaria est, quàm est omnino necessarium non peccare. Jam verò qui se in his necessariis non humiliet, nonne se contra Christum exaltet, qui hæc ita ordinavit ut essent necessaria, & ut nobis evenirent ad praxim & exercitium humilitatis ? *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus.* Nunquid tibi Rex Pharao ita loquens, se contra Dominum exaltare videtur? At putasne solius hujus jactabundi voces sic se efferre ? Audi quid ipse Deus de quovis superbo corde dicat : *Anima*, inquit, *quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo : Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum.* Videsne superbiam esse rebellionem adversus Dominum ? Et quod peccatur humilitatis defectu, non minus grave censeri, quàm ipsum Dei contemptum ?

Exod. 5.

II. PUNCTUM.

SED qui se contra Christum exaltat, exemplo Dæmonis humiliabitur. Est enim lata pridem sententia, *quòd qui se exaltaverit humiliabitur.* Atque hujus humiliationis exemplum in primo illo rebelli Angelo statutum est, qui se humiliare noluit, cùm illi humilitatis præceptum est datum. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo : in cœlum conscendam, similis ero altissimo ? veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Tum verò paulò pòst in eodem capite, quod est valde observandum, sic idem Propheta : *Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extensa super universas gentes. Dominus enim exercitium decrevit, & quis poterit infirmare ? & manus ejus extenta, & quis avertet eam ?* Quasi diceret, perinde omnes, qui se exaltaverint, humiliabuntur, sicut ille superbus qui propterea dicitur, *Rex esse super universos filios superbiæ, quòd eos scilicet præcedat culpâ & pœnâ.* Quod & confirmat S. Augustinus, ad hunc psalmi versiculum, *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Vulneratum, inquit intellige diabolum, *non penetrata carne, quàm non habet, sed percusso corde, ubi superbus est.*

Isa. 14.

Ibid.

Iob. 41.

Ps. 88.

Quasi diceret, primò quidem Dæmon superbus, humiliatus est tamquam vulneratus, tamquam debilitatus, tamquam accepto vulnere victus & exarmatus : tum deinde superbi omnes, ejus exemplo.

Atque hinc Christus Dominus arguendum mundum dicebat, id est mundanos & superbos, *quòd princeps hujus mundi jam judicatus esset.* Denique nimis exultantes discipulorum animos, & in quandam elationem se se efferentes sic repressit : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. ELATIONEM eorum comprimens*, inquit sanctus Gregorius, *exemplo magistri elationis*, O qualem magistrum ! qualis humiliatio ! & quale exemplum !

Ioan. 16.

Luc. 10.

III. PUNCTUM.

QUI se igitur exemplo Christi non humiliat, exemplo Dæmonis humiliabitur ; quia ille videlicet sicut dæmon se exaltat contra Dominum, & in omnes, qui se universim ita exaltant, eadem humiliationis pœna est denuntiata. *Nam* sicut ait Sapientia, *quòd imitantur Diabolum, qui sunt ex parte illius* : sic verè dici potest, quòd qui imitantur illum in culpa, sunt ex parte illius in pœna. Sic aptè sanctus Petrus ; *Quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari* : Et paulò pòst : *Vbi Angeli fortitudine & virtute cùm sint majores, non portant adversum se execrabile judicium* : Quasi diceret ; licèt Angeli multo plura haberent quàm homines, unde gloriari & se exaltare posse viderentur, punita tamen eorum est exaltatio ; quanto magis homo punietur, qui cum sit pulvis & cinis longè inferior Angelo, se se exaltare voluerit. *Quid superbit terra & cinis ?* Ut verò, quantum sibi humiliationis, cinis superbus timere debeat, sic idem fusè Sapiens, eodem capite, pergit disserere : *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo : quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus ; quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis & subvertet eum in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usque in finem. Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humices ex ipsis gentibus.*

2. Pet. 2.

Eccle. 10.

Neque

Neque hæc putes tantùm in insigniores dici superbos, aut te ex illis unum non esse: Quis enim te discernit? an id certò affirmare ausis, quod de te sentis? Nonne sunt alia
1. Cor. 4. Dei de nobis & nostra judicia? *Qui judicat me Dominus est*, inquiebat Apostolus: unde ipsius judicio stare debemus, non nostro. At certè si Domini spectes Judicium, multi actus superbiæ non modò in Pharisæis, sed in Apostolis, velut graves condemnantur, qui leves alioquin viderentur.

Marci 9. Adeòne grave erat, quòd inter se disputassent Apostoli, *quis eorum videretur esse major*, ut propterea audiverint à Christo Domino,
Matth. 18 *Nisi conversi fueritis*, ab hac scilicet ambitione, *& efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*? Itàne regnum cælorum nunquam essent ingressi propter illud peccatum? Ita sanè quia sic Christus dixit; quòd tamen non est ita intelligendum, quasi peccatum illud esset lethale, vel quasi quis arceatur illo regno propter peccatum non lethale: sed quod nisi conversi fuissent ab illo ambitionis affectu, graviùs inde peccassent in aliis occasionibus, sicque tandem interijssent velut Judas, qui primò quidem leviter affectu avaritiæ peccare potuit, tum verò graviùs, juxta illud sapientis, *qui spernit modica, paulatim decidet*,

Eccles. 19. Sup. 5. Certè qui gemunt in inferno, *Quid nobis profuit superbia*, non semper hoc lethali peccarunt peccato, sed unum extitisse inter multa venialia mortale sufficit: Atque illi, qui spernit tanquam modica, quæ quotidie peccat venialia, facillimum est incidere in aliquod grave & mortale, quod confessione non expiabitur; imò quod in ipsa confessione perpetrabit. *Sicut enim est confusio adducens peccatum*: ita & illius est propria hæc confusio, qui non omnem exuit superbiam, nec sat libenter humiliat; & inde peccatum manifestum adducitur, cùm inde reticetur aliquid in confessione, vel aliter declaratur, quàm revera est coram Deo. At quale putas illud peccatum? qualis hujus peccati pœna? qualis humiliatio! quale futurum judicium? Eccles. 4.

Sic sancti quique à levibus quibuscunque in hac materia sibi cavebant, utque etiam sibi caverent attentiùs, extrema quæque inde futura damna & supplicia sibi proponebant. Non deerant illis alia humilitatis motiva, neque ignorabant alias, quàm æternas esse humiliationes, quas pro suis culpis in hac vita metuebant, quales in Davide & Ezechia commemorantur; sed hac præterea se cogitatione armabant, quale ipse Apostolus de se refert; *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Auderémne tu præfidere, ubi timet Apostolus? Auderésne respuere quasi minus à te remotum, quod Vir tantus non à se ducit alienum. *Itaque quod*, ait Sapiens, *memento iræ, quoniam non tardabit. Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.* 2. Reg. 24. 4. Reg. 20. 2. Par. 32. 1. Cor. 9. Eccles. 7.

Vide in 3. parte, Dominica 10. & Feria 5. hebdomadæ duodecimæ, ubi hæ duæ satis affines habentur Veritates.

Omnes insipientes & infœlices supra modum animæ superbi. *Sapient.* 15.

Superbo maximè formidandum divini tribunal Judicij.

FERIA QVINTA.
DE INSTITVTIONE
Sanctissimi Sacramenti.

Accipite & manducate: Hoc est corpus meum. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA,

Ingratus est tanti beneficii, qui se tantùm ex parte immolat, se totũ immolante Christo.

RATIO EST, Quia ille Ingratus est, qui gratitudinem non reddit Benefactori, quam debet, quam potest, & quam scit esse reddendam.

Atqui Ille talis est, qui se tantùm ex parte immolat.

Ergo est ingratus; aut ne tale incurras probũ, omninò te totum debes immolare cum Christo.

I. PUNCTUM.

1. Cor. 11. *IN qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit, & dixit, accipite & manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meâ commemorationem.* Nihil hic non stupendendum supra omnem admirationem, sed illud inprimis cum Apostolo pondera, quod *quâ nocte tradebatur*, id est, quo tempore cogitabant homines de eo perdendo & è vita tollendo, Ipse cogitabat de admirabili illo modo sui relinquendi, & se totum donandi omnibus & singulis hominibus. Nonne est Bonitas oppositа malitiæ & impietati Judæorum? Perge porro de hac bonitate cæterisque admirandis hujus Sanctissimi Sacramenti, quantum feret effectus, meditari; Tùm ad gratitudinem tanto reddendam Beneficio devenies; cumque aliud quod aptius reddas inveniri non possit, quàm ut te totum immoles cum Christo se totum immolante, sic te gratum hoc modo exhibebis, ut nisi hanc reddas gratitudinem, ingratum te prorsus & indignum tanto beneficio sentias, quidquid aliud præstes.

Ratio, quæ hic multum expedi debet, hæc est, quòd ille ingratus sit omnium judicio, qui quam debet, quam potest, & quam probè scit esse reddendam Benefactori gratitudinem & animi testificationem, non tamen reddit. Nonne illum condemnabis? quid enim illum impedit à reddenda gratitudine, quàm perversa voluntas? Talis autem voluntas nonne mera est ingratitudo? nam si non deberet talem ingratitudinem, si nesciret se debere, aut si non posset, certè esset excusandus. Sed cùm hæc tria simul concurrant, quæ ad effectionem cuiuslibet operis plurimum valent, ut debeat, ut sciat, & possit reddere, quod petitur, nec tamen usquam reddit; planè ingratus est & maximè vitiosa eius ingratitudo, cùm sola illi desit voluntas, in qua una posita est gratitudo vel ingratitudo. Vellésne tibi aliquem aut te alicui sic esse ingratum? Nonne vel hoc nomen ingratitudinis execratur animus? Possésne hujus vitii sustinere probrum à Patre factum, velab aliquo insigni Benefactore? An te his velles comprehensum verbis, quibus de ingratis sic quæritur Deus: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me!*

Ps. 1.

II. PUNCTUM.

ATQVI ille, qui cum Christo se ipsum immolante, se tantum ex parte immolat, non reddit illam gratitudinem, quam debet, quam potest, & quam probè scit esse reddendam.

Quatuor hic sigillatim sunt expendenda; Primum est, quòd se Christus Dominus totum immolet in hoc Sacramento & Sacrificio; quod quidem non fit semel sicut in cruce pro omnibus hominibus, sed quotidie pro te uno. *Overbum omni gladio ancipiti penetrabilibus*, Pro te uno quotidie se immolat in altari, sicut semel pro omnibus! Audi Authorem libri de Imitatione Christi: *Lætare anima mea & gratias age Deo pro tam nobili munere & solatio singulari. Nam quoties hoc mysterii recolis, & Christi Corpus accipis, toties tuæ redemptionis opus peragis, & particeps omnium meritorum Christi efficeris. Ita magnum, novum, & jucundum tibi videre debet, cùm celebras aut missam audis, ac si eodem die Christus primùm in uterum Virginis descendens homo factus esset: aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur.*

Hebr. 4.

3. de Imit. Chr. 2.

Secundum, quod perpendas, est, tantam huic beneficio deberi gratitudinem, quantam alteri quicunque; ut autem debita gratitudo reddatur, ipsa debet dari vita, non ex parte, sed tota. Nam si paritas aliqua quærenda est inter beneficium & gratitudinem, non potest hic alia reperiri, quam ut des ei saltem semel viram tuam, qui suam toties pro te dat, dicat & consecrat. Erit quidem adhuc longè magna disparitas, cùm vita tua longissimè sit inferior vitâ Christi; quia tamen nihil supra vitam dare potes, tuâ illâ qualiscumque sit, contentus est: sed nisi eam integrè dones & immoles, non putes ei satisfactum, quidquid aliud agas & offeras. *Quidquid præter te ipsum das*, ait ipse Dominus, ubi post Evangelium apertius loquitur, *nihil curo, quia non quæro datum tuum sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter me, ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato.* Vide ibi plura.

4. de Imit. Ch. 8. & 9

Tertium, Nihil à te petit, quod non possis dare, cum eius gratia, quam ex eo ipso potes intelligere tibi offerri, quando petit à te, quod non potes dare, nisi te adjuvet. Neque verò aliud à te exigit, quàm ne quidquam ex

sensuali

sensuali motu liberè agas, aut loquaris; sed omnia in spiritu & veritate; seu ex ratione & gratia. Quid facilius homini rationali adjuto gratiâ, quàm ex ratione & gratia vivere? quid tibi liberius, quàm tua libertas? quid tam tuum, quàm tua voluntas, quæ non vult aliquid, nisi quia vult illud? *Non est hîc impendium, non est hîc labor, non est hîc temporis exercitatio: sufficit velle & totum factum est,* ait sanctus Joannes Chrysostomus. Idemque alibi; *Magna est vis voluntatis, quâ efficitur nos posse, quod volumus, & non posse illa, qua nolumus.*

Hom. 26. ad Popul.

de Zacch.

Quantum denique, nonne id probè scis te debere & posse, quod quæritur, aut certè ignorare non debes, cùm tot nominibus ei vitam debeas, à quo eam accepisti? Nonne ipse est Creator tuus, Conservator tuus, Redemptor, Justificator, & Glorificator tuus? At nonne propterea te totum illi debes? Novissimè autem cùm te novo obstringit beneficio, quo se totum tibi quotidie immolat, & quo à te repetit, quod iampridem illi debes, an ignorabis te debere; An ignoras quod ait Apostolus, *ut qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est?* An quod ipse Christus tam apertè, *sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

2. Cor. 5.

Ioan. 6.

III. PUNCTUM.

INGRATUS es igitur tanto beneficio si te non immoles, vel si non nisi ex parte te immoles, dum se totum Christus immolat; quia non reddis quod debes, quod potes, & quod scis esse reddendum: unde illud Sapientis tibi non immeritò possit objici: *Bona Repromissoris sibi ascribit peccator, & Ingratus sensu derelinquit liberantem se.* vel quod est apud Jobum: *quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum; cùm ille implesset domos eorum bonis.* Adde, quod sic Ille in Sacramento & Sacrificio se immolat, ut te modum tui simul cum ipso immolandi perfectè doceat. Vide quomodo illic vivit & mortuus est simul. Revera vivit eodem in corpore, quo dum ageret inter homines, vixit, iidem sunt oculi, eædem aures, idem os & lingua, manus & pedes cæteraque corporis membra: sed quomodo iis utitur? perinde ac si mortuus esset; non enim iis utitur corporali modo sed spirituali. Sic tu planè vivens morieris, & mortuus vives, si non aliter oculis cernas, auribus audias, ore loquaris, & toto te moveas corpore atque animo, quàm purè ex motu gratiæ & rationis, nõ ex appetitu vel cõcupiscentia. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis,* ait Apostolus; quod & ante dixerat: *si mortui sumus cũ Christo, credimus quod simul etiã vivemus cũ Christo. Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius; sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Quem in sensum & usum plurimæ submininistrantur in 3. parte Veritates, primis quidem duabus integris hebdomadis; Tùm Feria 5. 6. & Sabbato decimæ tertiæ hebdomadæ. Atque hæc in primis, quæ infrà declaratur Feria 6. quartæ post Pascha hebdomadæ:

Rom. 8.

Ibid. 6.

Quam glorioſum eſt Sacramento multa in nos poſſe ſi velimus, tam ignominioſum eſt pauca poſſe, quòd nolimus.

FERIA SEXTA.

DE PRODITIONE IVDÆ Manifestata à Christo Domino.

Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.
Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi, tu dixisti.
Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10.

RATIO EST, Quia stanti in lubrico & undique ab adversariis concusso, videndum diligenter ne cadat.

Sed quicunque se existimat stare, non aliter stat, quàm in lubrico & inter adversarios.

Ergo illi semper videndum ne cadat.

I. PUNCTUM.

Fierine potuit, quod factum est? Potuitne Judas cogitare, quod executus est? Quis credidisset Apostolum eo unquã perfidiæ deventutum? O Judicia Dei! ô infirmitatem hominis! Malitia quidem Dæmonis est; qui sic hominem tentavit, ut proderet Dominum suum, sed hominis culpa & crimen est, quòd se ita tentari passus sit. Et quod magis mirere, putabat Proditor ita dolosè & clandestinè se posse tegere facinus suum, ut omnes lateret; Ipsi etiam Iudæi consilium cum eo fecerant, ut Iesum dolo tenerent. At non ita bonus Iesus, non ita dissimulanter & fictè cum suis agit; aperit latentes dolos, denudat crimen, proditorem innuit, ut se agnoscat & resipiscat. Vide, quid non fecerit miserator & misericors Dominus, ut perditum hominem revocaret.

Primò quidem denuntiat omnibus Apostolis, unum ex ipsis esse, à quo sit prodendus; Deinde Apostoli multum solliciti & territi, quærunt inter sese de homine, qui hoc facinus audere posset; Tum quærenti ipsi de se ipso Iudæ respondet Dominus, *Tu dixisti.* Nonne hæc ad emolliendum ferreum quodcunque pectus sufficiebant? At verò tùm nihil ille propterea moveretur, cum Christus ipse Dominus horrore sceleris semetipsum turbat, vultum mutat, oculos in altum tollit, suspirat, & alia commoti animi signa dat, &pro
Ioan. 15. testatur, *Væ homini illi, per quem Filius hominis*
Matt. 26. *tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Quid ultra! Benignitatem etiam & quasdam veluti blanditias minis adjungit, intinctum panem porrigit proditori; quod facit, ut faciat citius, monet; ac denique permittit Satanæ, ut cum buccella introeat in eum, & ita concutiat hominem, ut sui pudeat & tædeat. O iterum pavenda Dei judicia! ô rursus, incredibilem hominum infirmitatem!

Quàm verè & sapienter pronuntiatur ab Apostolo Paulo; *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Quis enim non sibi caveret, qui in lubrico suâ ipse infirmitate vacillans & nutans staret, ac præterea multis undique & validis concuteretur adversariis, ad certum casum & ad ruinam proximam? Subjice tibi rem oculis, expende omnia & explora animum miserandi illius hominis, qui sic staret; inquire, quid de se sentiat, quid de suo statu, de sua securitate vel periculo, an sibi vigilet, sibi attendat, sibi à se ipso caveat, à loco, ab hostibus, & aliis periculosis circumstantiis, quibus cingitur? *Horrenda via*, inquit sanctus Augustinus ad illum Psalmi versum, *fiat* *Psal. 34.* *via illorum, tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* HORRENDA *via*! *Tenebras solum quis non horreat? Lubricum solum quis non caveat? In tenebris & lubrico quà is? Vbi pedem figis?*

II. PUNCTUM.

Sed quicunque se existimat stare, non aliter stat, quam in tali lubrico, & medios inter adversarios, qui eum ad ruinam impellant. Nihil notius & nihil frequentius in Scripturis & Patribus, quàm descriptiones talis status. Iam audivisti Prophetam regium non tam optantem quàm prædicentem ita fore. Licet enim dicat *fiat via illorum*, & quæ pergit: *Hæc eis* *1. Tim. 4.* *futura prædixit*, inquit ibi sanctus Augustinus, *non quasi ut evenirent optavit.* *2. Tim. 3.* *Quamquam, & Propheta in spiritu Dei sic ea dicat, quomodo illa Deus facit, certo judicio, bono, justo, sancto, tranquillo, non perturbatus ira, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, sed justitia vitiorum puniendorum: veruntamen Prophetia est.* Id est, prædicit & describit, quid novissimis illis temporibus futurum sit, de quibus Apostolus, *discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.* Et rursum: *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei.* Tunc nihil nisi tenebræ & lubricum. Quod totidem pene verbis Ieremias, aut ipse per Prophetam Dominus: *In* *Ier. 23.* *domo mea inveni malum eorum, ait Dominus:*

Idcirco

Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in ea.

Neque verò longa est interpretatione opus, ad declarandum, quid sit illud lubricum in tenebris, & quinam illi adversarii ac impulsores. Quis enim nescit, quod aiunt tam frequentes Scripturæ, & quod nostro damno nimis experimur, *mundum totum in maligno* 1. Ioan. 5. *positum esse. CREATVRAS Dei in odium factas,* 1. 14. *& in tentationem animabus hominum, & in* Gen. 8. *muscipulam pedibus insipientium. SENSVM ipsum & cogitationem humani cordis in malum prona esse ab adolescentia sua?*

Quis nescit non esse nobis tantùm, *colluctationem adversus carnem & sanguinem, sed* 6. 6. *adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Id est, qui regnant & qui plurima valent arte ac potestate in illo lubrico, densisque tenebris, ubi versamur, & rotamur quodammodo ad eorum nutum & imperium, ut de peccato in peccatum præcipites circumvoluamur; nisi nobis cum Deo diligenter in vigilemus & timeamus.

Hom. 15. ad pop. Ant. Eccl. 9. *Etenim multa nobis munitone opus est,* inquit disertè sanctus Joannes Chrysostomus, *quia multæ sunt undique insidiæ, sicut Salomon admonens dicebat: Agnosce, quod in medio laqueorum transis, & super propugnaculis urbium ambulas. Non dixit, aspice, sed agnosce. Obumbratus est, inquit, laqueus, neque manifesta clades, sed undique obtecta adjacet: propterea dixit agnosce; sicut enim pueri terra laqueos, sic Diabolus vitæ voluptatibus peccata contexit. Sed agnosce perscrutans diligenter:* Et nonnullis interjectis, quæ tertio post commodiùs puncto reservantur, sic pergit aptissimè: *Si enim unus tantum & duo laquei forent, facilis esset custodia, nunc autem ipsorum multitudinem ostendere volens Salomon, quomodo dicit, audias: Agnosce, quod in medio laqueorum pertransis. Non dixit, juxta laqueos pertransis, sed in medio laqueorum. Vtrimque nobis voragines, utrimque doli. Processit quispiam in forum, vidit inimicum, exarsit ex aspectu solo: vidit amicum laudem consequentem, invidit: vidit pauperem, contempsit & despexit: Divitem, & invidit. Vidit speciosam mulierem, captus est. Vidisti quot laquei? Ideo dicit, agnosce, quod in medio laqueorum transis. Et in domo laquei, & in mensa laquei, & in conciombus laquei.*

l. de fuga sæculi c. 1. Quod & sanctus Ambrosius sic paulò strictius exprimebat: *Quis inter tot passiones corporis, inter tantas illecebras huius sæculi tutum atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis evertit. Audivit auris & intentionem inflexit. Inhalavit odor & cogitationem impedivit. Os libavit & crimen reddidit. Tactus contigit & ignem adolevit.* Nonne hoc est stare in lubrico, nonne hoc est in mediis versari periculis? Nonne hoc est cadenti propius, quam stanti similem esse?

III. PUNCTUM.

QVI se ergo existimat stare, videat ne cadat; & eò magis videat & vigilet, quo se magis existimat stare: ne forte præsumat, & præsumptionis suæ pœnas miserando casu luat. Hinc aptè Sapiens, *Beatus homo, qui semper est* Prov. 28. *pavidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.* Itemque alibi: *Si non in timore Domini* Eccles. 27 *tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Quod & fusè Apostolus; *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide* Rom. 11. *ergo bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem, bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Unde & Idem de se ipso, 2. Cor. 9. jam compluries audivisti quàm seriò fateretur se timere, se pugnare, se corpus suum castigare & constringere, ne cùm salvaret alios ipse periret. Quod & sanctus Petrus suos omnes quamtumcunque provectos & sanctos admonebat: *Vos igitur, fratres, præscientes custo-* 2. Pet. 3. *dite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.*

Sancti quoque Patres in idipsum omnes consentiunt. *Hæc sanctis causa tremendi ac metuendi,* inquit sanctus Leo, *ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Rursumque; *Nemo est,* ait, *tanta firmitate suffultus, ut de sua stabilitate debeat esse securus.* Sanctus Gregorius pene totus est in hoc argumento, nec ita pridem auditus est, ubi columnas tremere, & Cedros monstrat pavore concuti. Vide Dominicam proximè præcedentem.

De his porro Cedris copiosè sanctus Au- In medit. gustinus; *Vidimus multos Domine ex patribus nostris, quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitius quodammodo usque ad cælos, & inter sydera nidum suum collocasse, postquam autem*

cecidisse usque ad abyssos: Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis; Et quæ plura prosequitur, quæ cõtracta reperies capite decimo quarto libri tertii de Imitatione Christi; *Ceciderunt stellæ de cœlo, & ego pulvis quid præsumo*; Idem verò S Augustinus in psalmum, *super flumina Babylonis*, timori cautelam sic adjungendam docet: *Flumina Babylonis*, inquit, *sunt omnia, quæ hic amantur & transeunt. Attende quà fluit, attende quà labitur: & si attẽdas, quà fluit & labitur, cave quia trahit, uno naufragio nudus exibis, & rectè te planges in flumine Babylonis, quia noluisti sedere, & flere super flumina Babylonis. O Sancta Sion, ubi totum stat, & nihil fluit, quis nos in ista præcipitavit? Ecce inter fluentia & labentia constituti, vix quisquam raptus à flumine, si tenere lignum potuerit, evadet.*

Ps. 136.

Sanctus autem Chrysostomus quibus & quomodo distinctè ac particulatim cavendis unusquisque invigilet, atque ad praxim qui se stare existimat, ut videat ne forte cadat: *Si lucrum*, inquit, *occurrerit, ne lucrum aspicias solum, sed scrutare diligenter, ne forte mors & peccatum intra lucrum sit absconditum; & si videris, refuge. Rursus cum delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem solum respicias, sed ne fortè iniquitas aliqua involuptatis profundo obumbrata sit, diligenter considera, & si inveneris, resilito. Sive consulat quispiam, sive aduletur, sive obsequatur, sive honores polliceatur, sive quodcunque aliud, omnia cum diligentia examinemus, & undique consideremus, ne forte damnum aliquod, ne fortè periculum aliquod ex consilio, vel honore, vel obsequio, nobis eveniat; & ne celeriter & inconsideratè accurramus.*

Hom. 15. pop. ant.

Denique, quanta hæc fide ac cura sint in praxim quotidianam advocãda, rectè his adjungetur Tridentinum, ubi agit de perseverantiæ munere. *Quod quidem aliunde*, inquit, *haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere: Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere: Veruntamen QVI SE EXISTIMANT STARE, VIDEANT NE CADANT, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate. FORMIDARE enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt nisi cum gratia, Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Sess. 6. c. 13.

Rom. 8.

SABBATO.

DE CONTENTIONE HONORIS, inter Apostolos orta.

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Luc. 22.
Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Phil. 2.

VERITAS PRACTICA.

Licet obtineres, quod ambis, non esset contendendum: At verò licet contendas, non obtinebis.

RATIO postremæ partis quæ hic magis probanda videtur, hæc est, quia quod maximè quæritur & ambitur per contentionem simul ac inanem gloriam, est humana opinio, quâ benè de nobis alii sentiant & loquantur.

Sed illa humana opinio seu existimatio non obtinetur per contentionẽ, neq; per inanem gloriã.

Ergo licet contendas, non obtinebis quod ambis: Ac proinde non omnino contendendum: cum vel licet obtineres, non esset tamen contendendum; quantò minus contendas oportet, cum nihil tua contentione proficias.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

In Ps. 90. QUam verè sanctus Bernardus; *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta!* En Apostolos derepente invadit, & eo tempore quo minimè unquam hoc inordinato motu moveri debuissent. Quid enim magis alienum ab illo exemplo humilitatis, quod eorum Magister & Dominus jã jam ediderat in lavandis eorum pedibus? quid magis adversum præcepto, quod addiderat de se imitando? quid denique magis intempestivum, quam dum eorum unus avaritiâ trahitur ad Iesum perdendum, ipsi superbiâ moveantur ad augendam ejus offensionem & mœstitiam. O iterum ambitio subtile malũ! quis sibi ab eo non caveat ubique, & semper, cùm ita penetret Apostolica pectora recenti etiam corporis Christi communione roborata!

Matt. 20. Verùm ne ultra progrederetur malum, occurrit bonus JESUS, & quod jam pridem illis commendarat, iterum repetit & inculcat; longè aliam sibi esse mentem, longè aliam inter eos contentionem velle se instituere, quâ scilicet de minori potiùs gradu contendant, quàm de majori. *Reges gentium*, inquit, *dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

Luc. 22.

Quæ dum attentè revolueris, vide quàm aptè Apostolus dixerit; *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Quæ quidem Apostoli verba non modò significant nihil esse agendum per contentionem, neque per inanem gloriam. sed licet sic ageres, licet contenderes & inaniter te efferres, nihil tamen obtineres: quo in sensu potissimum considerata sunt, ut inde Veritas efficacior formaretur. Quid enim aptius ad contentionem & inanem gloriam reprimendam, quàm si probè intelligatur, nihil eorum, quæ ambias, sic obtineri?

Phil. 2.

Sic autem demonstratur; Nam quid quæritur ista honorum contentione, quid ambitur, quid prætenditur? hoc unum est scilicet, coli ab aliis, æstimari, prædicari, esse in opinione, in sermone, monstrari digito, & dicier *hic est.* Nonne illud est præcipuè, quod contenditur & ambitur? Sanctus Augustinus hunc ambitionis affectum, hoc esse interpretatur, quod timeri & amari velle ab hominibus, quo maximè impelluntur à Dæmone, qui sibi satis non cavent. *Nobis*, inquit, *quoniã propter quadam humanæ Societatis officia necessarium est amari & timeri ab hominibus, instat Adversarius veræ Beatitudinis nostræ, ubique spargens in laqueis,* EUGE EUGE, *ut dum avidè colligimus, incautè capiamur, & à veritate tua,* Deum alloquitur, *gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus, libeatque nos amari & timeri, non propter te, sed pro te,* id est loco tui, *atque isto modo sui similes factos secum habeat non ad concordiam Charitatis, sed ad consortium supplicii, qui statuit sedem suam ponere in aquilonem:* Quis crederet se his humanis affectibus & contentionibus sic immiscere Dæmonem, sic nos inescare, sic nos decipere?

L. 10. Confess. c. 36.

II. PUNCTUM.

SED *neque obtinetur illa opinio, quæ quæritur per contentionem aut inanem gloriam.*

Hoc enim ipso, quo quis noscitur ambitiosus & superbus, dejicitur humanâ opinione & æstimatione, adeò etiam apud *homines odibilis est superbia,* ut ait Sapiens, ut longè magis videas honorari humiles & alienos ab istis contentionibus, quàm ipsos contentiosos: Unde idem Sapiens, *Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis.* Sicut ergo divino & humano testimonio constat, nullam viam esse certiorem ad opinionem sibi etiam nolenti conciliãdam, quàm si humilitatem profiteasimiles

Prov. 16.

Ibid. 20.

ris aut præ te feras: ita planè certum est nihil esse proclivius ad humiliationem & infamiã, quàm si quis altiùs se efferat, & si propterea contendat & dimicet. Tunc Deus & homines veluti conspiratione factâ conveniunt ad illum deprimẽdum & abiiciendum. Sic enim passim scriptura, *Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.* CONTRITIONEM *præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* QVI *altam facit domum suam, quærit ruinam.* SICVT *eructant præcordia fœtentium, & sicut*

Eccles. 10. Prov. 16. Ibid. 17. Eccles. 11.

sicut perdix inducitur in caveam, & ut capra in laqueum, & sic cor superborum.

3. de Doct. Chr. c. 13. In Ps. 118. Denique, ut ait sanctus Augustinus, *Nulla fere pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* Ubi & sanctus Ambrosius; *Tanquam sua,* inquit, *contumeliæ propulsator veluti quoddam susceptit adversus superbiam, speciale certamen, tanquam dicat, meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.* Dicitur autem præcipuè lacessi Deus per contentionem & honorem seu ambitionem, quòd Dei sit ordinare, disponere, & unicuique dare, prout voluerit, non prout appetitus inordinatus ambierit. Prov. 8. *Per me,* inquit, *Reges regnant, per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Unde ipse se opponit ambienti, vel impediendo ne obtineat gradum, quem prætendit, vel in eo gradu honorem, quem maximè quærit. l. 2. de Consid. *O Ambitio, Ambientium crux!* ait aptè sanctus Bernardus, quâ videlicet maximè cruciantur, dum se minus honorari vident, quàm vellent.

III. PUNCTUM.

LICET *ergo contendas, non obtinebis, quod contendis.* Nihil gloriæ, nihil glorioſæ opinionis obtinebis apud homines; ac proinde nihil contentiosè & superbè agas, cum ob id unum contendatur, ut humana gloria comparetur. Certè sunt alia motiva præstantiora, quæ expendi possunt, & illud præcipuè, quòd hîc à Christo Domino proponitur; Sed homini contentioso & inani hoc repræsentatum est, ut si dignitate & utilitate virtutis oppositæ non moveatur; utilitate & inutilitate sui vitii deterreatur. Sic porrò utrumque breviter est complexus S. Cyprianus: *Ille, qui præsumit & contumax est, vir sui* Ep. 3. l. 1. *jactans, nihil omnino proficiet, qui dilatavit tanquam infernus animam suam: Exaltatio & inflatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per Prophetam Dominus: Tu autem dixisti in animo tuo, in cœlum ascendam, super* Is. 14. *stellas cœli ponam sedem meam, &c. VERE inanus gloria, mala pestis, vanitas maxima,* non modo quia, *à vera trahit gloriâ, & cœlesti spoliat gratiâ,* ut ait Gerson, sed quia promis- Lib. 3. sam sibi hominum opinionem non possidet, c. 40. aut etiamsi possideat, rem valde inanem & vacuam possidet, qualis est hominum opinio.

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid Psal. 4. *diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quasi diceret, ut interpretatur S. Augustinus: *Saltem usque in adventum filii Dei, vester error duraverit, quid ergo ultra graves corde estis? Quando habituri finem fallaciarum, si Veritate præsente non habetis? Quid vultis beati esse de infimis? Sola Veritas facit beatos; ex qua vera sunt omnia: nam vanitas est vanitatum, & omnia vanitas. Quæ abundantia hominis in omni labore suo ipse laborat sub sole? Vt quid ergo temporalium rerum amore detinemini? Vt quid tanquam prima, extrema sectamini, quod est vanitas & mendacium? Cupitis enim permanere vobiscum, quæ omnia transeunt tanquam umbra.*

DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

DE PARABOLA SEMINIS SEMINATI IN TERRAM, CUJUS TRES PARTES SUNT INFRUCTUOSÆ.

Semen est Verbum Dei. Luc. 8.

VERITAS PRACTICA.

Nisi Verbum Dei te convertat, Tu pervertes Verbum Dei.

RATIO EST, Quia nisi Verbum Dei te convertat, manifestè videbis te repugnare Verbo Dei. Sed tu potius pervertes Verbum Dei, quàm manifestè velis videre te illi repugnare. Ergo nisi Verbum Dei te convertat, Tu pervertes Verbum Dei. Quod certè crimen ut avertas, nonne te potius converti expedit?

I. PUNCTUM.

CVM turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinẽ: Exiit, qui seminat seminare semen suum. Vide in textu Evãgelii parabolam integram. Est enim valde insignis & fructuosa, quam cùm Dominus sit ipse interpretatus de Verbo Dei, multæ hinc formantur Veritates Practicæ, quæ hic breviter indicatæ poterunt facillimè dilatari.

Prima est universim de Verbo Dei sic attentè audiẽdo & utiliter retinendo, ut inde prorsus convertaris, & tetorum illi conformes. Nam alioquin vide quò incidas: *Nisi Verbum Dei te convertat, Tu pervertes Verbum Dei.* Vellesne hoc tantum nefas! Sic autem facile demonstratur: Nam nisi Verbum Dei te convertat, ut jam dicetur, tu manifestè videbis te repugnare Verbo Dei. Tu quis es, qui hæc legis vel audis? Aut valde perfectus es, quod nõ est de te præsumendum, aut erit aliquis in te defectus, cui Verbum Dei opponitur. Nonne aliquid restat iræ, vel superbiæ, vel invidiæ, vel negligentiæ, vel alicujus demum vitii perfectius edomandi? Quem teipsum facis? non forte sicut cæteros hominum, ô cave hanc præsumptionem.

Qualecunque autem sit illud vitium, nonne habet oppositum aliquod Dei Verbum, aut generatim, aut particulatim in Scriptura sacra denuntiatum? Verè enim S. Augustinus, *Quidquid homo extrà didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si utile est, ibi invenitur; & cùm ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius inveniet ea, quæ nusquã omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* L. 2. Doct. Ch. c. 42. Quorsum autem putas illud Dei Verbum sic denuntiatum, nisi ut te ab illo convertat vitio? *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum,* inquit Propheta. Oseæ 14. Hoc est enim quod dicimus, converti Verbo Dei, quasi diceretur, per auditum Dei Verbũ deponere vitium aliquod, quo appositio sicut pervertitur animus, ita eo depositio convertitur & sanatur. *Misit verbum suum, & sanavit eos.* Psal. 106. Nisi verò deponatur, nonne manifestè videbis, quod, quantùm tali vitio, cui consentis, Verbum Dei opponitur, tantùm te illi repugnare Verbo? Consensus ille est, qui facit vitium; Consensus ille est, cui verbum opponitur; Consensus ille est denique, quo repugnas Dei Verbo. Quid clarius?

Converte gladium tuum in locum suum. Matt. 26. *Quomodo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Quasi diceret Dominus Petro: dum promeretre sic pugnas, ne capiar ab inimicis, re-

pugnas Scripturis, quæ dicunt me capiendum. Dum pro me te opponis contra Scripturas; tu te mihi opponis, qui loquor in Scripturis. Nisi convertas gladium in locum suum, tu illum in me convertis, dum sic mihi repugnas, repugnando verbis meis. Sic planè tibi superbe & iracunde, sic tibi manifestè fit, quod nisi Verbum Dei te ab illo tuo convertat vitio, quoties illud divinum audies Verbum, toties manifestè videbis te illi repugnare Verbo; seu quod idem est, tibi Verbum illud repugnare, sicut Pharizæi, cum audirent Christum:
Matt. 21. *Cognoverunt*, inquit Sacer textus, *quod de ipsis diceret, & quærentes eum tenere, timuerunt turbas.*

II. PUNCTUM.

Sed tu potius pervertes Verbum Dei, quàm manifestè velis videre te illi Verbo repugnare.

Quod enim Conscientiam manifestè lædit, & animi tranquillitatem evertit, quis nisi perversus velit? quis verò nisi infidelis non sentiat suam lædi Conscientiã & animi tranquillitatem agitari, si manifestè videat se Verbo Dei repugnare? Quid est enim Verbum Dei nisi Veritas, nisi salus æterna, nisi gratia, nisi Dei intellectus & voluntas, nisi Deus ipse se suo Verbo manifestans? Ac proinde repugnare Verbo Dei, quid est, quam repugnare Veritati saluti suæ, Divinæ Gratiæ, divino Intellectui, Divinæ voluntati, ac ipsi Deo? Possesne verò manifestè cognoscere te ita Deo toti repugnare, nec turbari, nec angi, nec cruciari? Poterisne porro diutius in illo vivere cruciatu? Non poteris, non patieris, non ita
Eccles. 30. vives. *Iucunditas cordis hæc est vita hominis*, inquit Sapiens; Qui tollit jucunditatem, tollit vitam. Tollit vero jucunditatem, qui tollit Conscientiam, id est, qui tollit à se Veritatem, qui tollit à se gratiam, & Divinam voluntatem, quæ in Verbo Dei continetur.

Ac proinde hoc unum superest, ut, qui verbo Dei converti non vis, Verbum Dei pervertas, id est, aliter interpretetis, quàm intelligitur. Nam è tribus unum necessariò est eligendum, aut converti verbo, aut habere verbum sibi oppositum, aut negare illud verbum seu verum eius sensum, & alium affingere, qui placeat & nobis palpet. Duo prima non vis, non vis converti, nec vis habere verbum oppositum, quid ergo superest, nisi te aut illud negare esse Verbum Divinum, aut tuo depravare sensu quemadmodum hæretici, schismatici & alii non rectè sentientes, *depravant Scripturas*, inquit sanctus Petrus, *ad suam ipsorum perditionem*? Nam ut ait Tertullianus, *tantum Veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.* Alludit ad dictum Apostoli: *Non sumus sicut plurimi adulterantes seu cauponantes Verbum Dei*, qua loquendi forma, plurimum confirmantur, quæ dicta sunt; Nã sicut corrupto vino permiscentur à Caupone aliqua, quæ vini vitium tegant, & gustum acuant ad bibendum; ita planè, qui scripturas depravat, quia sibi amaras sentit, suum illis corruptum immiscet sensum, ut dulciores faciat. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.*

2. Pet. 3.
L. de præscript. c. 17.
2. Cor. 2.
Apoc. 22.

III. PUNCTUM.

Quàm satius igitur cedendum esset Veritati! Quàm satius Verbo Dei convertendus esses! Nam apertè vides, quod nisi Verbum Dei te convertat, Tu verbum Dei pervertes, tu tibi finges sensum, quo non erit tibi oppositum Verbum, ut sic tranquillè vivas, & sic tibi cauteriatam facias Conscientiam, de qua fusè dictum est in prima parte: sicque sensim eo devenies ut vel apertè accuses Deum, qui tibi contradicit, vel te falsò excuses, fingendo te aliter audivisse & accepisse, quod dixit.

Sic aptè sanctus Augustinus in illud Psalmi: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi. QVARE expugnaverunt*, inquit, *quia non potuerunt mihi: quid est, non potuerunt mihi, non illis consensi ad malum. Omnis enim malus ideo prosequitur bonum, quia non illi consentit bonus ad malum.* SONAT VERBUM, SONAT SERMO CONTRADICTOR LIBIDINIS, *At ille amicus libidinis suæ, & inimicus sermoni contradicenti amicæ suæ, infestus est & odit Sermonem Dei. Facta est amica avaritia, inimicus Deus. Contradicit enim Deus avaritiæ.* Et post nonnulla, *Cum odisse caperit, quæ scilicet jubet Deus, incipit velle criminari eos, à quibus audit bona præcepta, & velle per suspiciones suas crimina quærere servorum Dei. Qui nobis ista dicunt, & ipsi non faciunt ista, Nos quid respondemus?*

Ps. 128.

Nolite

Noli me attendere, sermonem istius attende, ipse tibi loquitur per quemlibet, huic tu inimicus es. Concorda cum adversario tuo, cùm es cum eo in via. ADVERSARIUM TUUM SERMONEM DEI FECISTI. *Noli attendere, quia ille tibi loquitur: malus est, per quem tibi loquitur, sed non est malus, qui tibi loquitur, Sermo Dei Accusa Deum, accusa si potes. Creditis fratres, huc usque pervenisse eos, de quibus dicitur, sæpe expugnaverunt me à juventute mea, ut etiam ipsum Deum accusare non dubitent.*

Nolles quidem id apertè, sed vide tamen quid sentias de his aut similibus scripturæ locis, quæ tuos premunt inordinatos affectus.

Luc.6. *Væ cum benedixerint vobis homines. VÆ vobis,*
Ibid.11. *qui ridetis nunc. Væ vobis, quia diligitis primas*
Matt.18. *cathedras. NISI conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum. VOS autem non sic,* ubi scilicet agitur de honore, non sic sicut sentitur & agitur. *Regnum meum non est de hoc mundo. SI in viridi ligno hæc faciunt; in arido, quid fiet? QUIA tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Luc. 22. Ioan. 18. Luc. 23. Apoc. 3.

Certe nisi de tuo corrupto sensu his Christi Domini Verbis affingas, habes in illis, quod videas tibi oppositum, seu præjudicatum, & quod in illa timeas oppositione. Si verò quid affingas, longè magis habes, quod timeas. *Non potest solvi Scriptura.*

Ioan. 10.

Vide in 4. parte, Feria secunda infra hebdomadam decimam quintam:

Quod nisi se quisquis Christo conformet, sibi Christum conformabit.

EODEM DIE,

DE PRIMO IMPEDIMENTO VERBI DEI:

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud. Hi sunt, qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Luc. 8.

VERITAS PRACTICA.

Quæ pœna timenda est in non servato deposito, hæc est timenda in Verbo Dei, secus viam exposito.

RATIO EST, Quia pœna gravior, quæ est timenda in non servato deposito, provenit ab ea culpa, quæ dicitur lata vel latissima.

Sed eadem culpa intervenit in Verbo Dei, secus viam exposito.

Ergo & quæ pœna timenda est in non servato deposito, hæc est timenda in Verbo Dei secus viam exposito.

I. PUNCTUM.

AUditorum Verbi Divini quadruplex esse genus designat Dominus per similitudinem quadruplicis terræ, cujus tres partes non sunt aptæ ad referendum fructum.

Prima pars seu species terræ, in qua semen perit, terra est secus viam, id est, extrema illa campi pars est, quæ viæ jungitur, & à viatoribus perinde teritur & calcatur ac ipsa via, unde fit, ut semen ibi jactum, sit magis expositum sive ut conculcetur & dispergatur à transeuntibus, sive ut à volucribus auferatur, quia non latet intra glebas vel sulcos, sed patet extrà, & aves ad se allicit tanquam ad escam, & facile ab eis carpitur.

Hi sunt autem homines, qui audiunt quidem Verbum Dei, sed oscitanter, nulla cum attentione, nulla vel Intellectus vel voluntatis applicatione ad res, quas audiunt; vel alia omnia cogitant, illo ipso, quo audiunt tempore: vel tametsi audiverunt, tam parum auditis afficiuntur & moventur, ac si nihil audivissent. Longè alia mens illis est, Toti sunt in nugis, & in his captandis mundi reçulis, quæ primò incurrunt obviæ, quo in statu nihil prorsus proficiunt ex audito Dei Verbo.

Quia verò multi tales sunt, qui nec quantam inde jacturam faciant, nec quantâ propterea incurrant culpam & pœnam, recogitant, idcirco proposita Veritate admonentur, ut resipiscant & audiant, *Quod, quæ pœna timenda est in non servato deposito, hæc est timenda in verbo Dei secus viam exposito.* Id est, sic audito verbo sicut ab his auditur hominibus, qui sunt similes terræ secus viam positæ, quæ nullum accepti seminis fructum refert.

Ratio petitur ex illa Doctrinæ moralis parte, quæ de jure agit & de Justitia, ubi quæstiones de Depositо & de Commodato proponuntur, an si pereant culpâ illi apud quos deponuntur, pœnâ is incurrat restituendæ rei perditæ. Respondentque uno prorsus ore juris Interpretes, quod si culpa sit levis, nullam incurri pœnam, si verò sit culpa gravis, & quam ipsi vocant latam, id est ex aperta & patenti negligentia proficiscentem, tunc astringi Depositarium ad jacturam reparandam. Dicitur verò patens & aperta negligentia, quando nō ea est diligentia, quam vulgo solent homines ejusdem status & conditionis adhibere in rebus suis ejusmodi observandis, ut si quis depositam pecuniam in obserata non servaret arca, sed eam foris exponeret; Neque enim solet pecunia sic exponi, unde Sapiens monet sic quærendam & servandam sapientiam sicut servari solet pecunia. Mererетur certè Sapientia diligentius observari, neque tamen ita colitur & observatur sicut pecunia: sic sunt homines rerum internarum & spiritualium pravi æstimatores. *Prov. 2.*

II. PUNCTUM.

SED eadem culpa intervenit in Verbo Dei secus viam exposito.

Id est ejusdem culpæ & negligentiæ reus est ille, qui se non aliter exhibet ad Verbum Dei audiendum, quàm se illa terra exhibeat ad recipiendum semen, quæ est vicina viæ, ut dictum est. Sic expressè Tirinus interpretatur moraliter illa verba *secus viam*, negligendo & apertis periculis exponendo Verbum Dei, quasi diceretur, hoc ipsum peccando, quod peccat qui exponit furto rem commodatam aut sibi concreditam, ac depositam; lata est utrobique negligentia, par in utroque culpa.

Cur enim peccat, qui exponit depositum, nisi quia non eam adhibet diligentiam, quæ ad illud servandum esset adhibenda? Nonne verò ille auditor oscitans, & pervius quibuscunque recipiendis cogitationibus animum aliò distrahentibus, nonne idem prorsus peccat? Nonne tanquam depositum accipit Dei Verbum? Nonne acceptum tenetur tam diligenter custodire ut ipsius non pereat negligentia? Nonne deest suo huic officio, dū nulla custodia servat cor suum, nullis spinis sepit aures suas, nulla lege continet oculos, nullo fræno linguam moderatur? Nonne hoc intendebat Apostolus, cum diceret; *& Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quā quidam promittentes, circa fidem exciderunt;* Quasi diceret, serva tam diligenter incorruptum illud Dei Verbum, quod à me accepisti, ut ne quidem loquendo de divinis rebus, nova quædam usurpes nomina, quæ præ se ferunt aliquid singulare & eximium. Quod in sequenti epistola ad eundem sic apertè explanat: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu? Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Id est, non vulgari, non mundana & humana, quantumvis solicita custodia servandum est hoc depositum, sed spirituali, sed divina, sed quali Spiritus ipse sanctus illud custodit: nihil planè committendo, quod sit oppositum, nihil prorsus omittendo, quod sit appositum. *1. Tim. 6.* *2. Tim. 1.*

Poteratne fingi aliquid altius ad illam diligentiam commendandam? Poteratne dici quidquam apertius ad oppositam illius manifestandam negligentiam & latam culpam, *Qui*, ut ait sanctus Matthæus, *secus viam seminatus est.* *Matt. 13.*

III. PUNCTUM.

QUÆ pœna igitur timenda est in non servato depositо, hæc est timenda in Verbo Dei secus viam exposito. Quia pari culpæ par pœna respondet; par autem culpa est, ubi par negligentia reperitur, in re consimili, quæ apertè omnem exigebat cautionem & diligentiam. *Serve male & piger! INVTILEM servum ejicite in tenebras exteriores.* *Matt. 25.*

Certè si quæ est culpæ disparitas, in eo potissimum est, quod, quàm longè pretiosius est re quavis humana Verbum Dei: major sit etiā illius

illius hominis, qui Verbum Dei accipit, obligatio ut illud servet, & major proinde negligentia, si ejus culpa pereat: unde non dubitavit sanctus Augustinus affirmare tantam hujus esse culpæ gravitatem, quãta esset, si Corpus ipsum Christi Domini, per cujusquam incuriam, forte in terram caderet.

Verba ejus referuntur in 3. parte, Feria secunda infra octavã hebdomadam: satis modò hic gravis pœna colligitur inde luenda, quod qui negligit Verbum Dei, non minus sit reus, nec minori pœnæ obnoxius, quam qui neglecti & perditi depositi reus esset. Cum enim talis reus teneatur restituere depositum perditum, sive aliquid æquivalens reddere; quis non videat, quales se in angustias redigat, qui negligit, & qui sua negligentia perdit Verbum Dei? Quid enim æquale reddet perdito Dei Verbo! Quid enim æquale reddet tot donis & tot gratiis, quæ simul cum Verbo Dei paratæ erant sese in te effundere? Quid æquale reddes divino Sanguini, qui pro illis fusus est gratiis? Quid æquale reddes divinæ Gloriæ, quæ inde secutura erat? Quid æquale saluti & æternitati, cujus perit bonum cum Verbo pereunte?

Ah si scires donum Dei, & quis est, qui loquitur tecum! Ah si scires fraudem Diaboli, & quis est, qui te avertit ab illo audiendo? *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.* Quod primò fit culpæ, fiet pœnæ; culpa eorum est, quod nimis vagentur animo per res universas, nec se satis contineant audiendo Dei Verbo: at eorum erit pœna, quod sic deinceps vagentur, ut cùm velint se continere, non ita possint, ut poterant. *Ioan. 4.* *Osee 9.*

DE SECVNDO IMPEDIMENTO VERBI DEI

Et aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.
Qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt Verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Luc. 8.
Non habet in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter Verbum, continuò scandalizatur. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Qui ad tempus credunt, nullo credunt tempore.
Qui temporales sunt, nullius sunt temporis.

RATIO EST, Quia nullo hi credunt tempore nec ullius sunt temporis, quantum ad virtutis spectat exercitium, qui non exercent fidem aut aliam virtutem, quo debet exerceri tempore.
Sed qui ad tempus credunt, & qui sunt temporales, non exercent fidem aut virtutem, quo debet exerceri tempore.
Ergo nec ullo credunt tempore, nec ullius sunt temporis aut virtutis.
Quòd certè frequens est & valde lugendum.

I. PUNCTUM.

SEcundum genus eorum, qui sine fructu Verbum Dei audiunt, hi sunt velut terra petrosa, quæ recipit quidem semen in se jactum, & ex eo producit nonnullam herbã, ad aliquod tempus virescentem; sed ubi sol incaluerit, & calore terra cæperit æstuare; tunc arescit illa viriditas, & elanguens herba, ipso pene, quo apparet, disparet die. Sic illi planè, satis libenter & attentè de divinis audiunt, & auditis videntur affici, atque etiam de se excitare spem aliquam futuri fructus; sed quando virtutis exercendæ sese offert occasio, si quid difficultatis in illa exercenda sentiant, difficultati cedunt, & ab omni discedunt Virtute. Propterea dicuntur temporales seu temporarii qui, quo tempore nihil est operosum, mira videntur operari; sed si opus sit humile, si tantisper arduum vel non

probatum mundo, timeantque suæ famæ, suis studiis, & suis commodis, tunc vel ad unum joculare verbum, quo se lædi putent, seipsos lædunt & conficiunt sua lævitate & inconstantia.

Quod quam sit infrugiferum & damnosum, sic brevius & facilius ex proposita patebit Veritate. *Qui nempe sunt temporales ad Virtutem, nullius sunt temporis & virtutis.*

Id est, nullo exercent virtutem tempore.

Rationes multæ sunt, quæ id monstrent, ut patet infra, in secunda Feria, post Dominicam secundam Quadragesimæ, ubi conformis Veritas agitatur; Quæ verò hic affertur Ratio præsupponit, quod ait Sapiens. *Eccl, 8.* *Tempus & responsionem cor sapientis intelligit Omni negotio & omni Virtuti tempus est & opportunitas.* Omne quidem tempus virtuti est opportunum, sed non omnis virtus est opportuna tempori. *Nid. 3.* *Tempus est dilectionis & tempus odij, sicque suis spatiis transeunt universa sub cœlo.* Atque inde fit ut quæ actio facta suo tempore virtus esset, fiat vitium si fiat alieno: Unde *Eccles. 20* illud Ecclesiastici: *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo.* Nonne & ipse Deus, *Tempore*, inquit *accepto* *2. Cor. 6.* *exaudivi te, & in die salutis adjuvi te? Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Nempe huic modò tempori sua est virtus, & huic virtuti sua est gratia, quæ nec alteri tempori, nec virtuti esset opportuna, *Jer. 8.* *Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati sumus.* Id est, non advertimus ad illud tempus, quo salvandi eramus sicque miseri perierunt illo ipso tempore, quo salvari poterant, si advertissent.

II. PUNCTUM.

SED temporales non exercent Virtutem, quo debet exerceri tempore, Tempus enim virtutis exercendæ, tempus illud est, quo virtutem deserunt, *Tempus est tentationis, in quo recedunt,* ut ait Dominus, tempus est, quod ad probationem virtutis, à Deo erat ordinatum: tempus est, quo gratia præsens aderat: tempus est, quo suam probare fidelitatem debuerant: tempus est, quo præterita malè acta redimenda erant, & futuris consulendum. Tempus denique est vitandæ culpæ, quo tempore tam necessaria virtus erat, ut nullo tempore sit magis necessaria, quia nihil est in omni genere necessitatis, & in omni temporis latitudine tam necessarium, quàm non peccare, cui necessitati cætera cedant oportet omnia. *Eccle. 15.* *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.* Quasi diceret Sapiens: satis multi sefilios & cultores Dei præberent, si colendo Deo satis esset virtutem aliquando exercere, quando videlicet nulla ejus exercendæ est difficultas: sed tales filij prorsus sunt infideles & inutiles, qui quò potissimum tempore probanda eorum fidelitas & opera, tunc discedunt & deficiunt. At verò Deus tales non admittit, & mavult paucos fideles atque utiles, quàm multitudinem infidelium & inutilium. *Ibid.* *Non enim necessarij sunt ei homines impij,* cùm videlicet suam Deo non navent operam, quando præcipuè necessitas exigeret in vitandis culpis, Deus illorum operam non exigit in aliis, quæ forte vellent reddere, ministeriis & obsequiis, *Domine, Domine, aperi* *Matth. 5.* *nobis. Amen dico vobis: nescio vos.*

III. PUNCTUM.

QUI sunt ergo temporales ad virtutem exercendam, nullius sunt ad virtutem temporis *Sap 5.* *nec ullius virtutis, VIRTVTIS,* inquiunt, *nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt,* Non sic loquebantur in terra, cum sibi fingerent esse virtutem quod erat merè naturale & politicum: quando virtutem duntaxat exercebant, ubi nulla esset difficultas, nec honoris, aut bonorum jactura. Sed jam in inferno de bonis & de malis hujus vitæ longè aliter sentiunt & judicant, quia suo ibi damno vident, quàm decepti fuerint, dum aliquoties tantum & non semper, & non eo præsertim tempore virtutem exercere voluerunt, quo scilicet exercenda erat, quo vitandæ culpæ vel minimæ, quo erant ferendæ potius injuriæ quam inferendæ: quo erat potius moriendum quam peccandum. *Eccles. 4.* *Agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro Justitia.* Quid autem justius quàm non peccare? Hoc est, in quo deficiunt temporales, & in quo proficiunt æterni Verbi Cultores.

DE

DE TERTIO ET POSTREMO IMPEDIMENTO DIVINI VERBI.

Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus & divitiis. & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum. Luc. 8.

VERITAS PRACTICA.

Inordinatæ solicitudines ita nocivæ sunt, ut illud ipsum Christi Verbum, quo dicuntur alia Dei Verba suffocare, suffocent.

RATIO, quæ id demonstrat hæc est, quòd tunc solicitudines suffocare Verbum Divinum dicuntur, quando impediunt ejus fructum.

Sed inordinatæ solicitudines impediunt fructum hujus Verbi, quo eas Christus dicit alia Dei Verba suffocare.

Ergo & illud ipsum Christi Verbum suffocant. Vnde & facile est colligere, quàm sint nocivæ & cavendæ.

I. PUNCTUM.

TERTIUM & postremum illud impedimentum Verbi divini, quod ponitur, tria præ cæteris habet incommoda, quibus difficile curatu redditur. Primum est, quod sit magis universale & commune vix enim ullus est mortalium, qui non nimis afficiatur erga divitias & voluptates hujus vitæ, quique propterea plus æquo non angantur & solicitetur.

Secundum est, quod hæc divitiarum solicitudo longè pluribus modis, quàm alia impedimenta fructum spiritualem impediat; nempe his quatuor modis, quibus spinæ possint nocere semini. Primo enim obstant ne semen in terram penetret; Deinde ne sol lucem & calorem infundat; Tertiò ne terra sufficientem succum submini-stret alendo semini, cùm ipsæ spinæ bonam terræ partem exsuccent; Denique si semen pullulet, illud suffocant. Sic prorsus illæ solicitudines & avocant animum, ne audiat Verbum Dei: & sese quodammodo divinis opponunt luminibus & meliorem animæ partem ad se retrahunt, ut vix vacet audito Dei verbo secum revolvendo: & si quid demum ex auditis vellet proficere, profectum statim suffocant.

Tertium verò incommodum est, quòd sicut spinæ sunt aculeatæ & pungentes, ita & illæ divitiarum curæ ac solicitudines mentem excrucient & dilanient, eoque etiam animo Christus hanc similitudinem proposuerit ut perspecta hac sensibili acerbitate conjunctim cum aliis detrimentis spiritualibus, magis moveremur ad has curas excidendas. Vix tamen propterea ullus moveatur, vix ullus Christo cedat, vix ullus credat, vix unus revera sentiat, quod divitiæ sint velut spinæ, nec aliunde defectus iste fidei proveniat, quã ex ipsis solicitudinibus, quæ ita mentem humanam fascinant & dementant, ut quod est apud Job; *esse sub sentibus delicias computet.* *Iob. 30.*

Atque hinc eruta Veritas, qua manifestè pateat, Quàm sint nocivæ & cavendæ solicitudines, *ut quæ ipsum Christi verbum, quo dicuntur alia Dei Verba suffocare, suffocent.*

Ratio, quæ affertur, rem totam paucis explicat, dum primò suggerit suffocari Divinum Verbum nihil aliud esse, quam impediri fructum eius. Hoc est enim intentum parabolæ, ut universim aperiat, quibus modis impediatur fructus Evangelij seu Divini Verbi: Cumque hoc unum ex impedimentis afferatur, quod solicitudo divitiarum velut spinæ suffocent verbum, non alia profecto mente id dictum est, quam ut significetur sic impediri fructum ejus. Sicut enim suffocatum semen redditur infructuosum, sic & verbum Dei, si humano in corde opprimatur & veluti suffocetur, suo privatur fructu. Et sicut dicuntur ea præcipuè suffocari, quæ aliquam habent vitam seu vegetantem seu sensitivam, ac proinde quæ respiratione quadam egent, quæ si tollitur, eorum vita tollitur: Sic Divinum Verbum vitale est, & vitæ spiritualis ac æternæ non modo semen, sed quoddam velut initium, cui sua sunt propria quædam cælitus respi-

respirandi spatia, quæ si arctius constringantur & opprimantur, tunc planè intereat necesse est; sicque interite Verbum Dei, hoc ipsum est, quod esse irritum & sine fructu. *Et irritum feciſtis mandatum Dei.* ET NON REFERUNT FRUCTUM, ait Dominus.

Matth. 15 Luc. 8.

II PUNCTUM.

SED inordinatæ divitiarum ſolicitudines impediunt fructum illius verbi, quo Chriſtus Dominus eas dicit alia Dei Verba ſuffocare.

Nam fructus illius verbi est, ut cum homines illud audiverint & crediderint, tum inordinatum divitiarum affectum unde procreantur illæ solicitudines, deponant, aut temperent, Hoc intendebat imprimis Christus Dominus, hoc premebat, hoc urgebat; *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra NON poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis, NON graventur corda veſtra curis huius vitæ.* Quod ut persuaderet, nihil aptius dici poterat, quam si diceretur, non modò infructuosas illas esse curas, sed & graves, damnosas & lethiferas. Hoc est autem quod Christus dixit, cum dixit eas esse velut spinas, quarum vel ipsa species fœda est, onus grave, & contractus tam molestus ut sit intolerandus. Vellesne spinis carne nuda circumdari? Posseturne verò Cor humanum spina tangi, & non lædi, & non mori?

Matth. 6. Luc. 21.

Quis autem fructus hujus sermonis? Quis sæcularium non sic amet divitias? non sic eis Cor apponat suum; non sic inde solicitetur & satagat, perinde ac si Christus Dominus nihil esset contra locutus? Quis eorum credat suas de habendis divitiis curas esse velut spinas, cùm nihil suavius sibi esse putet, quam in talibus versari curis? *Si promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Si oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, ſi boves eorum craſſæ,* Nonne beatum, ut olim, antequam veniret Christus, dixerunt populum cui hæc sunt; Dicat quantumvis divites miseros Christus: Illi beatos semper prædicant. Dicat quantumvis amaras opum congregandarum curas: Illi delicias suas affirmabunt, Sed Christus est, qui loquitur, & qui mentiri non potest Deus, Deus ipse est, qui sæculares curas ait esse spinas. Verùm id viri sæculares non recogitant, non id sapiunt, non id sibi dictum putant; Sic suis involvuntur curis, & toti occupantur solicitudinibus huius vitæ, ut nihil supersit otij, nihil vigoris, nihil ingenij, nihil facultatis ad memorandum Christi Verbum.

Pſ. 143.

At nonne sentiunt ipsos spinarum aculeos ipsas curarum molestias, ipsas molestiarum moles & amaritudines: sentirent sanè nisi sensum obtunderent, & nisi suis inebriarentur amaritudinibus? *Inebriavit me abſynthio,* dicebat in eorum persona Jeremias, ut rectè notavit sanctus Gregorius: *nam ebrius quisque, quod patitur, neſcit, qui verò abſynthio inebriebatur, & hoc, quod ſumpſit, amarum eſt, & tamen non intelligit eandem amaritudinem, qua repletur. Humanum igitur genus recto Dei judicio in voluptatibus ſuis ſibi dimiſſum, atque per eaſdem voluptates ſpontaneis tribulationibus traditum, abſynthio eſt ebrium, quia & amara ſunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat: & tamen eandem amaritudinem, cæcitate cupiditatis quaſi inſenſibilitate ebrietatis ignorat. Mundi enim gloriam ſitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum eſt quod bibit; ſed quia hoc nimis inhianter ſumpſit, eiuſdem amaritudinis malum diſcernere, iam præ ipſa ebrietate non ſufficit.* TURBATI *ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* Sic nempe absorbent animum inordinatæ sollicitudines.

Thren. 3. 20. Mor. 15. Pſ. 106.

III. PUNCTUM.

ERGO & quàm nociva ſint & quàm cavenda, patet, cùm illud ipſum Chriſti verbum, quo dicuntur alia Dei verba ſuffocare, ſuffocent, & ſine ullo fructu efficiant; Nam hic erat ejus fructus, ut persuaderet illas solicitudines esse velut spinas: quod cùm sibi persuasum non habeant ipsi etiam Christiani, qui plus æquo se his humanis dedunt curis: quis non videat sic suffocari Verbum istud, & hoc ipsum agi modò, quod olim apud Judæos, de quibus Dominus ad Prophetam: *Et veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum.*

Ezech. 33.

Expende hæc postrema Verba, non dicit præcisè avaritiam, sed *avaritiam suam*, id est, affectum qualemcunque habent inordinatum ad res terrenas; In hoc autem vel maximè apparet inordinatus, cùm ita interstrepit

Verbo

Verbo Dei, ut vel non audiatur, vel non credatur. Sic expresè habes in Evangelio, quod inter Christi auditores Illi præcipuè *qui erant avari, deridebant illum*, quia hic terrenorum affectus, quem maximè Christus insectabatur, Christo etiam vel maximè resistebat. En Adolescens tam castus & innocens, ut omnia Dei mandata observaverit, unumque sibi deesse audit à Christo Domino, ut vendat, quæ habet & pauperibus distribuat, ac certò speret se thesaurum in cœlo habiturum; abit tristis nec Christo credit, quia scilicet suis nimium erat affectus rebus. Spinam gerebat in corde, unde illa tristitia suborta est: Et quam spinam voluisset Christus verbo suo avellere, ipsa potius verbum Christi avulsit; Adeo verum est, quod divitiæ velut spinæ suffocant Verbum Dei, & illud præcipuè verbum, quod contra ipsas profertur divitias, unde ad reliqua Verba Dei audiēda vel credenda nulli minus idonei, nulli minus parati, minùs benè affecti, quā qui plus æquo affecti sunt suis rebus.

Luc. 16.

Matth. 19

Illud est denique observandum, quod hìc dicitur: *Euntes suffocari*, quasi diceretur illos tantum suffocari & perire, qui sequuntur suas cupiditates; Vel potius phrasis est hebræa & loquendi modus, quo significatur nonnisi pedetentim & progressu temporis evenire detrimenta illa, quæ commemorata sunt; Unde illud etiam accedit incommodi, ut ea minus advertantur, & quò illi magis eunt, magis suffocantur & pereunt; Quò illi magis progrediuntur, minus regredientur; Quo illi ætate procedent longius, ita & cupiditate, quæ semper magis ac magis incalescit, roboratur & induratur, ut fusè demonstratur in opusculo: *Lata via perditionis. TV autem ô homo Dei, hæc fuge, sectare verò justitiam, pietatem, Fidem, Charitatē, Patientiā, Manſuetudinē.* 1. Tim. 6.

DE PATIENTIA QVÆ ITA NECESSARIA EST AD FERENDVM FRVCTVM, UT NULLUS ALIOQUIN FERATUR.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo, audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Luc. 8.

VERITAS PRACTICA.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. *Iob. 6.*

SENSVS est, quod, qui modicum illum timent laborem, qui in audiendo Dei Verbo necessarius est, incident in majorem: quantoq; minus pati voluerint, ut referant fructum, tantò magis patientur ex defectu fructus.

RATIO EST, quia tantò ij magis patientur in adversis, quantò minùs habebunt virtutis ad ea, quæ occurrent toleranda.

Sed qui metu laboris non audierint Verbum Dei, minùs habebunt virtutis ad hujusmodi tolerantiam.

Ergo ij tantò magis patientur, quantò minùs laborare & pati voluerint: ac proinde ex iis erunt de quibus Iob: Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Quod cùm sit ridiculum & insipiens, longè satius est laborem illum suscipere, qui in audiendo fructuosè Dei Verbo requiritur.

I. PUNCTUM.

EXIIT *qui seminat seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam & conculcatum est*

Legenda iterum esset & accuratius expendenda tota parabola, quæ tota est illustris, tota mirabilis, tota frugifera, tota saluberrima. Nec refugias laborem, qui in legendo & meditando necessarius est; hinc enim primò incipit perditio & jactura Verbi Dei, quod si attentè considerares, omnia alia impedimenta discereres removere. Quamobrem in id præsertim modò est laborandum, ut agnoscas laborem illum, qui in audiendo & considerando fructuosè Dei verbo desideratur, nullo modo esse fugiendum. Quid enim prodesset hunc fugere, cùm in alium graviorem incideres, tantoque postea magis patereris ex non audito Dei Verbo, quanto minùs pati voluisses in eo audiendo?

Ratio, quæ id demonstrat, est evidens: Nam in confesso est apud omnes, quòd tanto magis unusquisque patitur in adversis, quanto minus habet virtutis & gratiæ ad illa toleranda. Sicut enim unicuique virtuti hoc est maximè proprium, ut cum divina gratia, animum nostrum corroboret contra difficultates, quæ occurrunt in objecto, circa quod illa versatur: ita planè si desit virtus, deerit etiam illud animi robur, quod præstabat; ac proinde debilior ac longè impar eris difficultati tolerandæ; sicque magis patieris, seu in externis illis adversis, quæ occurrunt, seu in internis animi commotibus, quæ à vitio virtuti opposito excitantur. *Vbi est Timor tuus, Fortitudo tua, Patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* Nonne id tunc tibi verius, quàm olim Jacobo diceretur? Iob. 4.

Hoc est certè, quod quotidianâ patet experientiâ in tam diverso statu hominum, qui adversis premuntur. Unde enim fieri putas, ut unus alio magis laboret in calumnia vel probro aliquo tolerando, nisi quia minus est humilis? Undenam alius paupertatis difficultatem minùs libenter sustinet, nisi quia minus est amans paupertatis? sic de aliis virtutibus cogita, quarum defectu ita augetur labor, ut hoc pene uno laboret animus in adversis, quòd virtute careat, qua adversa illa facile & jucundè sustineret. Hinc orabat Apostolus, *ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari, per spiritum eius in interiori homine,* Et alibi, *In omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius.* Quàm sæpe de creaturis querimur, quæ justiùs de nobis quererentur, cùm si virtus adesset, nulla creatura obesset; & cùm virtus deest, vix ulla creatura prodest. Ephes. 3. Coloss. 1.

II. PUNCTUM.

SED qui metu laboris non audierint, aut non consideraverint Verbum Dei, minus habebunt virtutis ad huiusmodi tolerantiam.

Nam cùm potissimus Verbi Divini fructus sit ipsa virtus, aut quidquid ad eam ducit aut movet; profectò ii se virtute denudant, qui se tali fructu privant. Sic enim de Verbo divino, quod de Sapientia Sapiens; *Labores huius magnas habent virtutes; sobrietatem enim & prudentiam docet & iustitiam & virtutem,* (id est fortitudinem) *quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Sicut igitur, qui se privaret Sapientia, privaret se eius fructu, qui sunt virtutes commoratæ, sic qui se privat fructu Divini Verbi. Sap. 8.

Neque verò Verbum Divinum virtutes tantùm docet sicut Sapientia, sed cum divina gratia movet etiam voluntatem ad earum exercitium. Unde dicitur *ignitum Dei eloquium vehementer.* Et, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Est præterea gladius ille, qui virtuti obstantia quæque perrumpit, de quo Apostolus, *Et gladius spiritus, quod est Verbum Dei. VIVVS est enim Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hoc ita utebantur sancti, sicut expressè refert S. Hieronymus de sancta Paula, ut ad unamquamque occasionem virtutis exercendæ, paratam haberent Scripturæ divinæ sententiam, aut Verbum aliquod, quo velut ipso Deo jubente vel monente moverentur, sicque Clypeo fidei & Gladio spiritus simus armati contra spiritualia nequitiæ invicti starent. Hic est itaque Verbi Divini fructus, *virtutem discere & exercere;* unde certè eo erit virtus minor, quo minor Divini verbi fructus. Ah qualis jactura, & quam deploranda! Videsne damnum? sentisne quam grave sit? Psal. 118. Luc. 24. Ephes. 6. Heb. 4.

III. PUNCTUM.

QVI timent ergo pruinam, irruet super eos nix. Id est, qui parvum timent laborem, qui incipiendo Dei Verbo necessarius est, incident in majorem: quantoque minùs pati voluerint, ut referant fructum, tanto magis patient ex defectu fructus, quo se privant; quia scilicet se virtute spoliant & illis armis, quibus qui denudantur, nihil sibi superesse sentiunt, nisi vinci & pati. Quàm longè igitur ille prudentior, qui non parcit labori debito ad fructum illum colligendum, seu ex meditatione seu ex lectione, seu ex piis aliis exercitiis. Et quàm bene ait Sapiens, *Impatiens operabitur stultitiam*: Et paulò pòst, *Qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Nam dupliciter errat impatiens; primò quidem dum se putat laborem fugere, incidit in graviorem; deinde verò, quòd hic labor, in quē incidit, non modò sit gravior quantùm ad pœnam corporis seu temporale damnum: sed etiam, Prou. 14.

etiam quantùm ad spiritualem animi jacturam, quæ inde multis modis incurritur. Unde
Prov. 19. idem disertè Sapiens: *Qui impatiens est, sustinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet.* Nam si saltè mag s laborando, magis mereris, tolerabilis esset labor; sed ipso majori labore minus mereri, quis non deploret?

Quis non agnoscat miserandum illum laborem, quem damnati sic deplorant, *lassi sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Tum post multa concludunt, *Et virtutis nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Verè malignitas, nolle exiguum illum laborem sumere, qui in meditando aut legendo requiritur ad fructum referendum, & in graviorem incidere cum periculo salutis aut perfectionis. Quis ex duobus laboribus non eligeret eum, qui minor est & fructuo-
Eccles. 20 sior? quis nollet is esse, qui *multa redimat modico pretio*? Denique audi alium Sapientem, quam præclarè & aptè ad hæc omnia confir-
Ibid. 6. manda de Doctrinâ Christi, pronuntiet: *Fili à juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies Sapientiam: Quasi is, qui arat & seminat, accede ad eam & sustine bonos fructus illius. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: Subjice humerum tuum & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus. Investiga illam & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam. In novissimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.* Quibus prope similia in fine libri repetit selectis quibusdam & exquisitis verbis, *Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo* Ib. 31.
eam, confirmatus sum. Manus meas extendi in altum, & insipientiam eius luxi. Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inveni eam. Possedi eum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar.

Videri possunt, quæ ibi plura prosequitur: nec non hæ Veritates & aliæ consimiles, quas ex aliis partibus ad Evangelicam parabolam referri est facile.

Sicut discursum nostri intellectus statim sequi debet affectus voluntatis: ita & affectum effectus seu exequutio.
In 1. parte, die 29. Decembris.

Si quid nos revocat à Doctrina Christi, vel ob id maximè recipienda est.
In 1. parte, Feria 6. infra hebdomadam. 2. post Epiphaniam.

Verbum Dei non redit vacuum: aut prosit necesse est recipienti vel obsit.
In 3. parte, Feria 2. infra octavam hebdomadam.

Qui non audit, non audietur.
Quibus nos attentiores esse oporteret, in his magis obsurdescimus.
In 3. parte, Dominica undecima.

Quod te imparatum magis reddit ad ferendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere.
Quantò minùs puniri timet infructuosus, tantò jam magis punitus est.
In 3. parte, in fine, ubi de renovatione votorum.

Hac Hebdomade, Materia Considerationum & Veritatum comprehendetur illo Sermone, quem Christus Dominus habuit statim à cœna cum discipulis facta, usque ad Orationem, quam ibidem in cænaculo fudit ad Patrem, prout refertur à sancto Joanne. Et quia illo toto sermone, hoc pene unum ver- C. 13. 14.
sat argumentum, ut fortes sint Apostoli in persecutionibus tolerandis, eò etiam 15. & 16.
præcipuè spectabunt Veritates, & iisdem motivis, quæ proponuntur à Christo Domino, innitentur ad hunc finem, ut discamus constantiam in adversis.

FERIA SECVNDA.

DE FVTVRO PETRI LAPSV, à Christo Domino prænuntiato.

Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam? Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amem, Amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. Ioan. 13.

VERITAS PRACTICA.

Nimia firmitas, infirmitas.

SENSVS & RATIO est, quia ubi est nimia firmitas, ibi est præsumptio animi, seu præsumpta quædam securitas, quasi nullum sit periculum, aut quasi non sis perituras in periculo.

Sed ubi est talis præsumptio, ibi est infirmitas.

Ergo nimia firmitas infirmitas: ac proinde sibi diligenter cavendum, & non in se, sed in Domino confidendum.

I. PUNCTUM.

Ioan. 13. PEracta cœna, & iis dictis, quæ præcedenti hebdomada considerata sunt; ipso etiam proditore Juda egresso, ad suum facinus exequendum: Dominus Iesus, Divinum hunc cæpit habere sermonem cum suis discipulis, cujus initium est: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Et paucis interjectis, cùm de instanti suo discessu nihil tale cogitantes monuisset, ac de mutua dilectione novum mandatum dedisset; *Tum dicit ei Simon Petrus: Domine quo vadis? Respondit ei Iesus, quò ego vado;* & quæ supra referuntur, ubi quanta videtur Petri firmitas, tanta spectatur ejus infirmitas. Quid firmius, quàm quod ille Christo dicit, *Animam meam pro te ponam?* Sed quid in firmius, quàm quod illi à Christo dicitur; *Non cantabit gallus, donec ter me neges?* Numquid fortè nimia fuit ejus firmitas, unde talis infirmitas? Certè id videtur innuere S. Augustinus, qui cùm universim dixisset: *Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestúmque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant:* tùm addit particulatim de hoc Apostolo: *Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit.* Ex quibus sanct. Patris verbis non modò elicitur Veritas proposita, *quòd nimia firmitas sit infirmitas*, sed & ejus allata Ratio subjungitur, quod ubi est nimia firmitas, ibi sit præsumptio: atque ubi præsumptio, ibi infirmitas, ibi casus & interitus. Hoc primum sit contra occurrentia mundi pericula & adversitates monitum.

L. 14. Civit. c. 13.

Hanc porro Rationem sic expende accuratè, ut jam non Petro, sed tibi applices. Est autem ita evidens quoad primam partem, ut nimia firmitas & præsumptio, pene unum atq; idem sub diversis nominibus videantur intelligi. Neque enim ullus aliter nimis est firmus, quàm quòd malè præsumit; neque ullus malè præsumit, quàm quòd opinione sua nimis est firmus, id est, supra quàm debet, inordinatè, sine ullo timore, & diffidentia sui, sine ullo respectu ad ordinem, & Providentiam Dei; *Audaces, sibi placentes:* Sic apertè sanctus Thomas: *Præsumptio est nimia quædam & immoderata fiducia seu spei excessus, non modò circa proprias vires, sed etiam circa divinam potentiam & misericordiam, quatenus aliud aut aliter atque Deus ordinavit, homo contendit. FACIAMVS & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel. In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere: dum sine consilio exeunt in prælium? O PRÆSVMPTIO nequissima, unde creata es cooperire aridum malitiâ & dolositate.*

2. Pet. 2. 2. 2. q. 21. a. 1. & sequentibus. 1. Mach. 5. Eccles. 37.

II. PUNCTUM.

SEd ubi est talis præsumptio, ibi est infirmitas. Primò quidem, quæ putatur audacia & firmitas

mitas animi, mera est infirmitas; cùm si quis animo firmus & constans esset, sibi magis attenderet, nec ita vanè præsumeret. Deinde verò statim atque præsumit, sibi relinquitur, diminuuntur Gratiæ, lumina, & divina quævis auxilia, quibus destitutus homo, quid est *nisi folium, quod vento rapitur, nisi stipula ficca*, nisi mera infirmitas, nisi prona in lapsum, & ad omne genus peccati ruitura indoles, unde nunquam emergat? Sic Deus dicitur, *præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humiliare.*

Job. 13.

Judith. 6.

Adde, quod, qui præsumit, quantumcunq; auxilii & divinæ gratiæ cœlitus offeratur, vix ad illud attendit, sive ut in eo fidat, sive ut fideliter ei cooperetur & adhæreat: Sed quasi securus de rei exitu, cætera negligit, & in negligentiæ suæ pœnas infirmitatem illam refert, quam de se & de aliis deplorat David: *Infirmata est in paupertate virtus mea; INFIRMATI sunt, nec fuit qui adjuvaret.* O verè deplorandam infirmitatem!

Ps. 30. & 106.

III. PUNCTUM.

NIMIA ergo firmitas, infirmitas: Quia sic præsumptio castigatur, ut qui nimis se posse audet, minus possit. *Audivimus superbiam Moab: superbus est valde: superbia ejus & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius.* Unde & concludit Propheta, *Et relinquetur parvus & modicus, nequaquam multus.* Hinc aptè psaltes Regius: *Posuisti firmamentum eius, formidinem*; id est, in quo vanè firmabatur, & nimis præfidebat, illud ipsum est, quo formidandum in modum periit: illud ipsum est, quod esse debet causa formidinis, ne deinceps sic vanè efferatur. Illud denique ipsum est, quod erit firmamentum eius, si bene formidet & timeat, prout ait Scriptura: *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam & benedictionem.* Et alibi brevius, *In timore Domini fiducia fortitudinis.*

Is. 16.

Ps. 88.

Eccle. 34.

Prov. 14.

Vide ergo, ut sic formidinem & timorem Domini ponas firmamentum tuum: ne si firmamentum tuum in alio statuas, vel in ipso Domino, non servatis servandis, *Ipse ponat firmamentum tuum formidinem*, id est, vertat in ruinam, quod ad salutem esse firmius præsumebas. *Quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea.* Vide in 3. parte, Dominica 10. & Sabbato infra hebdomadam 14.

Ier. 2.

FERIA TERTIA.

DE CAVENDA PERTVRBATIONE animi in Adversis.

AD HÆC CHRISTI DOMINI VERBA:

Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei, mansiones multæ sunt: si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Ioan. 14.

VERITAS PRACTICA.

Quod Christus semel suis, hoc in omni semper casu, tibi dicit, *Non turbetur cor tuum.*

RATIO EST, Quia cum Dominus dixit suis ne turbarentur, idcirco dixit propter tria, quæ subjungit, sedandæ perturbationis animi motiva potentissima.

Sed illa ipsa tria motiva concurrunt in omni casu, ut te pariter moveant ad sedandam animi perturbationem, undecunque ortam.

Ergo quod Christus semel suis, hoc in omni casu dicit, non turbetur cor tuum, *Quod certè est potentissimum in adversis subsidium.*

I. PUNCTUM.

NOn semel quidem hoc præceptum sive consilium de cavenda perturbatione animi in adversis, proposuit suis discipulis Christus Dominus. Iam enim illis ante præceperat, *Videte ne turbemini:* &, *Nolite terreri.* Tũ verò hic etiã in eodẽ suo sermone bis repetit; *Non turbetur cor vestrum; NON turbetur cor vestrum neque formidet.* Nec sanè frustra sic toties; nam cùm perturbatio animi plerumque soleat impedire fructũ, qui ex adversitate colligi potest, gravius est & damnosius perturbari, quàm quævis adversa perpeti: proindèque diligenter præcavenda talis perturbatio; neque semel tantùm, sed pluries inculcandum fuit monitum. At nihilominus in Veritate proposita, dicitur semel dictũ à Domino, quia scilicet pro uno & eodem accipitur tòtum illud quod dixit & fecit dum viveret, sicut ipse ait Patri: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.*

Matt. 24. Luc. 21. Ioan. 14.

Ioan. 17.

QVOD itaque semel Christus suis, hoc in omni semper casu tibi dicit, NON TURBETUR COR TUUM. Est enim eadem prorsus ratio, cur ita sit semper verum & semper efficax in omni adverso casu ad sedandam commoti cordis perturbationem, sicut cùm dixit Christus suis. Atque hæc ratio non una sed triplex est, quæ deducitur ex ipsis Christi Domini verbis, quæ supra relata sunt, & quæ hic modò sunt expendenda. *Creditis in Deum,* inquit, *& in me credite,* quasi diceret, Nonne creditis Divinam Providentiam? Nonne creditis nihil prorsus adversi vobis posse cõtingere, nisi Deo ac mei ipso permittente & volente? Ego autem non permittã vobis quidquam accidere quod noceat, imò quod non prosit, si mecũ advigilare vultis. Quapropter ne turbetur cor vestrum, quia vobiscum sum, & me præsente, nihil erit damni & detrimenti. Sicut cùm in mari & in exorta tempestate illis dixit, *habete fiduciã, ego sum, nolite timere.* O quis tùm diffidat? quis turbetur? *Obmutui & non aperui os meum,* inquit Psaltes, *quoniam tu fecisti.* Atque hæc prima ratio, quæ petitur à divina providentia.

Matt. 14. Psal. 38.

Secunda continetur his verbis: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Et horum sensus est ad perturbationem animi in adversis validè reprimendam multùm idoneas & efficax; Ne turbemini, quasi adversùm vobis aliquid acciderit, non enim est illud adversum, quod mansionem vestram in domo Patris mei parat: & cùm multæ sint, æque variæ mansiones, multa etiam & varia ab unoquoque sunt toleranda, ut eò tandem perveniat, quò per illas tolerantias disponitur. *O si vidisses sanctorum in cœlo coronas perpetuas! O si tibi hæc saperent, & profundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nonne pro vita æterna cuncta laboriosa sunt toleranda?* Hæc & plura libro tertio de Imitatione Christi, capite quadragesimo septimo, & quadragesimo octavo.

Tertia denique ex his deducitur, *quia vado vobis parare locum,* nempe per passionẽ & crucem. Sic enim patiendo & moriendo paravit nobis locum in cœlo; licet enim *prædestinando paraverit mansiones, tamen etiam operando parat,* inquit sanctus Augustinus; Quæ consideratio certè plurimùm potest in adversis: nã si Christo sic patiendum fuit, ut mihi locum pararet, quanto id mihi satius, ne parato excidam loco? Unde aptè Apostolus, *Per patientiã curramus ad propositum nobis certamen, aspiciẽtes in Authorem fidei & Cõsummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionẽ, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Nonne est ita?

Heb. 12.

II. PUNCTUM.

SED illa ipsa tria motiva concurrunt in omni casu; ut te pariter moveant ad sedandam animi perturbationem, undecunque ortam. Quid enim horum deesset? An quidquam potest tibi evenire sine Divina Providentia? Responde. An verò illud, quod Deo permittente sic tibi accidit, aliud esse potest, quàm quod prosit cælo promerendo? quamvis vel peccatum esset, si inde profectum, qui capi potest, capias, proderit ad salutem; *diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum,* inquit Apostolus. *NEQVE,* ut ait sanctus Hieronymus, *bonus Deus mala permitteret, nisi esset æquè omnipotens, ut ex his bona faceret.*

Rom. 8.

Denique nonne exemplum Christi æquè valet ad hunc particularem casum, atque ad alios? Quid tibi est in hac adversitate tua, quod Christus non prævideri, & quod si alteri

teri evenisset, non idem atque tu contrà posset objicere? Quod si verò sic liberum esset omnibus, suos quosque sensus particulares obtendere, quis tandem libens volens pateretur, & quis esset, cui non diceret Deus, *An condemnabis me, ut te justifices? Interrogabo te, & indica mihi, nunquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut tu justificeris?* Attende ad hoc, quidquid te in illo tuo casu contradicentem facit, & conturbat, mera est contradictio naturalis appetitus, quam nisi reprimis, foves ut justam; quam si justam putas, injustum facis Deum: Deum accusas & condemnas. O qualis illa impietas! Job 40.

III. PUNCTUM.

QUOD *Christus igitur semel suis, hoc in omni semper casu tibi dicit*, NON TURBETUR COR TUUM. Nam si valet in aliquo, valet in omni casu propter rationes allatas, quæ sic universim concludunt non esse permittendam cordi perturbationem, ut in particulari quolibet casu sit ita concludendum. Aut si casus esset, in quo id negaretur, vix id affirmari posset de alio: vix ad ullam calamitatis speciem non turbareris, si non ad omnem sis paratus, & nisi dicas cum Davide, *quoniam ego in flagella paratus sum.* Quidquid contrà opponat appetitus in praxi, perinde rejiciendum existima, sicut si universim persuadere vellet, nihil tibi omnino esse patiendum. Psal. 37.

Vellésne nihil omnino pati in hac vita? Non auderes affirmare, quia tot testimoniis contrà convincerere, ut te puderet nō id velle, quod volendum tam apertè videres. Cùm igitur natura corrupta non ausit universim contra omnes adversitates proclamare, fingit se habere tantùm, quod isti particulari opponat; sed mera fictio est & deceptio. Sic enim, ut dixi, de unaquaque singillatim dicet, quod non audet de omnibus, & sic nunquam in praxi & actu vellet pati. Quamobrem audi Dominum, & tum tibi potissimum loquentem audi, cùm obloquitur appetitus; *Quid est quod loqueris fili? cessa conqueri, consideratâ meâ & aliorum sanctorum passione; Nondum usque ad sanguinem restitisti: parum est, quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati, tam multipliciter probati & exercitati.* Vide reliqua, libro tertio de Imitatione Christi, capite decimo nono. Et quæ tota hebdomade, imò & tota quadragesima sequuntur Veritates huic conformes.

Et prima verò parte huc transferri possunt hæ quatuor.

Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.

Die decima Ianuarii.

Nō quia mala sunt, perturbamur in adversis: sed quia perturbamur, adversa mala sunt.

Dominica 4. post Epiphaniam.

Nisi probè paratus sis ad adversa, nec ad ipsa prospera bene paratus es.

Feria sexta hebdomadæ quintæ post Epiphaniam.

Quāto minùs murmuramus, aut omnino tacemus flagellari à Domino: tantò altiùs altissimum ejus Dominium prædicamus.

Feria 2. hebd. 6. Vide in aliis, verbo *Adversitas.*

FERIA QVARTA.

DE CHRISTO DOMINO, VT est exemplar Constantiæ & via vera ad perfectionem.

Ego sum via, & veritas, & vita. Ioan. 14.

VERITAS PRACTICA.

Melius est in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.

Verba sunt sancti Augustini de Christo Domino expressè agentis, ut infra videbitur.

SENSUS autem verborum, & Veritatis propositæ hic est, quòd sicut melius est pedetentim

detentim incedere per veram viam, quàm si aliâ viâ minùs certâ & verâ festines, quia sic tandem certiùs, quò tenditur, pervenitur: sic planè melius est, imperfecto quodammodo & lento gradu per Imitationem & Considerationem Christi Domini ad perfectionem tendere, quàm si alio motivo utereris, quod sublimius & perfectius videretur. Quidquid enim aliud cogites, sive Dei præsentiam, seu Divinas perfectiones, seu cœlestem beatitudinem, seu rerum humanarum vanitatem, seu mortem instantem, seu particulare aut universale judicium, seu ipsam inferiorum æternitatem, aut quodvis denique aliud, quod crebro cogitatum movere possit ad salutem & perfectionem cõsequendam, non ita promovebit, quàm unius Christi Domini cogitatio; quia Ille videlicet vera est ad salutem & perfectionem Via, & aliter incedere, dici potest quodammodo, præter viam ambulare.

Hoc itaque manet demonstrandum, quod quidquid est in una via præ aliis, ut sit viatori aptissima, hoc est in uno Christo Domino prę omnibus mediis & motivis ad perfectionem.

RATIO EST, quia quod est magis considerandum in via certa, brevis, & facilis.

Sed hæc tria simul in Christo sic aptè reperiuntur, ut nullibi aptius.

Ergo una via est aptissima, & medium magis opportunum ad perfectionem, in quo tenendo, Melius est claudicare, quam præter viam fortiter ambulare.

I. PUNCTUM.

CUM Dominus Jesus sic pergeret in sermone suo, *Quò ego vado scitis, & viam scitis; dicit ei Thomas: Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sũ via, & veritas, & vita.* Quæ quidem verba in vernacula Meditatione ad Constantiam in adversis transtulimus, sed hic extendenda videntur ulteriùs ad omnem virtutem seu ad ipsam perfectionẽ. Sic enim inter alios de his universim & aptè S. Augustinus, *Quà vis ire? Ego sum via. Quò vis ire? Ego sum veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita. Veritatem & vitam omnis homo capit, etiã Philosophi Deum esse vitam quandam & veritatem viderunt; viam non omnis invenit. Verbum ergo Dei, quod apud patrem est Veritas & Vita, assumendo hominem, factum est Via; ambula per hominem & pervenies ad Deum;* Melius est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. Quod præclarè item Sanctus Leo, *Melior est gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas festina per devium.*

De verbis Dõ. ser. 4.

Serm. 2. de jejunio.

Sic igitur nobis proponendus est Christus Dominus ut Via, non modò per fidem ad salutem, sed per imitationem ad perfectionem: sicque intelligendus est ad perfectam vitam esse via, ut licèt alia media cõsiderari & usurpari possint, Ille tamen via sit, & veritas, & vita, id est, ut communiter ex Hæbreo omnes interpretantur, Via vera & vitalis, quasi diceretur, Via unica & præ omnibus seligenda. Nam cùm tres præcipuè spectentur notæ seu conditiones, quibus una præ aliis via seligitur: si uno in Christo singulariter quadrent, profectò nihil restare potest dubii, quin sit aliis omnibus mediis præferendus.

Apud Maldon.

Hæc sunt autem tria, quæ maximè Viatori considerantur, in viæ delectu. Primum, ut sit certa seu recta & ruta, ne si occurrant anfractus, dubitet & deviet: nec à prædonibus sibi timeat. Secundum est ut sit brevis, ne itineris molestiâ fatigetur. Tertium denique ut sit plana & facilis, ne per abrupta montium, aut concava vallium pericliteretur.

Atque hæc quidem per se notissima: tantũ hìc juverit meminisse nos, quamdiu vivimus, peregrinos esse & advenas, atque ut ait sanctus Gregorius, *In præsenti vita quasi in via sumus, quâ ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident.* Sanctus quoque Bernardus, *Quàm multi ex hoc,* inquit, *à recto tramite periculosissimè aberrarunt, ignorantes astutias satanæ.* Multæ videlicet se viæ ostendunt ad salutem & perfectionem, nec minùs nobis est timendum, quàm viatori, ne qua incerta aut periculosa teneatur. Hinc aptè Sapiens: *Via stulti recta in oculis eius: qui autem Sapiens est, audit consilia.* Itémque paulò post. *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima eius ducunt ad mortem.* Tene aliquando perspexisti, quâ tandem viâ incederes? *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.*

Hõ. 11. in Evang.

Prov. 14.

Ibid. 16.

Psal. 85.

II. PUNCTUM.

SED *illæ tres viæ conditiones in Christo sic aptè reperiuntur, ut nullibi aptius.*

Primò

Primò quidem securitas & certitudo in eo maxime est posita, ut Deo grata sit & accepta illa praxis. Quid autem potest esse illi gratius, quàm ut de Verbo cogites, cujus unius cogitationem habet? Quid gratius Deo Patri, quàm cogitare quod cogitat? quid acceptius Filio, quam sic tecum habitare, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum? Quid Spiritui sancto jucundius, qui ut jam in prima parte visum est, idcirco missus est, ut Filium ubique notificet, & in mentibus nostris præcipuè clarificet? *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* IPSE EST quem proposuit Pater omnibus; adeo ut nullus dubitare possit de ejus acceptione. Ipse est *flos campi & lilium convallium*, quò omnes accedere tutò possint. Non sic porrò in cæteris, quæ pendent à varia hominum conditione, & de quibus dicitur, *Non omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.*

Secundò brevitas viæ; Jampridem dictum est, *longum esse iter per præcepta, breve per exempla*; si quod autem exemplum valet, maximè Christi Domini, qui quod fecit & passus est, in exemplum nostrum ordinavit, ut sequamur vestigia ejus, non quòd illa ipsa, quæ fecit, faciamus, sed quæ in nostra vocatione sunt facienda, exemplo ejus, qui longè plura & graviora fecit, exequamur; *Est enim verbum abbreviatum, & verbum consummans & abbrevians*, Id est, quidquid in aliis omnibus mediis & motivis continetur, ipse ita cõprehendit, ut audito solo nomine JESU aut CHRISTI, statim intellectus & voluntas moveatur ad credendum, & id omne efficiendum, quod occurrit. *Liber est scriptus intus & foris*, quia quod docet exterius verbo & exemplo, hoc Ipse suo spiritu seu gratiâ promovet in animis nostris. Unde si de quodam Sextio dixit, qui eum legit, *In quacunque positione mentis sum, cùm lego Sextium, libet omnes casus provocare, libet exclamare, quid cessas fortuna! Congredere!* quanto magis de Christo, qui est veritas & *solutio omnis difficultatis*, ut ait quidam, contra omnia dubia intellectus, & qui est vita contra omnes repugnantias, & metus voluntatis. Legendus esset divus Bernardus, qui de hoc argumento suaviter æquè ac potenter agit, locis notatis.

Tertiò denique facilitas viæ; quid facilius cogitatione Christi? at sola ejus cogitatio via & motivum est ad quemlibet virtutis actum. Serpens est æneus tantùm aspiciendus in cruce & sola cogitatione sibi repræsentandus, ut serpentis æmuli ignita jacula extinguantur. Nec timeri potest imaginationis aut capitis læsio, sicut in aliis, cùm sit aliquid corporeum, quod facile concipi potest. Vidésne quãta sit motio animorum, sacro die parasceves, quo Passionis & Mortis ejus memoria recolitur? Quam facile omnes omnia. Sic planè, quoties sic eum religiosè ad mentem revocares. *O si Iesus Crucifixus in cor nostrum veniret, quàm cito & sufficienter docti essemus!* Et idcirco inter alias rationes Deus factus est homo, ut haberet homo, quem facilè & securè posset sequi; Unde sanctus Augustinus; *Sequendus Deus erat, qui videri non poterat, sequendus homo non erat, qui videri poterat: Deus factus est homo, quem sequeretur homo. VEREBVNTVR filium meum*, dicebat Pater æternus, quasi diceret: Habent certè, quem vereantur, & cujus respectu & consideratione moveantur. Nonne id ita? at verò, itáne moveris hoc exemplo? *Bene verecundari potest inspectâ vitâ Iesu Christi, quia necdum magis illi te conformare studuisti.*

Num. 21.

l. 1. de Imit. Chr. c. 25.

Serm. de Nat. Chr.

Matth. 25

l. 1, Imit. Ch. c. 25.

III. PUNCTUM.

QVIDQVID est igitur in via pra aliis, ut sit viatori aptissima, hoc est in uno Christo Domino pra omnibus mediis & motivis ad perfectionem: Ac proinde melius est in illa via claudicare, quàm præter illam fortiter ambulare, quia sic tandem certius & facilius, quo contendis pervenies. Ad hoc unum cogitandum pene alia omnia reducunt Apostoli: *Christo in carne passo, & vos eãdem cogitatione armamini. RECOGITATE eum*, id est cogitate non semel sed iterum, & quoties opus erit ad virtutem, revocate tantùm in mentem vestram, vestrum Christum Jesum. *Omnia in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis*, dicebant de Tobia filio, parentes ejus: quanto magis nos de Christo Domino. *O Veritas Deus, fac me unum tecum in Charitate perpetua. Tædet me sæpe multa legere & audire, in te est totum, quod volo & desidero. Taceant omnes doctores, sileant universa creatura in conspectu tuo, tu mihi loquere solus.* Caput est nostrũ; *Et sapientis oculi in capite eius*, ut ait Sapiens.

1. Pet. 4. Heb. 12.

Tob. 10.

l. 1. de Imi. Chr. c. 3.

Eccles. 2.

Ecclesi. 37

Seneca.

Ps. 10. Rom. 9.

Apoc. 5.

Sen.

Serm. 15. & 20. in Cantica.

Ephes. 4. Coloss. 2.

Denique, *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum est. SICVT ergo accepistis Iesum Christum Dominum nostrum, in ipso ambulate radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.*

Observa quam rectè simul duo hæc coniungantur, *radicati & superædificati*; Vnum enim sine alio mancum esset & deficiens. Nam quod est radicatum, crescit quidem, sed facile evellitur. Quod est autem ædificatum, non facile convellitur, sed non crescit. At ubi duo hæc conjunguntur, & firmitas ædificij & incrementum radicis, tum præclarè sunt omnia. Quamobrem sic in Christo semper crescendum, ut firmiter hæreas; & sic hærendum firmiter, ut semper in illo crescas. Vide plura, verbo *Christus*, & hanc præcipuè Veritatem.

Exemplo suo Christus non magis urget quàm Imperio.

In prima parte. Die 13. Ianuarii.

FERIA QVINTA.

DE CHARITATE SIMVL ET Constantia coniungendis ad tolerantiam adversitatum.

Sicut dilexit me Pater, ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Ioan. 15.

VERITAS PRACTICA.

Sic Charitas & Constantia simul junctæ constant, ut nisi sint simul junctæ, non sibi constent.

RATIO EST, Quia Charitas & Constantia non sibi constant, si frangantur ab oppositis difficultatibus.

Sed si non sint simul iunctæ, franguntur ab oppositis difficultatibus quas simul junctæ frangerent.

Ergo sic Charitas & Constantia simul junctæ, constant, ut nisi sint simul junctæ, non sibi constent: ac proinde simul jungendæ sunt nec unquam separandæ.

I. PUNCTUM.

CUM sermo ille Domini, qui hac hebdomade suscipitur considerandus, sit multò longior, quàm ut totus considerari possit, multaq; ex eo veniant in Evangelia Dominicarum post Pascha, quæ tum commodius expendentur: seligenda modò sunt aliqua, quæ iuxta præfixum hebdomadi finem, tolerantiam in adversis corroborent. Sunt autem illa præcipuè, quæ Christus Dominus de Caritate habet, quæ postquam in textu legeris; Vide quàm arctè simul Caritas & Constantia cohæreant, quàmque illa sit certa & necessaria Veritas, quæ proponitur; *Quòd sicut hæ duæ virtutes simul junctæ fortiter constant in adversis, ita nisi sint simul iunctæ, non omnino sibi constent.*

Ratio est facilis quoad illam primam partem, quâ dicitur Caritatem & Constantiam non constare sibi, si frangantur ab oppositis difficultatibus. Sicut enim constare sibi nihil aliud est quàm constanter resistere contrariis, & nulla eorum vi frangi: sic planè non constare, hoc est, si non resistant, aut quantumcumque resistant, si frangantur. *Væ dissolutis corde! Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas! Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus?* quasi diceret, non erit quò fugiant, non erit quod excusent: & quia noluerunt resistere adversantibus sibi, cùm cōmodè possent & deberent pro salute animæ, tunc & si vellent, non commodè poterunt. Eccles. 2.

II. PUN-

II. PUNCTUM.

SED si Caritas & Constantia non sint simul junctæ, franguntur ab oppositis difficultatibus, quas simul junctæ frangerent.

Sicut enim Caritati in his, quæ spectant ad Dei vel proximi dilectionem, multæ occurrunt difficultates: sic constantiæ suis in objectis plurimæ obversantur: & quemadmodum Caritas oppositis frangeretur difficultatibus, nisi constans esset, aut nisi constantia juvaretur; sic planè Constantia infringetur, nisi Caritate roboretur. Hinc aptè Apostolus, primò dixit, *Caritas patiens est*, ut ostenderet Caritati opus esse constantiâ, tum verò pòst injunxit, *Caritas omnia suffert, omnia sustinet*; ut indicaret non minùs necessariam esse constantiæ Caritatem, quàm Caritati constantiam. Nec frustra repetit, *Omnia suffert, Omnia sustinet*: sic enim Apostolus duo illa significat, quæ in Propositione nostra continentur; primò quidem, quod Constantia deficeret sine Caritate, *quæ omnia suffert*, deinde verò, quòd nunquam deficiat, si Caritati jungatur, *quæ omnia sustinet*. Quod postremum sic disertè confirmat S. Augustinus: *Nihil est tam durum atque ferreum quod non amoris igne vincatur; quo enim se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus suis Deus faciat esse fortiores, cùm ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi, ad ea, quæ diliguntur, indefessò cursu perimmania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi, ut deserant perferunt.*

His conformiter Thomas à Kempis, *Magna*, inquit, *res est amor, magnum omnino bonum, quod solum leve facit omne onerosum, & fert æqualiter omne inæquale. Nam onus sine onere portat, & omne amarum dulce & sapidum efficit.* Vide quæ plura refert toto illo capite; aut si mavis, breve illud sancti Bernardi dictum revolve: *Opus meum vix est unius horæ: & si plus, præ amore non sentio*, Itane tecum agitur? Hinc explora, utrum verè diligas Deum, an non. Sic enim verè est de Charitate: omne onus exonerat, tuque si aliter sentis, manifestè contradicis Veritati Caritatis, seu Caritati veritatis, de qua Apostolus, postquam de iis qui pereunt, egit *Eo quod*, inquit, *Caritatem Veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* Quasi diceret, propter difficultates perierunt, quas si superassent salvi fuissent; illas autem verè superassent, si veram Caritatem habuissent, quæ nihil reperit difficile quod non perrumpat.

III. PUNCTUM.

SIC ergo Caritas & Constantia simul junctæ constant, ut nisi sint simul junctæ, non sibi cõsteni; Quia cum disiunctæ sunt, franguntur illis difficultatibus, quas simul junctæ fregissent. *Si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam.* Sic Barac Israelitarum Dux dicebat Debboræ: sic nos Caritati, non verbo sed reipsa jungamur necesse est, si fortiter & fœliciter dimicare volumus contra occurrentes difficultates. Alioquin vel pugnam detrectabimus, & cedemus turpiter: vel in conflictu periclitabimur, & damnosè cademus, sicut illi, *qui sine consilio & contra Caritatem exierunt in prælium*, & inde fusi fugatique redierunt cum magna suorum jactura, ut est in primo libro Machabæorum. Longè alius fuit aliorum exitus, qui, ut ibidem dicitur, ex Charitate *pugnantes, convaluerunt animis: non solum homines sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti, de cælo habentes adjutorem, & miserantem super eos Dominum. Leonum autem more, impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis multa millia*, quæ ibi recensentur distinctius.

O quanta vis Charitatis! ô quantum interest, bene vel malè cum ea convenire! sicut enim *Deus Charitas est*, ita Deum unusquisque habet adjuvantem aut repugnantem, prout bene vel malè cum Charitate convenit.

Vide in 3. parte, Feria 2. hebdomadæ nonæ, ubi hæc proponitur Veritas:

Affectum probat
effectus.

FERIA SEXTA.

DE PRÆVIDENDIS Adversitatibus.

Hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. Ioan. 16.

VERITAS PRACTICA.

Quantum obest adversitas improvisa, tantum prævisa prodest.

RATIO EST, Quia idcirco adversitas improvisa obest, quòd cum afferat majorem doloris sensum, minus tamen meritum causet.

Sed è contra sic prævisa prodest, ut cùm minorem causet doloris sensum, majus tamen afferat meritum.

Ergo quantùm obest adversitas improvisa, tantum prævisa prodest; ac proindè solerter prævidenda.

I. PUNCTUM.

REpetenda sunt ex superiori capite decimo-quinto Evangelii sancti Joannis, quæ Dominus prædixit suis ventura mala: Sunt autem hæc inter alia: *si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis; non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quæ & alia hujusmodi, ibidem commemorata, cur illis sic distinctè enarraret, rationem addit: *hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis*: quasi diceret, ne vos imparatos ista mala involuant, idcirco præmoneo. Multùm enim interest ad malorum tolerantiam, si improvisa aut prævisa obveniant; *Nam quantùm obest adversitas improvisa, tantùm prævisa prodest.*

Hoc est modò expendendum, investigando primùm accuratè, undénam adversitas improvisa obsit, nempe ex hoc duplici capite, quod cum majorem afferat doloris sensum, minus tamen meriti apud Deum causet. Nonne hoc est luctuosum & miserandum? Nam si saltem cum minori merito minus mali patereris, malùm esset tolerandum: aut si cum graviori malo meritum cresceret, solatium esset aliquod mali tolerati: sed simul multùm pati, & parum mereri, certe hoc est geminum adversitatis damnum deplorandum. Atq; hoc utrumque est damnum, quod secum infert adversitas improvisa: Nam primò quidem de doloris sensu certum est, eo esse vehementiorem, quo nos minùs cogitantes adoritur, unde multi repentino dolore sic deficiunt, ut propè tum enecentur.

Deinde verò cùm animus ita dolet & angitur, ut suum unum dolorem sentiat, suam unam calamitatem cogitet & deploret, tã longè se retrahit ab eo statu, qui ad virtutẽ exercendam & meritum inde referendum requiritur, quàm se in mœrorem & lamenta profundè abdit. Quod utrumq; damnum sic breviter Sapiens complectitur, dum ait: *à tristitia festinat mors; & cooperit virtutem*, id est, ita obruit & opprimit hominem, ut vix ulla virtus in illà mortali tristitia exerceatur. Quale autem meritum sine virtute, cùm, quanta fuerit virtus, tale sit meritum? Eccl. 39.

II. PUNCTUM.

SED è contra sic adversitas prævisa prodest, ut cùm minorem causet doloris sensum, maius tamen afferi meritum:

Nam primò quidem de minori doloris sensu, patet ipsâ quotidianâ experientiâ quod scripsit sanctus Gregorius; *Iacula prævisa minus feriunt, & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* Itémq; fusiùs in moralibus ad hæc Scripturæ verba de equo, *procul odoratur bellum*, sic ad rem nostram, *Malum*, inquit, *quod consilio* Hom. 35. in Evang. Iob. 39. 31. Mor. 16.

consilio prævenitur, decertanti contra se animo ex ratione subvenitur; quia tanto quisque minùs adversitate vincitur, quanto contra illum præsciendo paratus invenitur. Sæpe enim grave timoris pondus usu levigatur, sæpe mors ipsa, sicut inopinata perturbat, ita deliberatione prævenita lætificat. Vnde & rectè de hoc equo subjungitur, procul odoratur bellum, ac si apertius dicatur, idcirco quodlibet certamen exsuperat, quia mentè certamini ante certamen parat: bellum quippe procul odorari est, adversa quæque longè adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Hoc ipsum egregiè Seneca: *Nisi quidquid fieri potest pro futuro habeas, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit. Præcogitati mali mollis ictus venit: Sapiens assuescit futuris malis, & quæ alii diu patiendo levia faciunt, vir sapiens levia facit diu cogitando.*

Paratus sum & non turbatus, ait cum Davide quisquis mala prævidit, & liberando se à perturbatione animi, majorem pœnæ partem sustulit.

Deinde verò, quod aliud est propositæ quæstionis caput, qui sic minus patitur, suum tamen inde meritum vehementer auget, quia libentiùs & constantiùs patitur; quod ad meriti virtutem & augmentum facit vel plurimùm. Cùm enim ad patiendum sese præparaverit, sese obtulerit, & occasionem libens volénsque expectârit, mirum quanto ardore ad illam accedat, dicátque cum sancto Andrea: *ô bona Crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te.*

Adde, quod cum sit imperturbatus animo & sibi præsens, liberè potest cum gratiâ quosvis actus virtutum exercere, à quibus retardatur imparatus & perturbatus animus: *Nam non est sensus ubi est amaritudo.*

Denique cum prævidendo adversa, seseque ad ea muniendo, sibi nobiliora quæque motiva proposuerit, quale est Christi exemplum & providentia, quæ sic nos regit, tum facile recordabitur & exequetur, quod hîc ab eo commendatur, *ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini.* Quod quidem vires non modò addit, sed & meritum eo auget amplius, quo memoria & amor Christi erit præsentior: Atque eo quidem erit præsentior, quo studiosius prævisa fuerit adversitas, & animi præparatio diligentiùs adhibita. *Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quod neque mors.* Nosti cætera, sed te ipsum in his nosce, quàm sis dissimilis. Et vide hanc in cæteris secundæ quadragesimalis hebdomadæ, Veritatem:

Quo quis est mitior, eo est generosior.

III. PUNCTUM.

QVantum ergo adversitas improvisa obest, tantum prævisa prodest; Quia quod improvisa damnum infert, ut majoris pœnæ minus sit meritum; hoc prævisa lucrum opponitum affert, ut minoris pœnæ majus sit meritum. Non enim semper in merito spectatur pœnæ gravitas, quando illa præcipuè gravitas ex culpa, seu ex defectu Virtutis provenit: neque etiam pœnæ levitas quidquam de merito tollit, quando illa levitas ex virtute & diligentia est comparata. Sic enim perfectiores quique minùs laborant in suis frangendis cupiditatibus, quàm imperfecti; neque minùs tamen merentur, imò eo magis, quo sunt perfectiores & quo perfectiori animo & ex motivo nobiliori operantur. Hinc sanctus Ambrosius, *perfectorum est corona; non patiuntur angustias nisi imperfecti.* Quamobrē, ut idem luculentè monet; *Præparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam, ut nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestiis, nullis suppliciis cedere. FORTIS est viri non dissimulare, cùm aliquid immineat, sed prætendere & tanquam explorare de specula quadam mentis, & obviare cogitatione providâ rebus futuris, ne fortè dicatur postea, ideo in ista incidi, quia non arbitrabar posse evenire.*

1 *Offic.* 26. & 30.

Ibid. c. 38.

Sic Author Ecclesiastici toto pene secundo capite, ad hoc ipsum hortatus; *Præpara*, inquit, *animam tuam ad tentationem: deprime cor tuum & sustine: sustine sustentationes Dei:* Sic in suis passim Apostolus Epistolis, sed in illa præcipuè, ubi omnibus armis nos instruens: *Accipite*, ait, *armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Sic eidem Apostolo, *Spiritus sanctus per omnes civitates protestabatur, dicens, quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis ipsum manerent.* Et de nocte *assistens ei Dominus, ait, constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te*

Eccles. 2.

Ephes. 6.

Act. 2.

Ibid. 23.

oportet & Romæ testificari. O quale motivum constantiæ, sic præmoneri à Domino! sic pro Domino laborare! At nonne tu sic toties
2. Tim. 2. Eccles. 4. præmoneris? Nonne sic laborandi pro Domino se multæ offerunt causæ? Itáne verò libenter & constanter laboras, sicut bonus miles Christi Jesu? Vide iterum in quo deficias: ubi, quando, & quomodo acriùs decertandum. Agonizandum pro anima, & usque ad mortem certandum pro justitia.

Qui supra mortem est, infra se videt omnia.
Vide Feria 4. hebdomadæ 2. in quadragesima.

SABBATO.

DE ORATIONE IN NOMINE Salvatoris faciendâ, ad petendum subsidium in adversis.

Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ioan. 16.

VERITAS PRACTICA.

Nulla in adversis conquerendi est ratio, aut nulla erit Conquerentis oratio.

RATIO EST, Quia nulla erit oratio, si non sit facta in nomine Salvatoris.

Sed si sit ratio conquerendi in adversis, non erit oratio conquerentis facta in nomine Salvatoris.

Ergo aut nulla est in adversis conquerendi ratio, aut nulla erit Conquerentis oratio. Quod certè est ad comprimendas in adversis querelas opportunum.

I. PUNCTUM.

Quam sit necessaria in adversis oratio, tam clarè patet, quàm clarum est in adversis necessarium esse subsidium Dei, quod per orationem maximè impetratur. *Invoca me in die tribulationis.*
Psal. 49.

Ut autem oratio sit Deo gratior, & nobis efficacior, hîc admonemur à Domino faciendam esse in ejus Nomine, prout infra explicatur.

At verò si sic fiat oratio in Nomine Domini, tunc planè cessandum est à querelis: Et modò agnoscendum, *Nullam prorsus esse in adversis conquerendi orationem, aut nullam Conquerentis futuram orationem.*
Trac. 102 in Ioan.

Nulla est enim oratio, si non sit in nomine Salvatoris: id est, ut interpretatur sanctus Augustinus, si non sit ex ratione nostræ salutis. *Non enim sonum literarum*, inquit, *ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere, cum dicit,* IN NOMINE MEO. Quasi diceret; cùm hoc sanctum Iesu & Salvatoris Nomen ad integram salutis nostræ rationem & significationem exprimendam sit institutum; hinc fit, ut quidquid petitur in hoc nomine, ad hanc salutis rationem spectare debeat, aut nihil alioquin ad nomen Salvatoris spectabit, sícque non erit oratio in ejus nomine.

Jam verò quòd nulla sit oratio, si non sit in nomine Salvatoris, seu ex ratione nostræ salutis, perinde verum est, ac cùm dicitur, nihil quidquam aliter in oratione peti. Nam unum & idem est nihil peti, & nullam esse petitionem sive orationem. Quod autem nihil petatur, nisi petatur in nomine Salvatoris, & nisi sit de ratione salutis, patet ex verbis Domini; *Usque modò non petistis quidquam*: Quæ *Ibid.* sic expressè declarat idem S. Augustinus; *Quidquid aliud petitur, nihil petitur: Non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.*

Vellésne Deum non orare? vellesne orando nihil petere, nihil proficere, nihil referre?

Usque

usque modò non petisti quidquam, si non petisti in nomine Salvatoris.

II. PUNCTUM.

SED si esset ratio conquerendi in adversis, non esset oratio Conquerentis facta in nomine Salvatoris.

Sibi enim contradiceret Conquerens in oratione sua, & in ratione conquerendi. Nam cùm adversa sint de ratione salutis, quoties oraret in nomine Salvatoris, toties adversa peteret prout Deus quem orat, cognosceret ipsi adversa prodesse ad salutem. Quando verò in adversis rationem conquerendi produceret, tum vel negaret adversa sibi prodesse ad salutem, vel tametsi prodessent, negaret se illa velle; quod est manifestè sibi contradicere, & Nomini Salvatoris non levem inferre injuriam, quasi non comprehenderet, quidquid ad salutem nostram spectat, aut licet comprehendat, tu tamen negligas. *Et peribit nomen eius? Irritat adversarius nomen tuum! VÆ duplici corde, & labiis scelestis* Hoc est videlicet duplex habere cor, & labia scelesta, eum aliud corde & aliud ore profiteris, aut cùm illud ipsum quod orasti, negas te velle. *Purificate corda duplices animo.*

Ps. 73. *Eccles. 2.* *Iac. 4.*

III. PUNCTUM.

NVLLA est igitur in adversis conquerendi ratio, aut nulla est conquerentis oratio: Nã vel oras in nomine Salvatoris, vel non oras. Si hoc secundum, nulla est oratio tua, quæ aliud præter salutem, aut contra Dei voluntatem petit: si primum, nulla est in adversis conquerendi ratio; quia non est ratio contra Divinã Providentiam & contra rationem salutis; hæc est autem Domini voluntas, & hæc tuæ salutis ratio, ut adversis exerceāris. Quod ex eo vel maximè patet, quòd post factam in Nomine Domini orationem, quæ suum semper effectum obtinet, hæc adversa remaneant. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Si sic dictum Apostolo, qui ter rogaverat Dominum, ut à se tolleret Angelum Satanæ, à quo colophisabatur: an negabis tibi sufficere eandem gratiam tuis in adversis? an dolebis te habere, quod tu ipse orasti, si unquam in nomine Salvatoris orasti? *Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? QVI impatientiam suam & improperium murmurationu contra Dominum protulerunt, exterminati sunt. OMNIA facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine querela & simplices filii Dei.*

2. Cor. 12. *Thren. 3.* *Iudith. 8.* *Phil. 2.*

Huic affines sunt istæ Veritates, ex aliis petendæ locis.

Ne dicas te petere in Nomine Domini, aut ne dicas te nihil obtinere.

In hac 2. parte. Dominica 5. post Pascha.

Nemo paratior ad omnia Dei dona, recipienda, quàm qui ad nulla sibi danda æquè paratus est.

In eadem parte, Sabbato seu Vigilia Pentecostes.

Nisi diligenter advertas, quod petis à Deo justiùs, hoc est, quod petis injustiùs.

In 3. parte, Sabbato hebdomadæ septimæ.

Quò sæpe vehementiùs aliquid Deum oras, ore quidem illi astas propiùs, sed corde distas longiùs.

In 3. parte, Feria 4. hebdomadæ decimæ quartæ.

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

DE CÆCO ILLVMINATO A CHRISTO DOMINO, POST COLLOQUIUM DE SUA PASSIONE HABITUM CUM DISCIPULIS.

Domine ut videam. Luc. 8.

VERITAS PRACTICA.

Cæcutientibus in via perfectionis, lux perfecta Christus patiens.

RATIO EST, Quia cæcutientes in via perfectionis illi sunt, qui ignorant, aut qui se scire dissimulant, quid in triplici gradu vel statu perfectionis sit agendum.

Sed, his ignaris lux tam perfecta Christus est patiens, ut inde non modò illustrentur intellectu ad cognoscendum, sed etiam accendantur affectu ad volendum.

Ergo cæcutientibus in via perfectionis, lux perfecta Christus patiens: ac proinde tam diligenter unicuique considerandus est, quam vehementer velit non cæcutire, nec errare in via perfectionis.

I. PUNCTUM.

ASSVMPSIT Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum: & tertiâ die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.

Factum est autem, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicãs. Vide quæ plura narrantur de hoc cæco illuminato à Christo Domino. Tum expende quàm apte duo ista concurrant: Colloquium Christi de passione sua: & illuminatio Cæci sedentis in via. Sic enim apertè innuitur, quod habet proposita veritas, *Cæcutientibus in via perfectionis, lux perfecta Christus est patiens.* Quod certè est plurimâ consideratione dignissimum; nam de triplici statu hominum seu de triplici gradu viæ, quæ spectatur in progressu perfectionis hic agitur; quandoquidem illi non aliter cæcutiunt in via perfectionis, quàm quod ignorant, aut se scire dissimulant, quid sibi sit agendum in unoquoque gradu.

Hic ergo primò quod sæpe alias audivisti, ad mentem revoca, tres esse status hominum, qui ad perfectionem tendant, nempe Inchoantium, Proficientium, & Perfectorum: seu quod eodem recidit, triplicem esse perfectionis viam ac vitam, nempe Purgativam, Illuminativam, & Unitivam. S.25.2.2. q.24.a.9.

Deinde verò accuratè considera, quòd status Incipientium seu Via Purgativa in eo maximè sistat, ut grave peccati odium concipiatur, & ab eo sese purget integerrimè quisquis seriò velit incipere. Status autem Proficientium seu Vita illuminativa in eo sit, quòd proficiens virtutem sic æstimet, ut unicum suum bonum, quo ad summum bonum tendit, sitque totus in ea excolenda, de Virtute in Virtutem progrediendo per singulos vitæ actus. Status denique Perfectorum, seu Vita unitiva id exigat, ut nõ modo spectetur, quid ex necessitate, vel obligatione sit agendum; sed ultra voluntariè, libenter, ultro, & fervenater quidquid perfectius & ex perfectiori motivo fieri potest, fiat cumulatè & constanter usque ad mortem. *Vt abundetis magis.* 1.Thes.4.

Quibus ita perpensis, jam illud facile est capere, quod prima Propositione dicitur, Cæcutientes in via perfectionis illos esse, qui ignorant

ignorant aut qui scire dissimulant, quid in unoquoque viæ gradu sit agendum. Nesciunt videlicet aut minimè curant gravitatem peccati, sicut scire & curare oporteret Incipientes, & viam incedentes purgativam. Virtuti pretium non illud ponunt, quale agnoscunt ponendum Proficientes in via, quam terunt, illuminativa. Nec debitum denique Perfectioni studium adhibent, ut quæ sit vita unitiva, non capiunt. Hoc est cæcutire, hoc est ignorare eâ cæcitate & ignorantiâ, quam Scripturæ passim arguunt in iis præcipuè, qui
Is. 42. se divino cultui mancipant; *Quis cæcus nisi servus meus? Quis cæcus nisi servus Domini?*
Ier. 5. *Qui vides multa, nonne custodies? AVDI populè stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non*
Apoc. 3. *videtis; & aures, & non auditis. ET nescis, quia tu es cæcus & nudus.* Hæc est tua fortè duplicata cæcitas, cæcum esse, & nescire, nec clamare, *Domine ut videam.*

II. PUNCTUM.

SED his ignaris lux tam perfecta Christus est patiens, ut inde non modò illustrentur intellectu ad cognoscendum, sed etiam accendantur affectu ad volendum.

Primò quidem pro vita purgativa, de gravitate peccati, quid sit cogitandum nullibi melius disces, quam in Christo patiente. Ecce enim vel pro uno mortali peccato in rigore justitiæ expiando, oportet unicum Dei filium, tam indigna pati! *Propter scelus populi*
Is. 53. *mei percussi eum. Agnosce,* inquit sanctus Ber-
Serm. 3. de Nativit. nardus, *quàm gravia sint vulnera peccatorum, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari!* Sed quod magis stupendum, licèt extrema sint illa, quæ passus est, longè se tamen magis pati quæritur & deplorat ex uno solo peccato, quàm ex suis quantumcunque atrocibus pœnis. Vide infra in die paraseeves ubi hæc Veritas fusissimè pertractatur, quæ in hæc modò pauca, sic posset contrahi. Certè cùm in mortali corpore pateretur, libens volensq; pro patris gloria & nostra salute patiebatur: at modò cùm per peccatum offenditur, simul ab uno peccatore omnia renovantur illi tormenta, quæ nullo modo potest velle. Simul proditur & negatur: simul conspuitur & alapis cæditur: simul accusatur & condemnatur: simul creaturæ comparatur & postponitur, simul illuditur, crucifigitur & moritur. *Sanè moritur nobis, si à nostra anima separatur,* inquit sanctus Ambrosius, & rursum Idem, ac sancti Augustinus & Bernardus, prout infra dicto loco referuntur, conformiter his memorandis Apostoli verbis: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.*
L. de fuga sæculi c. 2.
Hebr. 6:

Atque hinc duplex ratio, cur de culpa magis doleat, quàm de pœna: Primò, quia culpa est offensa Dei, Deum autem, qui ostenditur, magis amat Christus, quàm suum corpus, quod lædebatur. Deinde cùm læderetur in corpore, se tantùm lædi videbat ut hominem; *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* at peccato sic læditur, prout jam à peccatore cognoscitur, nempe Deus & Dominus gloriæ, quem toties sic offendit, ut dictum est, quoties peccat. O quoties his præsertim diebus, & quàm dolendum!

SECUNDO, pro statu proficientium in virtute. Quid videbis in Christo patiente nisi virtutes? & ubinam illas apertiùs videbis, quàm in Christo patiente? Percurre stationes universas, ubi dum pateretur, tantisper stetit, sive in horto, sive apud pontifices, sive coram Pilato & Herode, sive in Calvaria & in Cruce, sic ubique virtus relucet, ut nihil præter virtutem appareat. Nullæ illic divitiæ, nullæ facultates, nulli favores, nihil eorum planè, quæ suis mundus offert, aut quæ cupiditas naturalis desiderat, sed omnia potiùs illis opposita, plagæ, cruciatus, opprobria, in quibus constanter ferendis totus est, & in eo totæ virtutes. *Hæc est supereminens magnitudo virtutis eius, hæc operatio potentiæ virtutis eius,* de qua sanctus Apostolus.
Ephes. 1.

Revolve etiam septem postrema eius Verba, & ex unoquoque prominentem intuere Virtutem contra unũquodque ex septem vitiis capitalibus. *Pater dimitte illis, nesciunt quid faciunt,* Mansuetudo est cõtra iram. *Hodie mecum eris in paradiso*; Charitas est contra invidiã. *Ecce filius tuus, ecce mater tua:* Illustrissima est Castitatis commendatio. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* admiranda prorsus Humilitas. *Sitio,* singularis Tẽperãtia, *Consummatum est*: Perfecta diligentia, quæ est acediæ opposita. Habentur infra per totam hebdomadam de his Virtutibus Meditationes integræ: satis hîc fuerit delibasse, ut videas quanta sit cæcitas mundi, qui pro una vanitate aut voluptate Virtutes omnes prodigit

digit : quantaque sit in Christo patiente, hujus cæcitatis illuminatio, cùm Christus omnia sua tradat pro una Virtute exercenda & docenda. *Sicut sol lucet in virtute sua.* Apoc. 1.

TERTIO denique pro statu Perfectorum ; expende, quod non quilibet Virtutum actus à Domino patiente exerceantur, sed perfectiores, sublimiores, & longè plures, quàm ad nostram salutem viderentur esse necessarii, ut esset copiosa redemptio, & ut esset exemplar luculentissimum Virtutis non constringendæ intra fines & terminos strictæ cujusdam obligationis, sed ultra & ulteriùs extendendæ, quantum se quidem offert Gratia: Nam alioquin, *declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Ps. 124.

Hoc scilicet, quod vehementiùs orabat Apostolus, *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum : scire etiam supereminentem scientiæ Charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ephes. 3.

LATITUDO virtutis Christi patientis est, omne genus virtutum. LONGITUDO est continuatus & nunquam intermissus virtutis actus. SUBLIMITAS est pura Charitas seu obedientia Charitatis. PROFUNDUM est stupenda illa exinanitio, quâ se vult peccatorem & tanquam omnium peccatorum rerum exhibet pro peccatis immolandum. Possétne aliquid amplius ad perfectionis intelligentiam & amorem ejus excitandum desiderari? *Quid est, quod debuit ultra facere, & non fecit?* Quid verò est, quod tu debueris, & feceris? Is. 5.

III. PUNCTUM.

CÆCUTIENTIBUS igitur in via perfectionis *lux perfecta Christus est patiens*, cùm sic unumquemque suo in statu illuminet & accendat, nullus ut jam ignorare possit, quid sit sibi præstandum, nec dubitare quin illud omni modo præstare teneatur. Sic per Prophetam ipse Dominus olim prædixerat : *Ducam cæcos in viam, quam nescient, & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta : hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.* Sed pavendum, quod sequitur : *Conversi sunt retrorsum.* Neque plura his addantur, sed hæc seriò cogita, tibique toties retrorsum converso applica, & in viam lucis sic redi, ne retrò unquam respicias. *Vt filij lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate & justitia, & veritate : probantes, quid sit beneplacitum Deo : & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem arguite.* Is. 42. Ephes. 5.

Quod si te satis illuminatum putas : *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint :* Et ne ex illis sis, quibus saiebat Dominus : *si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis, quia videmus : peccatum vestrum manet.* Id est, ut interpretatur sanctus Augustinus. Si vos agnosceretis ignorantes, & vos à me doceri velletis, non haberetis peccatum infidelitatis, tunc in me facile crederetis : sed cum vos satis doctos ex lege & Prophetis arbitremini, neque à me putetis esse docendos, idcirco peccatum vestræ infidelitatis manet. & perseverat in vobis. Sic planè multis doctrina est occasio gravioris peccati ; vel dum non faciunt, quod sciunt ; vel dum se satis scire putant, cum se tamen ignorent. Luc. 11. Ioan 9.

IN EADEM DOMINICA.

SIVE IN SEQVENTIBVS FERIIS CONTRA IMPIETATEM TEMPORIS.

Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum. Ps. 36.

VERITAS PRACTICA

Quibus armis impietas hoc tempore propugnatur, iisdem expugnatur.

VEL SIC

Quibus armis hoc tempore Pietas impugnatur, iisdem propugnatur.

RATIO EST, Quia triplex armorum genus est, quo pietas modò impugnatur : Nempe sic ferunt tempora : sic universim agit

agit mundus : sic videntur exigere prope adventantes esuriales feriæ.

Sed hoc ipso triplici armorum genere, Pietas propugnatur.

Ergo quibus armis hoc tempore Pietas impugnatur, iisdem propugnatur. Quod certè est & plurima dignum consideratione, & opportuna praxi perutile.

I. PUNCTUM.

SICUT nullum justius est bellum, quàm quo Supremus Aliquis rebellantes coercet subditos, sic nulla est glorioſior pugna & victoria, quàm quæ talem hostem, aut quemvis alium suis expugnat armis. *Fac Domine, ut gladio proprio eius superbia amputetur.* Sic Judith Deo, qui Supremus est omnium Dominus, quem Holofernes armis impetebat; sicque revera factum est, ut hic Dei hostis suo perierit gladio. Sic puer David in Domino, vel in Davide puero Dominus famosum illum Gygantem non alio confecit ense quàm proprio. Ac cùm iste puer, Rex factus est, & prælia Domini præliabatur, hoc vel maximè precabatur, ut Dei hostes suis expugnarentur armis. *Gladium*, inquit, *evaginaverunt peccatores : Gladius eorum intret in corda ipsorum.*

Judith. 9. *1. Reg. 17.* *Ps. 39.*

Hi nempe sunt conjurati contra Deum hostes, qui peccatis ipsum offendunt, tumque apertius gladium evaginant, quando liberius & impudentius peccant. Quemadmodum hoc solet fieri tempore, quando rationes sui peccati propalant, & ratione simul ac peccatis cum Deo certant. Hic est videlicet evaginatus peccatorum gladius: sed hic eorum gladius intret in corda ipsorum, id est, illo ipso armorum genere, aut illis ipsis rationibus quas in Deum conjiciunt, dejiciantur.

Certè posset Deus vel nullos habere hostes, vel statim, ut insurgunt, deprimere, quis hoc ignoret? posset peccatores, quo ipso peccant momento extirpare, proterere, & æternis addicere suppliciis? Quis contra obsit? Sed quandoquidem illos tolerat, quandoquidem se ab eis impugnari patitur, quandoquidem ipse cum illis pugnam inire non detrectat, nihil erat vel Deo glorioſius, vel peccatori utilius, quàm ut suis peccator armis & rationibus revinceretur: *Iudicemur simul. Narra si quid habes, ut iustificeris.* O Bonitatem ineffabilem: & tamen prædicandam!

Is. 43.

Hoc est, quod modò agitur. Hæc est veritas, quæ modò proponitur expendenda, sive ut magis innoteſcat perversitas peccatoris, quæ tam perfractè & impiè rationes peccati sui audet obtendere; sive ut clarius appareat Divina Bonitas, quæ eo usque se demittit ad impios, ut obtentas eorum rationes audire velit : sive ut denique facilius reſipiſcant, cum viderint se suis ipsos expugnari armis & rationibus.

Age ergo, quid proponunt, quid effutiunt, quid præ se ferunt rationis, qua se in peccatum liberius efferri posse contendant? *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum*: Ecce quod loquuntur, ecce quo gladium exacuunt & inferunt: NEMPE sic obtinuerunt tempora, sic Mundus agit universus, sic videntur exigere, quæ propediem expectantur, graviora ieiunia.

Ps. 58.

Hoc est scilicet triplex armorum genus, quo impietas pietatem impetit; *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*; Triplex acies, quam Dæmon modo instruit. Sicut olim tres Chaldæorum turmas contra Jobum, ut in Deum ipse acrius & vehementius pugnet. Hoc omne tempus est in tres suas divisum differentias, quo se peccator tueri vellet suo in peccato. Præteritum nempe profert, cùm ait, sic obtinuerunt tempora: Præsens producit, cùm sic mundus agere dicitur universus ac denique Futurum advocat, cum futuri ieiunii gravitatem causatur.

Ps. 56. *Iob. 1.*

Hæ sunt adinventiones perversitatis humanæ, de quibus Scripturæ passim universæ. *Non dimiserunt adinventiones suas & viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. DA illis secundum opera eorum & secundum nequitiam adinventionum ipsorum. ET irritaverunt eum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.*

Iud. 2. *Ps. 27.* *Ps. 105.*

Ingemisce ad hæc : & suspira cum David *usquequò peccatores gloriabuntur? Effabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur iustitiam*; nisi videlicet comprimatur, nisi obstruatur, nisi contradicatur.

Ps. 93.

II. PUNCTUM.

SED *hoc ipso triplici armorum genere Pietas propugnatur:* his ipsis armis expugnatur impietas: his ipsis rationibus peccato potius resistendum est, quam cedendum.

Primò quidem ostenderur nullam esse in favorem peccati, rationem propositam: Deinde verò perpendetur, inde potius concludi Pietatem hoc tempore magis esse colendam.

Quod itaque primum emittitur, *quia sic obtinuerunt tempora,* verum id quidem, ratione facti, ut dicitur, sed falsum, ratione juris. Neque enim jus ullum ulli unquam tempori fuit, ut peccatum non esset malum, non esset vetitum, non esset puniendum, de hoc enim nunc agimus, de hoc decertamus; dantur quidem à Sapiente, sua cuique rei tempora; *Suis,* inquit, *spatiis transeunt universa, Tempus ridendi, tempus flendi.* Perge cum illo, quantum velis, nullum ibi reperies tempus peccandi. Hoc unum Scriptura excipit; *Nemini dedit spatium peccandi. DISCANT timere me omni tempore. CAVE ne aliquando peccato consentias. NON amuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die.* Quid clarius aut apertius? An putas contra Deum posse præscribi? An putas contra divina, posse prævalere humana? Ubi hæ voces, *nunquam* aut *semper*, divinitus enuntiantur: nihil humanitùs contra pronuntiari potest.

Eccl. 3. *Eccles.* 15. *Deut* 4. *Tob.* 4. *Prov.* 23.

Sunt affirmativa quædam præcepta, quæ non semper hoc sensu obligant, ut non quovis ea tempore & momento sint servãda, quia sunt suis astricta temporibus, sed quæ dicuntur *negativa*, sic omni sunt tempore observãda, ut nullum prorsus sit tempus, quo non debeant observari. *Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* *Gal.* 5. *HOC scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis*, fingendo videlicet tempus, quo hæc minus vetentur. *Ephes.* 5.

Sicut enim nullo licet loco peccare: sic neque ullo tempore: sicut Deus ubique est, qui peccatum spectet & puniat, sic ille semper sanctus, qui semper peccatum oderit & insectetur. *Deus enim illorum odit iniquitatem.* *Iudith* 5.

Neque ab illa unquam ullus hominum dispensare quemquam potest, cùm & ipse Deus non possit. Quæ quidem impotentia nõ est defectus potentiæ, sed potius summa Dei perfectio; ut qui tam sanctus & tam sanctè perfectus sit, ut non modò non possit peccare, sed nec peccato cõsentire. Nullum est enim peccatum, quod non sit inordinatio, nulla inordinatio, quæ non sit contra vel præter legẽ Dei, nihil porrò præter Dei legem potest probare Deus, cùm ipse sibi contradiceret; & qui malum vetaret, malum approbaret, mali esset author & judex, *quo sacrilegio* inquit sanctus Augustinus, *nihil detestabilius mihi occurrit.* *L.* 1. *de ordine.*

Putabant Bethulitæ post quinque servatos obsidionis dies: Saul post septem, quibus expectavit Samuelem: Israelitæ post quadraginta, quibus Moses ab illis abfuit; putabant inquam illi, solutos se ea lege post elapsum tempus, quo se illa teneri credebant, sed malè illis cessit. *Stulte egisti, nec custodisti mandatum Dei tui, nequáquam regnum tuum ultra confurget*, ait Sauli Samuel. Vellesne de his peccatis nunquam confiteri, nunquam pœnitere, nunquam ne in morte quidem meminisse? Nolles profectò, ne in peccato morereris, unde apparet, quàm sit ficta & simulata ratio, quæ à tempore petitur, & quam verè à Propheta dictum, *agnitio vultus eorum respondit eis.* Ex ipso vultu apparet, quàm aliter sentiant ac loquantur. *Iudith* 7. 1. *Reg.* 13. *Exodi* 32. 1. *Reg.* 13. *Is.* 3.

SED quia tamen ita prævalent tempora, ut hoc sibi assumant, quod non possunt. Esto sanè ut dicunt impii, hoc est præsumptum tempus peccandi; sic fingitur; sic evulgatur; sic persuadetur: An idcirco nil timendum? an laxiores propterea sunt habenæ solvendæ cupiditati? ô quam longè erras, qui hoc putes? Nunquam magis sibi timendum quàm modò; nunquam major adhibenda est sui custodia, quam hoc periculoso tempore. Nam quò tempus est liberius, & proclivius ad peccatum inducendum, eò certè præsentius & evidentius est peccandi periculum: at quo evidentius apparet tale periculum, nonne oportet esse cautiorem & magis solicitum ad illud evitandum? Nonne qui se manifestè exponit peccandi periculo, peccat: juxta illud Sapientis, *qui amat periculum, in illo peribit*; at nonne est se exponere periculo, se exponere periculoso tempori sine ullo metu, sine ulla cautione & tutela? sicut tempore pestis aut belli, qui *Eccles.* 3.

se

se temerè morbo vel hostibus ingereret sine ullo præsidio, sine ullis armis, merito censeretur inconsultus & temerarius. Sic planè modò qui vivit sine metu, sine cautela, sine attentiore sui custodia, temeritatis aut negligentiæ notam & pœnas non effugiet.

Periclitamur quidem omni tempore, semperque versamur inter hostes, quibuscum nobis tam assidua est concertatio, ut vita ipsa dicatur militia & tentatio super terram. Sed tamen certa sunt quædam tempora, quibus hostes sunt actiores, & militia sævior, unde & oportet esse magis instructum & paratum ab omnibus, prout crebro nos monent Scripturæ: *Fili conserva tempus, & devita à malo. SAPIENS in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet.* Expende Verba. Sic & noster Apostolus. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Quid est, *die malo* nisi periculoso, nisi proclivi ad peccandum, quale tu ipse agnoscis esse hoc tempus? Tunc accipiēda est armatura Dei, tunc induenda est armatura robustio: ; sic enim ille bis repetit; tanti refert hoc præceptum; sic galeam salutis vult assumi, loricam fidei, scutum & gladium spiritualem, quo possimus stare incolumes & infracti, tantis obsessi periculis.

Alioquin certè quod monuerat Sapiens, *sicut pisces hamo capiuntur, & aves laqueo: sic homines in tempore malo. INVOCAVI Dominum,* aiebat Ecclesiasticus, *exaudita est oratio mea, liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo.* Quasi diceret, hoc inter accepta numero beneficia tanquam singulare & eximium, quod me iniqui temporis periculo liberaverit Dominus; & unicuiq; sum author, ut tum fideliter ipsum oret, quia protectio divina quærenda est, & oratione quærenda est.

Sic planè docent omnes Doctores, tam necessariam in quovis periculo esse orationem, ut qui tum minimè oret, non minimè peccet, quia medium est divinitus ordinatū ad promerendum illud auxilium, quod est tali periculo magis opportunum. Ac propterea videtis hoc tempore publicas indici preces, quibus indulta, quæ vocant plenaria, conjunguntur, ut sic provocemur ad remedium periculi comparandum.

Certè quando nulla esset alia causa non omittendæ pietatis, quàm participatio bonorū spiritualium, quæ abundantius modò conferuntur, non esset negligenda occasio, sed cum orationis & Sacræ Communionis proposita sit illa causa, quæ à periculo temporis petitur, non potest omitti talis Communio nisi remedium periculi omittatur. Extremis malis extrema sunt adhibenda remedia. Extremū malum est peccare impudenter, sicut peccatur hoc tempore. Extremum verò sive summum remedium, Sacra est Communio: tum, quia sic est institutum hoc Sacramentum, *ut à peccatis mortalibus præservemur*, sicut expressè habet Concilium Tridentium: tum, quia sic est ab Ecclesia particulatim his diebus proposita ejus Communio, ut per eam singulariter hoc tempore protegamur à peccati periculis. Unde illud est valde considerandum, quod tametsi Sacra Mensa non haberet ex se, ut nos semper præservaret à peccatis, haberet illud tamen hoc tempore, quia sic ab Ecclesia proponitur, cujus intentione & fine quidquid operemur, sortitur efficacius suum effectum.

Quamobrem ut concludamus hanc primā partem, apertè patet tantum abesse, ut ratione temporis solutiores simus in peccatum, quin potius ipsa conclamante Ecclesia, quæ tanquam Christi vox audiri debet, hoc vel maximè tempore pietati vacemus, pericula caveamus, remedia conquiramus, & quantum saluti prospectum volumus, tantum *Timori Altissimi demus locum.*

SECUNDUM quod objiciebatur pro sostutiore & liberiore vita, *Mundus est universus sic vivens.* Validum sanè ac potens motivum, quam se cunque in partem dedat Mundus! quis enim non audeat agere, quod tam multi faciunt? Imò quis audeat non agere, quod pene omnes agunt? Et certè fateor cum sancto Augustino multos inde sua in improbitate roborari hoc tempore. sic enim ille scribit, *Si cui intueri vacat, quæ faciant, quæve patiantur, inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissonantia sanis, ut nemo dubitaturus fuerit, furere eos, si cum paucioribus furerent; Sanitatis patrocinium est insanientium turba.* Nō quod revera sit legitimum insaniæ patrocinium, sed quod se illo tueantur insani, ut à sua se insania quoquo modo tutos præstent.

At verò ut manifestè videant, nullum esse in peccatis tale Mundi patrocinium, dicant ipsi, an putent mendacium, juramentum, detractionem, & similia quædam peccata, minus esse reipsa & corā Deo peccata, quia vulgaria sunt & cōmunia Mundo pene universo?

Ecclesi. 4. *Ibid. 18.* *Ephes. 6.* *Eccl. 9.* *Eccles. 51.* *Sess. 13. c. 2* *Eccles. 19.* *L. 6. Civit. Dei c. 10.*

An tu minus mentiris, aut mentiendo minus peccas, quia sic omnes vendendo vel emendo mentiuntur? An avaritiæ, fornicationis, aut gulæ vitium minus est vitium, quia multorum est & pene omnium? An tu putas ex numero vel qualitate peccantium detrahi aliquid ex peccati malitia, vel peccatoris pœna? Num legisti, quod ait Sapiens: *Non subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit? VNVM QVEMQVE*, inquit, *juxta vias suas judicabo. VNVSQVISQVE nostrum pro se rationem reddet Deo. VNVSQVISQVE onus suum portabit. Refert unusquisque propria corporis, prout gesit sive bonum, sive malum. NE accipias personam, ut delinquas.* Quorum Scripturæ Verborum hic unus sensus est, ne putes alienis peccatis tua excusari.

Sap. 6. Ezech. 18 Rom. 14. Gal. 6. 2. Cor. 5. Eccles. 42

NULLA est itaque ratio, cur hoc tempore liberius pecces, quia sic libere Mundus peccat, imò est ratio cur non pecces, quia sic mundus peccat. Hæc est enim lata via perditionis, quam multi terunt, & quo plures in ea sunt, tanto magis via dignoscitur, & tantò magis fugienda designatur. Deinde, quo plures sunt, qui simul peccant, peccatum sæpe augetur, majori perpetratur audacia, mutuam sibi communicant omnes malitiam ex singulorum peccato fit unum quoddam grave, quo magis irritatur Deus ad pœnas inferendas. Sic ipse ad Prophetam: *Iniquitas domus Israel & Iuda, magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus*, id est peccatis, *& civitas repleta est aversione: dixerunt enim*, Id est, quasi dixissent, *dereliquit Dominus terram & Dominus non videt. Igitur & meus non parcet oculus neque miserebor. viam eorum super caput eorum reddam.* Unde & Sapiens: *Non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum.*

Matth. 7. Ezech. 9. Eccles. 7.

Deniq; tùm potissimùm suos probat Deus, cùm inter multos peccantes, se à peccatis cõtinent; cùm inter Sodomitas Lothus est castus: Inter profanos Iob religiosus: Inter idololatras fidelis Tobias senior: Inter murmurantes temperatus Caleb & Josue: unde cùm aliquando Ierosolymis pene omnes effusius in peccata ruerent, missus est Vir, *qui transiret per mediam civitatem & signaret Thau super frõtes virorum gementium & dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiebant in medio eius.* Hoc est scilicet se probare fidelem servum, tum servire magis Deo, quando minus ab aliis colitur.

Ezech. 9.

Hæc est gratia tua ad amicum tuum, dicebat Absalon Chusai, quẽ putabat deseruisse partes patris sui Davidis tùm exulantis: Quasi diceret, Itane te fidelẽ probas, ut in adversis amicum deseras? Hæc est gratia, quam reddis amicitiæ, quam reddis Amici meritis? Quid responderes Christo sic conquerenti? 2. Reg. 16.

REDITURUM te scilicet cum illo in amicitiam, ad proximè sequentes ferias, quæ jejuniis & pœnitentiæ consecrantur. Nunc verò quia molestiores instant illi dies, diluenda est liberiori gaudio molestia, & lautius excipiẽda sunt jejuniorum tempora. Hoc est nempe postremum, quod objiciunt, & quod suis peccatis obtendunt, qui hoc tempore liberiores sunt in peccando.

Sed nihil poterat dici absurdius, nihil iniquius, nihil magis alienum à lege.

Primo enim quid absurdius, quàm se liberius illi vitio mancipare, cujus oppositam velis exercere virtutem? quid absurdius quam idcirco superbum esse, quia velis esse humilis: idcirco iracundum, quia te ad mansuetudinem paras; idcirco intemperantem, ut sis postea sobrius? *Non est per temulentiam aditus ad jejunium*, inquit sanctus Basilius, *nec ad Iustitiam iter per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciviam, nec per malitiam ad Virtutem.* In regulis fusius disp.

Deinde quid iniquius & magis impium quàm idcirco audacius Deum offendere, quia tempus instat expiandarum offensionũ, quasi præteritæ non sufficerent, quasi per impudẽtiam aut infirmitatẽ peccavisse parũ esset, nisi ex mera malitia certoque studio peccata peccatis cumularemus? *Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet.* Iudith. 8.

Denique quid magis alienum & à lege & à fine instituti jejunii, quàm se ultrò peccatis implicare; quæ meliorem jejunii partem exhauriunt, & vim bonorum operum elidunt potentiorem. *Numquid tale est jejunium, quod Is. 58. elegi, dicit Dominus.*

O quam diversa sentiunt de jejunio Deus & peccator! Deus ait non placet mihi jejuniũ in peccato: Peccator verò, non placet mihi jejunium nisi in peccato. Deus ait, relinquendum peccatum, ut jejunes; Ego verò, inquit peccator, idcirco peccabo, ut jejunem. Deus ait, non aspiciam illud jejunium, quod peccato infectum est: Peccator contra, non suscipiam

piam aliud jejunium, nisi quod peccato sit infectum. Possentne contradictoria dici magis opposita? Possentnè verò excusari apud Deum, quæ sic Deo cõtradicunt? Nonne hæc verior à proximis jejuniorum feriis peti debet cõclusio: En instat tempus acceptabile, quo, si rectè affecti sumus, magna nobis comparandæ salutis submini strantur media: sic nos igitur rectè affectos esse convenit: sic nos igitur his perversis diebus cavere decet, ne pervertamur. Sic nobis igitur præcipuo cultu
Eccles. 2. pietati vacandum est: Sic apte Sapiens. *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei, & qui diligunt eum, replebuntur lege illius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas*
Ibid. 3. *suas.* Itemque paulo post: *Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus justitia successus habebit.*

III. PUNCTUM.

QVibus ergo armis hoc tempore pietas expugnatur, iisdem propugnatur; Et quibus rationibus Impii sibi persuadent liberiorẽ peccandi licentiã, iisdem non modo dissuadentur, sed contrà potius convincuntur & urgentur, ut majori cautione adhibita refrænent illam suam libertatem, quæ vel à Tempore, vel à Mundo, vel ab instantibus Jejunijs emendicatur. Nam si quid inde rectum, si quid sanũ, si quid rationabile deduci potest, totum pie-
Luc. 19. tati favet & militat. *De ore tuo te judicio, serve nequam,* Non est autem genus judicii ad con-
Matt. 12. demnationem potentius, *Ex verbis tuis condemnaberis.* Unde & Daniel, cum adhuc esset puer, sic Susannam falso accusatam liberavit, cùm ex utriusque Accusatoris responso con-
Dan. 13. vicit ipsum mendacii, *Rectè mentitus est in caput tuum.* Statimque populus in duos illos Iudices, qui se falsos præbuerant accusatores, insurrexit & lapidibus obruit: *Cõvicerat enim eos Daniel, ex ore suo falsum dixisse testimonium.* Quasi diceret Scriptura, non est mirum, quod de illis tam subitæ sint pœnæ sumptæ, nam nihil restat dubii, quando quis ex ore proprio
Prov. 10. convictus est. *Sic stultus cadit labiis. SIC qui*
Eccles. 27 *mittit in altum lapidem, super caput eius cadet.* Id est, qui contra cœlum, contra Veritatem, contra pietatem ratione pugnare voluerit, sua secum ratione pugnat.

Atque hinc duo illa Sacra Proverbia, quæ videntur sibi opponi, facillimè conciliantur, *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne* *Prov. 26.* *efficiaris ei similis. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Non est ita quippe respondendum, quasi assentiaris & adhæreas ejus dictis: Sed ita potius respondendum, ut & ipse suis revincatur sermonibus, & ad saniorem mentem revocetur.

Hoc est autem, quod ad praxim his diebus nobis proponitur: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam;* Cave assentiaris, cave putes aliquid culpæ quantumcunque levicularis, magis licere hoc tempore, quam quovis alio. *Responde stulto juxta stultitiã suam*: quidquid audieris, quo in sua sibi libertate blandiri videatur impius, tu ne finas impune verbũ labi, *cadatur labiis suis stultus,* suo judicetur ore, suo perimatur gladio, suo ipse dicto revincatur impietatis & stultitiæ. Non est silendum, ubi silentio roboratur impietas: roboratur autem silentio, quando adumbratis in sui patrocinium rationibus nemo contradicit. Non est Christiani, non est tolerare incorreptam blasphemiam. Blasphemum verò est. Rationem peccato conjungere. Injuria est non modo rationis Divinæ, quasi erret vetando malum, sed & rationis humanæ, quasi peccato patrocinetur. Si ratio esset peccati, jam non esset peccatum, aut esse ratio desineret. Tanta est utriusque naturalis pugnantia, ut uno posito destruatur aliud necesse est. Nihil gloriosius peccato posset accidere, quam ut rationi jungeretur: Nihil ignominiosius Rationi posset contingere, quam si cum peccato conveniret. *Nec ratio, nec prudentia erunt apud in-* *Eccl. 9.* *feros, quo tu properas,* dicebat Sapiens: essent verò ibi & ratio & prudentia, si hic esset aliqua peccandi ratio. Cum enim omne prorsus peccatum illic puniatur, ratio esset, cur non puniretur, quia ratio fuerat, cur peccaretur. Ac proinde, ô impietatem, ô blasphemiam inauditam proinde sequeretur, iniquum fuisse Dei judicium, injustè damnatos esse peccatores, iniquum & injustum Deum, qui æterna puniat pœna, quod cum ratione & æquitate factũ est sequeretur revocandã esse sententiam, appellandum in jus ipsum supremũ Judicem, & uno verbo nullas fore peccatorũ pœnas, quia nullus peccator est, qui rationem peccato suo non adumbret.

Hoc fateatur necesse est, qui se profitetur peccato suo rationem adjungere. Tanta

verò

verò hæc est blasphemia, ut ne ipsi damnati, quorum est blasphemare vita, ne quidem ausint in hanc erumpere: sed quidquid gravius de pœnis gemant & expostulent, fatentur tamen omnes & profitentur, *se in malignitate sua esse consumptos.* Id est, se sua dignos pœna, nullam sibi esse rationem contra Deum, rationem esse suæ pœnæ, quia nulla fuit ratio suæ culpæ. Sap. 5.

Eant nunc impii, quò sua feruntur libidine, suas in concupiscentias toti devoluantur, si ratione & pietate non possunt retrahi, liberum illis quidem est, qua libertate possunt peccare: Sed ne dicant sibi esse liberum, qua libertate nunquam licet peccare. Ne Christiani hoc tolerent quod ne profani probarent. Non est satis modò, non est Christi servo satis, non peccare liberius; sed ne quis audeat, toto debet annisu contendere, tota debet contentione prohibere. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Quasi diceret, non tantum nō est idem committendum, quod illi Tenebriones audent, sed ne audeant, est annitendum. Quod si verò impedire facta non possis, at saltem quod tu potes, eorum dicta potenter argue. Si, ne peccent, impediri nō possunt, impediantur peccando blasphemare, impediantur dicere sibi modo id esse licitum. Cōtra conclametur, contra contendatur; ne si forte tu silueris, ille tuo silentio se innocentem putet, & tu illius culpæ sis reus. Ephes. 5.

ADIVNGENDA PRÆCEDENTI VERITAS PRACTICA: VEL SEORSIM, HIS DIEBUS PROPONENDA.

Nihil unquam Christiana Religio passa est gravius quàm quod à Christianis modò patitur.

RATIO EST, Quia nihil est gravius, quod passa sit Religio Christiana, quam quod magis vergebat ad animarum interitum.

Sed nihil unquam passa est, quod magis vergeret ad animarum interitum, quam quod modo patitur.

Ergo & nihil unquam passa est gravius. Ac proinde meritò indicuntur preces publicæ tanquam in publica calamitate ad divinum subsidium postulandum, sive universim, sive particulatim.

I. PUNCTUM.

AD primam propositionem, cùm sint varia & prope innumera persecutionū genera, quæ Christiana Religio pene semper sustinuit, tùm verò triplex est magis generale & commune, ad quod cætera omnia referuntur. Primum est, cùm ei restitit Mundus, ne reciperetur, ne crederetur, ne prædicaretur. *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in Nomine isto.* Hoc primum, quod est Religioni oppositum, Ne divulgetur, ne dilatetur. Act. 5.

Secundum est gravius, cùm non modò nō permittitur Religio dilatari, sed ejus etiā prohibetur professio, minæ intentantur omnibus Christianis, bonorum publicatio, catenæ, carceres, exilia, verbera, scorpiones, equulei, cataslæ, plumbata, rotæ; quidquid demum ad terrorem & cruciatum corporis excogitari possit, totum hoc per multos annos, per universum terrarum orbem, per potentissimos quoque Principes impenditur: & esse Christianum, nihil est aliud, quam esse victimam propediem immolandam. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Gravis sanè vexatio. Ioan. 16.

Sed gravior tamen in tertio quodam genere, quo non corpora sed animæ sempiterno morituræ interitu petebantur. Cum enim viderent Imperatores infensissimi religionis hostes adeo non cedere tormentis Christianos, ut potius roborarentur in dies: nec religionē inde minus sed magis crescere, hoc excogitarunt ad religionis perniciem, ut promissis & blanditiis, pecunia & voluptatibus, gloria & propositis magistratibus, Christianorum animos demulcerent. Sic de Juliano apostata singulariter, Commentator librorum sancti Augustini de Civitate Dei, non tam ferro inquit & armis agebant, quam blanditiis & dolis. Quo in persecutionis genere tria inerant supra quodvis aliud gravissima: Niceph. l. 10. c. 4. L. 18. c. 51.

Primum,

Primum, quod licet morte obita perirent in terris Christiani, vivebant tamen in cœlo: vitam non perdebant sed mutabant, meliore sui parte, quæ est anima, servabantur. At dum à fide deficiebant per voluptates, vivebant quidem in terris, sed moriebantur cœlo, vivebant corpora, sed interibant animæ: quantaque est corporum & animarum differentia, tanto gravitatis & malignitatis intervallo, distabat ab aliis hæc persecutio, quæ animas perimebat.

Secundum est, quod tametsi metu pœnarum deficerent aliqui, non tam multi tamen, quam per voluptates inescati, nec illorum defectio deficientibus ita erat perniciosa quã istorum. Neque enim erat tam voluntaria, tam interna, tam vera defectio fidei, quæ per metum extorquebatur, quàm quæ ex voluptate & blanditiis eliciebatur. Peccabant illi quidem metu mortis quantumvis acerbissimæ, at certè non ita graviter, quam qui amore vitæ & blandioris vitæ se inescari sinebant. Nam præterquam quod hi à fide toti deficerent, dabant se etiam imputis voluptatibus, quibus implicati nunquam emergebant. Vix aliquos metus mortis terruerat & à corde fidem extorserat, quin paulo post ad se reversi, fidem revocarint, & resipuerint. Vix unus ex his verò, qui blanditiis emollitus fuerit, ad meliorem mentem se receperit, sed pervicaci omnes animo sua in defectione perierunt. Quod certè est ad perniciem gravissimum.

Tertium denique, defectio fidei, quæ metu ab invitis excidebat, non ita probro vertebatur religioni, quàm quæ sponte prodibat à deliciis. Quid enim vilius brevi voluptate? quid caducis istis rebus fragilius? Et tamen hæc præferre cœlo! præferre Christo! ah probrum! ah perfidiam. *Secuti viam Balaam ex Bosor, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.*

Num. 22. 2. Pet. 2. Apoc. 2.

II. PUNCTUM.

SED nihil unquam passa est Religio, quod magis vergeret ad hunc probrosum animarum interitũ, quàm quod à Christianis modo patitur.

Quod antequam demonstretur, declarandum paucis est, quàm rectè, quidquid modo sibi liberius indulgent peccatores, nomen persecutionis Ecclesiæ seu Religionis Christianæ sibi attrahat. Primò enim sic omne illud appellatur, quod ad vitium quodcunque inducit, sive id metu, sive voluptate fiat. Sic enim apertè Apostolus ait, Ismaelem persecutum fuisse Isaacum, cùm tamen in alio scripturæ loco talis persecutio ludus dicatur, ut jam alibi notatum est ex Genesi vigesimo primo, & ad Galatas quarto; nempe ludo isto procax Ismael innocentem & reluctantem Isaacum pelliciebat in aliquod pravum vitium, quod est Apostolo teste, ac reipsa persequi. Ac proinde cùm modò Christiani sic pelliciantur ad vitiũ, cur nõ persecutionis tempus dicatur? Deinde verò, quia forte dices de fide & de Christo præsertim agi oportere, ubi de persecutionis nomine agitur, responderi facile potest, neque hoc deesse huic temporis libertati. Nam articulus fidei est Ecclesiam esse sanctam, id est, nihil falsum, nihil iniquum prorsus & pravum docere. Hic autem articulus his diebus disceptatur, pervertitur, violatur. Fingunt videlicet sibi hoc tempore, nonnulla licere peccata, quæ nollent alias admittere, neque enim liberius peccant, quam quod laxiorem putent peccandi libertatem, quod qui credit, non credit sanctam esse Ecclesiam, ac puram religionem Christianam, quæ si aliquo tempore peccatum permitteret, certè nec sancta nec pura esset.

Gen. 21. Gal. 4.

Quod & Christo Domino non potest non esse injuriosum multis modis. Nam cùm ipse sit Author Religionis, & Caput Ecclesiæ, si quid Religio non sanctum, non castum, non illæsum admitteret, redundaret in ejus Authorem & Caput, à quo regitur & docetur. Quid porro magis alienum à mente Christi quam peccatum in suo mystico corpore destruere, suum naturale corpus destrui voluit, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Sed quomodo sancta & immaculata, si aliquod modò permittat peccatum? aut quomodo Christum & Ecclesiam non impugnet, qui se modo peccare posse contendat, quod non auderet alias.

Ephes. 5.

Addo, quod est præcipuè observandum ad persecutionis nomen, quidquid hoc tempore sibi à quoquam indulgetur, certa quadam & peculiari ratione dici potest in odium Christi & Christianæ religionis sic indulgeri. Cur enim potius hoc tempore quàm alio? quia scilicet

scilicet instant longiora jejunia, recurritque celebranda Memoria passi olim Christi, quæ cùm sint mæsta tempora, lugubria, & pavenda, solatium aliquod quæritur, quo mitigetur asperitas illius venturi temporis. Nam si non esset passus Christus, aut si ejus recolendæ passioni non imminerent Sacrati dies, cessaret ista peccandi licentia, nemo sibi modò largius indultum vellet; Unus est Christus passus, propter quem quadragesimale jubetur jejunium, & propter quem bacchanales instituuntur dies, Longè quidem diversus est finis & status utriusque temporis, sed tamen ex eodem fonte ac capite derivatur, quidquid modò proponitur laxius, & quidquid deinde arctius? Unde quàm aptè & congruenter persecutionis nomen huic competat. Tempori manifestè patet, restatque illud, ut demonstretur, quantum in animarum perniciem atque interitum hæc persecutio sæviat, supra illas etiam omnes, quas olim passa est Christiana Religio.

TRIA sunt autem, quæ id evidenter manifestent, primum est, quod tanto certior & gravior sit animarum interitus, quàto est minus prævisus & agnitus, *Velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur.* Sic se habent verò tempora hæc comparata priscis temporibus, ut quæ olim patebant & cernebantur pericula, nunc planè lateant & ignorentur. Quando Persecutor erat apertus religionis hostis, licet blandiretur, licet mira promitteret, quis ab eo tamen sibi non caviſſet? Sed quando persecutor est Christianus, quando ipse est civis, ipse contubernalis, ipse amicus, ipse frater, quando hoc idem omnes agunt, quis sibi timeat? Sicitaque modò tanto plures & certius pereunt animæ, quanto minus certa patent perendi pericula, *ut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Unde & Propheta Deo permittenti latens periculum sic aiebat: *Et facies, inquit, homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem. Totum in hamo sublevavit,* Nempe hostis, *traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit. Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus.* Quasi diceret, erit tempus quo se immergent in omnem homines voluptatem, & erunt quasi pisces maris. Dæmon verò quasi piscator, qui totum, id est, universos illo viventes tempore in hamo & sagena congregabit, tantique faciet illud tempus, quanti rem omnium desideratissimam, ut qui nihil avidius desideret, quàm animarum interitum.

Prov. 7.

Eccle. 9.

Hab. 1.

Dices fortè, quidquid sit sive persecutionis sive periculi, paucorum dierum est malum, quod vel etiam proximè consequenti jejunio facillimè diluitur & expiatur. Respondetur, & hac responsione secundum declaratur, quo manifesta sit major æternæ salutis jactura, quàm putetur. Non est, ut putas peccator, non est paucorum ista dierum persecutio, nō sunt unius aut alterius mensis pericula, sed totius vitæ; toto quo vivis tempore, vivunt hæc in te tempora; mutantur in te dies, tu nullis in diebus mutatis; diversa sibi succedunt agendorum spatia, tu unus & idem hoc semper agis, quod modo agis. Revolve præteritos annos, fuitne unus, ex quo agnovisti tempus hoc, tempus esse libertatis, fuitne vel unus annus, quo non te huic permiseris tempori, non te præteritæ libertati tradideris? *Et erit sicut hodie sic & eras & multo amplius,* ut est in Propheta: sic cæteri consequentur anni; sic semper credes hoc peccare tempore, minus esse vetitum quàm alio; quidquid confitearis & quantumcunque communices, manet illa in te semper hæresis, dicamne an infidelitas, an deceptio, an fascinatio, quod non aliter sit vivendum hoc tempore quàm vivitur. Quæ mens, quæ voluntas sic vivendi quamdiu manet in animo, tamdiu vivunt in te hæc tempora, tamdiu latet periculum, latet peccatum, latet interitus. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* Quidquid videlicet hoc peccas tempore, colligatum est & involutum in ea voluntate, quæ in te manet ejusdem semper tenendi vitæ cursus, quem modò tenes. *Habitatio tua in medio doli.* Dolus est & fraudulenta cogitatio, te posse aliter peccatum deponere, nisi deponatur voluntas non modò non peccandi, sed ne ipsius rei attingendæ, cui peccatum annexum est. Quæ voluntas cum vix aut nevix deponatur, manet in illa semper velut in radice peccatum idem, atque idem salutis periculū, animæque interitus. *O si cognovisses & tu! Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* quæ Sapiens olim prævidit: *Frutex peccati radicabitur in illis, & non intelliget ur.*

Ose. 13.

Luc. 19.

Eccles. 3.

Tertiò denique, quia hæc dicuntur abscondita,

dita, quia non putantur ita esse periculosa, ut dicuntur, quia latent & ignorantur, vix ullus est, qui non sibi fingat, quod quantumcunque esset periculum & peccatum, non tamen ejus esset reus, quia nescit, quia non putat se peccare, non putat esse peccatum sic largius vivere; Quamobrem inde deducitur gravius esse periculum. Ignorantia est affectata, qua certè nihil est perniciosius. Nam ex ignorantia te putas excusatum, & tamen non excusatur talis ignorantia, quia poteras & debebas scire ac credere, quod modo edoceris. Poteras quidem, quia idcirco publicæ denuntiantur preces & Conciones, quibus id singulariter intelligatur; debebas verò, quia tua res vel maximè agitur, nec ullo unquam debito strictiori devincimur, quàm procurandæ salutis animæ. *Ne ponas animæ tuæ scandalum, & à fi-*
Eccles. 32. *lius tuis cave, & à domesticis tuis attende. In omni opere suo, crede ex fide animæ tuæ.* Id est, Cave pericliteris de anima, quam debes rebus omnibus & personis præferre. Quidquid excusabis, nullum erit, quia nihil à salutis
Rom. 14. cura & negotio potest excusare. *Nonne anima plusquam esca? Noli propter escam destruere opus Dei.*

III. PUNCTUM.

Nihil ergo unquam Christiana Religio passa est gravius, quàm quod à Christianis modò patitur. Quia quod modò patitur, plurimum vergit ad sempiternum animarum interitum, quo quidem animarum interitu nihil gravius pati potest Religio, quando præsertim conjungitur, ut supra visum est, cum ipsius religionis ac Christi probrosa injuria, unde genus illud persecutionis emergit, quod specie quidem videtur mollius, sed reipsa durius & acerbius.

Serm. 1. de lapsis. *Emersit novum genus cladis*, aiebat sanctus Cyprianus, *& quasi parùm persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub titulo misericordiæ, malũ fallens, & blanda pernicies.* Nempe dum Christiani metu pœnarum lapsi, & resipiscentes facilius reciperentur, nec nisi blandè & molliter cum illis ageretur, multi fidem deserebant spe illa sustentati, quod rursus nullo negotio revocarentur & admitterentur in cætum fidelium: eratque novum cladis genus & nova persecutio, quæ quo blandiorem habebat faciem, magis erat deploranda, videbaturque quasi cumulus aliarum omnium vexationum, quia videlicet magis exponebatur salus animæ, dum in spem veniæ & misericordiæ sic facilius peccabatur.

At nonne hoc ipsum est, quod his peccatur diebus? nonne hoc ipsum sub titulo misericordiæ malum est fallens, & blanda pernicies? Nonne quia bonus & misericors fuit Dominus nos redimendo, nunc idcirco, ut diximus, geniales agimus dies? Nonne quia bonus est & misericors, patiendo tolerantes, quæ agimus, minus timemus & peccamus audacius? Nonne quia bonus & misericors Deus, nos brevi pœnitentes statim recipiet, minus propterea peccati damna metuimus? Hic est *Titulus misericordiæ*, quo malum præsens fallit, & blanda perdit pernicies. Hic est Titulus, quo peccandi licentia, vocatur honesta libertas: quo laxiores epulæ dicuntur mundi leges: quo luxus, ludus, & quidquid concupiscentiæ libeat, appellatur jus temporis; Hic est Titulus, quo virtus exulat: quo pietas inimiça jucundæ societatis abigitur: quo timor peccati debilitas animi creditur: quo salutis monita sunt mẽtis tormenta. Hoc titulo nihil modò peccatur: aut si quid peccatur, nihil punitur. Hoc denique Titulo, nunc Misericordiæ cætera Divinitatis inscribuntur attributa, dicta & facta; Si justitiam, si potentiam, si præsentiam, si minas, si scripturas, si judicia, si quidquid demum de Deo dixeris ad continendum peccatorem; Unum proferet Titulum Misericordiæ, quo se contra omnia tutum putabit.

Itanè verò ille Titulus, quo nullus est potentior ad putiores quosque concitandos affectus, sit ille Titulus, quo nostri depraventur appetitus? Suntne hi bone JESU fructus tuæ Crucis? Suntne hæ Bonitatis illius expectationes, quam moriens exhibuisti? Siccine bonum te esse oportebat, ut nos essemus mali? sic te nobis misericordem, ut in te atroces essemus! sic te nobis pium, ut in te essemus impii! Tanta certè me tenet hujus impietatis ignominia, ut nihil satis infame & pudendum cogitare possim, quod non subitem libens ad hanc reparandam injuriam Bonitati tuæ nunc illatam.

Quis mihi det, ut pro te moriar, Divina bonitas, quæ Deum meum pro me mori voluisti! quis mihi det feriali constrictum funè per

universam trahi urbem, capite pedibusque nudum, facem præferre, qua cuncto spectante populo confitear, nimis esse injuriosam hanc nostram licentiam, qua sub *Titulo misericordiæ*, libentius nobis indulgemus. Agnosco capitale crimen! agnosco supremæ majestatis læsæ injuriam! agnosco perduellionis humani nefas. Abjuro facinus, detestor audaciam, & contra quosvis impugnantes, profiteor hodie tali cultu semper nobis esse observandam Dei Bonitatem ac Misericordiam, ut sit duplicare peccatum, sub hoc peccare Titulo, & quo magis nobis pater Divina Bonitas, tanto minus peccare liceat, tanto magis peccantes oporteat arguere, & ne graviores pœnas luant, tantò Deum magis precari & placare.

Huic affinis est illa Veritas, quæ habetur Feria sexta Paraseeves:

Gravius est Christo jam à peccato pati, quam quod olim pro peccato est passus.

Aptè conveniunt Verba Evangelii: *Ecce ascendimus Ierosolymam*: Et quæ sequuntur, Unde in tres partes tota Christi passio dividitur, cujus quoddam compendium opportunè in hos dies traduci posset.

Videnda sunt etiam ex Indicibus, quæ alibi de Cæcitate Concupiscentiæ referuntur; & de defectu fidei, præsertim Dominicæ quæ in Albis dicitur, ubi hæc sancti Joannis leguntur verba, *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, Et quæ inde formatur Veritas, hodierno Evangelio atque his diebus non incongrua.

Vide & in 3. parte, Feria sexta hebdomadæ 14. In 4. parte: Feria sexta, & Sabbato hebdomadæ 18. Feria 4. & sequentibus hebdom. 19. Feria 5. hebdom. 20. Feria 3. hebdom. 22. Feria 5. hebdom. 24.

HAC HEBDOMADE Veritates eruentur ex illa Oratione, quam Christus Dominus ad Patrem habuit, & quæ refertur Ioannis decimo septimo. Cumque illa Oratio variis abundet affectibus, sex præcipui seligentur, qui frequentiùs occurrunt exercendi in meditatione Passionis Domini, sicque ad eos in sequentibus mysteriis faciliùs efformandos, cum gratia disponemur.

FERIA SECUNDA.

DE ZELO CLARIFICANDI *Christi Domini*.

AD HÆC PRIMA EIUS VERBA.

Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Ioan 17.

VERITAS PRACTICA.

Scientia sine Zelo, arma sine milite: Zelus sine scientia, miles sine armis.

SENSUS est, quod, sicut arma sine milite, aut miles sine armis, nihil in bello efficiunt: ita scientia sine Zelo, aut Zelus sine scientia nihil contra hostes salutis, aut inimicos Christi prosunt: ac proinde quàm necessarius est horum usus, tam necessariò simul jungi debent.

RATIO est, quia quando ad aliquem effectum duo sunt ita necessaria, ut unum sine alio nihil efficiat, simul illa jungi debent tam necessariò, quàm verè talis effectus prætenditur.

Sed Christo Domino clarificando, Zelus & scientia sunt ita necessaria, ut unum sine alio nihil efficiat.

Ergo simul jungi debent, aut nihil agas pro Christo.

I. PUNCTUM.

MULTA hic fructuosè considerari possunt ante ipsam propositæ Veritatis consi-

consideratione. Primum est, quod dicit sanctus Augustinus de universa hac Christi Domini oratione, *Ita se*, inquit, *Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem: proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, quoniam tanti Magistri non solùm ad ipsos sermocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis ad patrem oratio, discipulorum est adificatio: & si illorum, qui hæc dicta aderant audituri, profectò & nostra qui fueramus conscripta lecturi.* Tract. 104 in Ioan.

Deinde verò contemplare, quo cultu, quâ reverentiâ cùm internâ tum externâ Christus Dominus oraret Patrem. *Hæc locutus est IESVS*, ait Evangelista, *& sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet Te.*

Tertiò perpende, quomodo passionē suam vocet clarificationem suam: nempe, ut dicit sanctus Hilarius, *Clarificat Pater deficiente sole, tremente terra, proclamante Centurione.*

Et verò etiam tot Christi patientis Virtutes eluceut, ut inde multùm clarificari possit.

Quartò adverte diligenter quòd, si quam Christus petat clarificationem, nō aliter eam expetit, quam ut Patrem clarificet, quod est summæ fidelitatis argumentum. Sic autem in ea ipsa filii passione Pater clarificatur, cùm Divina ejus attributa, Bonitas, Misericordia, Sapiētia, Justitia, & alia innotescunt. O qualis Justitia cum summa Bonitate conjuncta.

Denique sic persuasum habe, quod quantum de Christo bene mereri optas, tantum à te clarificandum oporteat, quibus omnino modis & personis ipsum notificare possis cōtra obsistentes quosque adversarios. Ad hoc autem tam eximium & tam divinum Opus operandum, Scientia & Zelus sunt ita necessaria, ut nisi utrumque adsit, nihil prorsus efficias. Atque hinc ratio & motivum efficax simul illa duo conjungendi desumitur, quia quando ad unum effectum duo quædā sunt ita necessaria, ut unum quidem sine alio nihil efficiat, efficiant verò simul juncta, tunc simul illa jungi debent tam necessariò, quàm verè & efficaciter talis effectus prætenditur. Quod quidem in proposita similitudine armorum & militis tam clarè patet, ut nihil evidētius videatur. Quid enim Miles sine armis, aut arma sine milite? ac proinde si bellum est gerendum, nonne oportet militem armis esse instructum? sic planè de cæteris universim, quæ mutuam à se exigunt operam, ut si quid videre velis, cum non possis sine lumine & oculis, nonne utrumque adhibes? si quid audire optas, cùm nō aliter fieri possit quàm per sonum & aurem, nonne alteri alterum jungis? Hinc illa sapiens Sapientis exprobratio in pigrum jacta. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi*, quasi diceret, cùm non aliter vitæ subsidia subministrentur à terra, quàm dum excolitur & aratur; si quis terram non arat, non modò nihil sibi ad vitam colliget, sed neque ab aliis meretur quidquam accipere quod in re tam clara cæcutiat, & duo illa tam necessariò simul adjungenda neglexerit. Prov. 20.

O quàm multo plures sic æternæ vitæ sibi subsidia denegant, quam hujus temporalis & caducæ! vix ullus est, qui suū non colat agrū, & vix ullus est, qui suum excolat animum.

II. PUNCTUM.

SEd Christo Domino clarificando, Zelus & scientia sunt ita necessaria, ut unum sine alio nihil efficiat, simul autem juncta plurimum possint.

Nam pr mò quid efficiet scientia sine Zelo, cùm sit hoc Zeli proprium scientiam acuere, excitare, & in medium producere, ut se ipsa prodat ad opus externum, quæ al oquin nō sic excitata lateret & otiaretur. Hinc Sapiens semel & iterum, *sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? MELIOR est, qui celat insipientiam suam, quàm homo, qui abscondit sapientiam suam. ANGELI quoque*, inquit sanctus Ambrosius, *sine Zelo nihil sunt, & substantia sua amittunt prærogativam, nisi eam Zeli ardore sustentent.* Tum paulò pòst, *Et quid miramur, si Angeli eū habent; Ipse Deus Pater ait, Zelans Zelabo Ierusalem Zelo magno. Quia Deus magnus, ideo & Zelus magnus est, & pro uniuscuiusque qualitate, ita & Zelus aut mediocris, aut magnus est. Zelo vindicatur Ierusalem, Zelo Ecclesia congregatur, Zelo fides acquiritur, Zelo prudentia possidetur. Dominus quoq; Iesus ait, Zelus domus tuæ comedit me.* Et nonnullis interjectis. *Zelus utilis in Sacerdote præcipuè, ne negligens ac remissus sit.* Ac denique Zelum vocat Dei vitam, quasi diceret, Zeli ministerio Deum in illis vivere, quibus prædicatur. Eccles. 20. & 41. In Ps. 118.

Quòd verò etiam Zelo Scientia sit adjungenda, dupliciter intelligi potest; primò qui-

dem ut per scientiam intelligatur Discretio & Prudentia. Deinde verò etiam peritia seu intelligentia eorum, quæ spectant ad cognitionem Domini Jesu. Quid enim doceas, quod ignores; aut quomodo fructuosè doceas, nisi prudenter discernas, quid, quibus, ubi, quando? Quod præclarè sanctus Gregorius in hæc verba Job, *Quis dedit gallo intelligentiam?* GALLO, inquit, *intelligentia dejuper tribuitur, quia Doctori veritatis Virtus discretionis, ut noverit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, divinitùs ministratur. Non enim una eademq; cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe enim aliis officiunt, qua aliis prosunt.* Vide quæ plura prosequitur. Quem in sensum rectè etiam sanctus Bernardus, *facillimè Zelo tuo spiritus illudet terroris, si scientiam negligas: nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit, ut in ea incautè & non cum ratione ambuletur.* Itemque alibi, *Importabilis*, ait, *absque scientia est Zelus, ubi ergo vehemens amulatio, ibi maximè discretio est necessaria quæ est ordinatio Charitatis. Semper quidem Zelus absque scientia minùs efficax, minùsque utilis invenitur, plerũque autẽ & pernicioſus valde sentitur.* Hoc est denique, quod Apostolus de Judæis dicebat, *Æmulationem quidem Dei habent, sed non secũdum scientiam.* Non est hoc æmulari Deum sed seipsum.

Iob. 38.
3. Mor. 5. & 6.
Serm. 19. in Cant.
Serm. 49.
Rom. 10.

III. PUNCTUM.

SIC ergo Scientia & Zelus coniungi debent ad clarificandum Dominum Iesum, ut nisi simul coniungas, nihil efficias. Sic defectu scientiæ corrigitur ille, cui dicitur, *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Defectu autem Zeli arguuntur ij, quibus Apostolus, *Et vos inflati estis, & non magis luctũ habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit!* Ab utroque verò simul conjuncto præclarè commendatur celebris ille Apostoli discipulus Apollo nomine, de quo sic in actis Apostolorum: *Hic erat edoctus viam Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu.* Expende accuratè quænam ea sint, quæ sunt Jesu: an illa probè teneas, an loquaris ferventer, & communices, quibus oporteret, seu ex officio, seu ex Charitate? Si quidem ita est, dic cum Apostolo, *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis, quò salvi fiunt; & in iis qui pereunt.* Si verò deficis, gemè cum Propheta: *Væ mihi, quia tacui;* accendatur velut ignis Zelus tuus. Frequenter illud repete, quod Christus Dominus conjunctimq; cum illo vehementer obsecra; *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Innotescat toti mundo, Scythis & Barbaris, Cannadensibus, & quibusvis gentibus, populis, linguis, & nationibus; *Innova signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum & brachium dextrum. Suscita prædicationes, quas locuti sunt Prophetæ priores:* Sic quondam Sapiens, à quo illud postremum audies. *Eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium virorum.*

1. Cor. 5.
Act. 18.
2. Cor. 2.
Isa. 6.
Eccles. 36.
Ibid. 42.

Vide in 1. parte, hanc inter alias, Veritatem.

Nemo minus sibi Christum servat, quam qui magis sibi soli servat.

FERIA TERTIA.

DE NOSTRA SVBIECTIONE

Sub potestate Christi. Ad hæc eius Verba.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det ei vitã æternam. Ioa. 17.

VERITAS PRACTICA.

Quò magis Christo subiicimur, eò magis erigimur.

RATIO EST, Quia eo magis erigimur, quo propius ad finem nostrũ supernaturalẽ accedimus. Sed eò propiùs accedimus, quò Christo magis subjicimur.

Ergo & eò magis erigimur. Et tamen non vis subjici.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

NON est dubium, quin Potestas Christi Domini, sit potestas divina, & proinde universalis, & quanta potest esse maxima & perfecta. Cogitari tamen hìc potest certa quædam potestas, quam sibi ut homini datam, ait à Patre, *ut omne, quod dedit ei, det eis vitam æternam*; nempe potestas regendi animas, ad beatam illam vitam, & ducendi unamquamque ad finem suum supernaturalem; per media sive gratias, quas illi ordinat & præscribit. Sic enim ut Redemptor & Salvator animarum de singulis particulatim disponit, sicut Architectus de lapidibus, quos parat & exequat ad ædificium. Sic sanctus Augustinus explicans illud Psalmistæ, *Ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israel congregabit. ILLO*, inquit, *sanguine collegit dispersiones Israel, collecti sunt dispersi, ut in manu artificis ad ædificium formarentur.* Ps. 146.

Et verò Natura nostra depravata illi resistit potestati, resistendo gratiis, quibus nos regit & dirigit ad gradum perfectionis, quò ipse nos destinavit; Neque id tantum in sensualibus, sed & etiam in spiritualibus nisi advertamus, divinæ eius Directioni nos ipsos opponimus, quoties eius ductum non sequimur meditando, communicando, loquendo, aut quidvis aliud operando; sed potius impulsu quodam humano & particulari ad ea ferimur, vel ad eum modum illa tractandi, quem fortè nollet, *Vsquequo non vis subiici mihi?* Exod. 10.

Ad hanc Subjectionem promovendam opportuna est Veritas modò expendenda, quâ monemur nostram unicam perfectionem sic in ea subjectione consistere, ut quo magis Christo subjicimur, eo magis erigamur. Et ratio est manifesta ex ante dictis; nam eo magis erigimur, quo propiùs ad finem nostrum supernaturalem accedimus; Est enim Finis uniuscujusque rei, sua postrema perfectio, suum complementum, & quod postremum desiderare possit; unde Finis & Summum Bonum convertuntur, ut quod est summum bonum alicui sit ejus finis, & quod est finis, sit summum bonum. Sic etiam dicitur finis prima esse inter alias causas, quia scilicet eas movet ad agendum, & quidquid agunt, totum est propter finem, *quo sublato*, ut ait sanctus Thomas, *necesse est alias omnes substrahi.* Sic enim expressis ille verbis: *Causarum ad invicem ordinatarum si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi: prima autem este causa finalis.* Atque hinc nobile est illud Effatum, quod *finis cognitio, vitæ humanæ est ordinatio*, si videlicet tanquam sagittarii, aliquid, quod spectemus, habeamus. Hinc tam multi præcipuè de fine disputant, quem tamen pauci consequuntur; quia forte magis de fine disputant cognoscendo, quam assequendo. 1. 2. q. 1. a. 2. Ex 1 Eth. 2.

II. PUNCTUM.

SED eò propiùs ad finem nostrum accedimus, quò magis Christo subjicimur.

Nam cum finis noster proximus & immediatus sit ille gradus perfectionis & gloriæ, quò nos Dominus destinavit, cumque ad illum gradum non aliter provehamur, quàm per gratiam, quâ nos ipse Christus eò ducit, atque ex consequenti per subjectionem, quâ illi gratiæ reddimus; profectò hinc sequitur, quòd eo propiùs finem nostrum attingemus, quo magis Christo subjiciemur. Nam illa est Christi subjectio seu gratia, cui subjicimur, quæ nos eò vehit, *sicut aquila non modo provocans pullos suos ad volandum, sed & eos portans & fovens in volatu.* Hoc est illud *destinatum brævium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*, quod tantopere persequebatur Apostolus. Hæc est operatio Christi, secundùm quam certare se Idem testatur, dum ait, ut *exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me, in virtute*, Hæc est *mensura regulæ, quâ mensus est nobis Deus*; Hæc *mensura donationis Christi, secundùm quam unicuique nostrum data est gratia.* Hæc denique *sobrietas, ad quam oportet, sapere, ne sapiamus plusquam oportet sapere: Vnicuique*, inquit, *sicut Deus divisit mensuram fidei, sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes.* Vide quænam est tua singularis, quomodo te ei subiicias vel resistas, & an tibi loquatur Apostolus: *Inflatus sensu carnis tuæ non tenes caput, ex quo totum corpus.* Deut. 32. Phil. 3. Coloss. 1. 2. Cor. 10. Rom. 12. Coloss. 2.

III. PUN-

III PUNCTUM.

HINC igitur patet, *quòd eo magis erigimur in virtutem, in perfectionem, in gratiam & gloriam, quo magis Christo subiicimur*; Quia magis attingimus nostrum finem, in quo uno adepto tota nostra provectio & beatitudo
Rom. 10. consistit. Sic apte sanctus Augustinus explicans, quomodo Christus Dominus ab Apo-
In Ps. 54. stolo *finis legis dicatur: Quoniam*, inquit, *quidquid agimus ad illum referimus, & cum ad eum pervenerimus, ultra, quod quæramus, non habebimus. Dicitur enim finis, qui consumit, & dicitur finis qui perficit. Aliter quippe intelligimus cum audimus, finitus est cibus, qui manducabatur: & aliter intelligimus cum audimus, finita est vestis, quæ texebatur. In utroque audimus, finitum est, sed cibus ut iam non esset: vestis ut perfecta esset. Finis ergo noster perfectio nostra esse debet, perfectio nostra Christus est: In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus.* Sic ad praxim egregiè sanctus Paulinus Nolanus,
Ep. 4. ad Sever. *Ergo*, inquit, *Illum amemus, quem amare debitum est; Illum osculemur, quem osculari castitas est; Illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est; propter Illum deiiciamur, cui cadere resurrectio est; Illi commoriamur, in quo vita est.* Utrumque etiam Apostolus videtur esse complexus his verbis, quibus & nos crescere simul & subiici Christo, velut capiti membra nos admonet; *Crescamus in illo*, inquit, *per
Eph. 4. omnia, qui est Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctura submin strationis, secundùm operationem in mẽsuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in Charitate.* Quale monstrum & portentum, si membra corporis nollent regi à capite, sesé que illi opponerent? Tale tu monstrum efficeris Animæ, si Christo repugnas. *Veruntamen illi sub-* Psal. 61.
jecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Quia ipse Deus meus, & salvator meus, adjutor meus, non emigrabo. Id est, inquit sanctus Augustinus, *quamvis hostes insidientur ubi possunt, calumnientur ubi possunt, veruntamen Deo subjicetur anima mea*, sic subjicietur, sic erigetur. *Venit dolor meus, veniet & requies mea: Venit tribulatio mea, veniet & purgatio mea. Nunquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit. Patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem. Quod vult aurifex, facio: ubi me ponit artifex, tolero, jubeor tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo, quia Deo subjicietur anima mea.*

Vide de hac subjectione Christo debita, in 3. parte, Feria 6. hebdomadæ nonæ: & Dominica 14. fusius. Expendi etiam potest Veritas, quæ habetur in eadem parte, Feria 2. hebdomadæ undecimæ:

Quod vel inimico nunquam negares, sæpissimè recusas Christo.

FERIA QVARTA
QUÆ EST CINERUM.
DE PERFECTA IMITATIONE CHRISTI Domini, in adimplenda Dei voluntate, sicut ille fideliter eam consummavit.

AD HÆC EIUS VERBA:

Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Ioan. 17.

VERITAS PRACTICA.

Non quidquid Christus egit, sed quomodo.

SENSUS est, quòd ad perfectam Christi imitationem, non est ita spectandum, quid egerit, quàm quomodo illud egerit: ut sic, quæ sunt officii nostri conemur perfectè agere, sicut ille suum opus consummavit.

RATIO est, Quia perfecta Christi imitatio in una Dei

Dei Voluntate fideliter adimplenda consistit.
Atqui ad hanc Dei Voluntatem fideliter adimplendam, ex parte nostra sicut Christus adimplevit, non ita spectandum est, quid egerit, quàm quomodo quidquid egerit.
Ergo & ad eius imitationem hoc præcipuè spectandum est: ac proinde inexcusabiles sumus, nisi Eum studeamus imitari, cùm hoc unum sit agendum quod agimus, dum bene illud, sicut Christus suum peregit opus, pergamus.

I. PUNCTUM.

TRIA hîc diligentissimè sunt observanda; primum, quòd Christus Dominus de tota vita sua suisque omnibus & singulis rebus gestis loquitur, tanquam de Opere sive Negotio sibi commisso, quasi nihil ex se ageret, diceretve, quod non sibi præscriptum esset: Sic enim ipse apertissimè jam dixerat, *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar: quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Certè hoc mirum! Ioan. 12.

Secundum observatu dignum est, quòd illud omne, quod tota vita gessit & dixit, unũ opus vocat; *Opus*, inquit, *quod dedisti mihi*; quasi hoc unum habuisset agendum, ut voluntatem Patris impleret, quasi hoc unum spectasset in sua infantia, in suis miraculis, in suis sermonibus, in suis quibusvis aliis operibus; *Vt faciam*, inquit, *voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius* Et proximus Passioni; *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Hoc est profectò diligere. Ioan. 4. Ibid. 15.

Tertium denique quòd, sicut dixit, sic perfectissimè opus sibi datum consummavit, ne syllabâ quidem aut apice uno desiderato. Quod maximè patet in eius passione, ubi omnia ad Patrem refert, & idcirco libentissimè & plenissimè complet, donec omnibus absolutis dicat, *CONSVMMATVM est, & inclinato capite spiritum tradat.* O verè obedientem filium, qui ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Ibid. 16. S. Bernar.

Sic nobis imitandus modò proponitur, ut habet Veritas, non in iis præcisè quæ fecit, sed in obedientia quam Patri reddidit; ut sicut ille, sic & nos fideliter nobis commissa & præscripta faciamus. Quod ut distinctiùs videas, expende illud primò, quàm verum sit, quod est in declaratione positum, perfectam Christi Imitationem in una Dei voluntate adimplenda consistere. Nam cùm Ipse hoc unum opus se peregisse dicat, & idcirco dicat, ut intelligamus, quid in ipso sit propriè imitandum; certè non potest dubitari, quin perfecta eius imitatio in una Dei voluntate adimplenda consistat, quam ille in suis omnibus dictis factisque tanquam unicum vitæ scopum & finem spectavit. Atque hinc Apostolus uno verbo quæcunque de Christo sunt, commendare volens, hoc unicè urget: *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset &c. Humiliavit semetipsum factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: Unde & paucis interjectis concludit, *Itaque Charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine querela & simplices filii Dei.* Hoc est verè obedire, & hoc est fortè, quod minus facis *Si subtraxerit se non placebit animæ meæ.* Phil. 2. Hebr. 10.

II. PUNCTUM.

ATQVI ad hanc Dei voluntatem perfectè adimplendam ex parte nostra, sicut Christus adimplevit, non ita spectandum est quid egerit, quàm quomodo illud egerit.

Manifestum est enim, quòd quæ omnia Christus gessit, non à nobis gerenda velit Deus. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis*, aiebat idem Paulus, tam perfectus imitator Christi, ut nos sui imitatores vellet, sicut & ipse Christum imitabatur. Et tamen quàm multum abest, ut ea omnia fecerit, aut passus sit, quæ Christus Dominus? Est ergo Christus exemplar universalissimum, unde singuli exprimere debeant, quod sibi sit proprium & singulare. Sic egregiè sanctus Gregorius Nyssenus: *Sua quisque vita pictor est, artifex huius operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus.* Sic & sanctus Bonaventura; *Refulgent à Christo, sicut à totius nostræ salutis Paup. exemplari & originali principio, actus multiformes: In his, quæ sunt severitatis & divinitatis, est Præsidentium & Prælatorum; in his, quæ condescensionis, est infirmorum.* 1. Cor. 1. Ibid. 11. Ep. 2. In Apol. part. 22. art. 3.

Quid autem à singulis velit Deus, hoc illis declarat, in suo cuique officio seu vacatione, in qua vocatus est: unde & toties idem Apostolus postquam dixit, *Volo omnes vos esse sicut meipsum*, statim addit, *sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius*
1. Cor. 7. *verò sic*; Et post nonnulla, *unicuique*, inquit, *sicut divisit Deus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo; Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium: In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur; Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Ubi duo hæc simul confirmatur, & quod maximè spectari debeat voluntas Dei, & quod in vocatione propria potissimum dignoscatur. Quid agimus animæ? quid hîc hæres diutiùs? non est, quod te excuses de ignorata voluntate Dei: cum in his omnibus ubi frequentius peccas, non ignoRom. 1. res, quid de te velit Deus. *Quod notum est Dei, manifestum est in te.*

III. PUNCTUM.

NON *quidquid Christus egit, sed quomodò quidquid egerit, id spectandum est ad perfectam eius imitationem*, ut in his potius, quæ sunt nostri officij, quâ in ipsis Christi operibus, quomodo egerit, sic nos agamus: cùm in his quotidianis nostris actionibus longè manifestior sit Divina Voluntas, in qua una perfectè adimplenda, ut dictum est, tota consistit Imitatio Christi: Cujus etiam exemplo plurimum excitamur ad illam in nostro statu Divinam penitus exequendam Voluntatem: quod proinde Deus proponit ut intueamur assiduè, tanquam Exemplar luculentissimum, quod imitemur. Si enim Filius æqualis Patri, sic ei obediens fuit in opere tam arduo & difficili, quid nos servos præstare convenit in quotidianis nostris obsequiis, quæ sunt tam facilia, ut præ facilitate & exiguitate rei? vix credamus ullius esse meriti. Et tamen si perfectè & integrè complererentur, ita Deo placent, itaque valent ad sanctitatem nostram; ut quantùm in illis fideles & perfecti fuerimus, tantum perfectionis & sanctitatis assecuturi simus: quia Christo Domino similiores erimus, & in eo genere similitudinis & perfectionis, quod maximè placet Deo, & maximè valet ad meritum, nempe in divina eius voluntate facienda. Vide in 3. parte de Obedientiæ voto, ubi hæc tractatur Veritas satis opportuna huic loco.

Quam glorioſa eſt ſimilitudo Chriſti, tam glorioſa eſt Obedientia.

Hoc eſt, quod potiſſimum nobis optabat Heb. 13. Apoſtolus dicens, *Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se, per Iesum Christum.* Quidquid verò ſit, quod impediat tantum bonum, vide quam breve ſit & evanidum; *Tanquam dies heſterna quæ præteriit*, ſic planè Pſ. 89. omnia tranſeunt, & tu cum eis pariter. *Et mũ-* 1. Ioan. 2. *dus tranſit & concupiſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum*, ait dilectus diſcipulus. Sic & aptè Sapiens, *Omne* Eccleſ. 14. *opus corruptile deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo.*

Hoc eſt, quod profitemur hodie in Cinerum aſperſione; hoc eſt quod in Evangelio Miſſæ auditur, *Nolite theſaurizare vobis the-* Matth. 6. *ſauros in terra; theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.*

Ingredere te ipſum hodie penitiùs; *Convertere ſeriò ad Dominum*, ut ait Sapiens, & Eccleſ. 17. *relinque peccata tua; precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Revertere ad Dominũ & avertere ab iniuſtitia tua, & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitias & iudicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis & orationis altiſſimi Dei. DEVS meus volui, & legem tuam in me-* Pſ. 39. *dio cordis mei.*

IN EADEM FERIA QVADRAGESIMALI AD EVANGELICAM LECTIONEM, ET CINERUM IMPOSITIONEM.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Matth. 16.
Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Mortificandis Concupiscentiis opportuna Mortis memoria.

RATIO EST, Quia mortificandis Concupiscentiis opportuna est illa memoria, quæ rei concupitæ Veritatem seu vilitatem repræsentat.

Sed mortis memoria præcipuè Veritatem seu vilitatem rei concupitæ repræsentat.

Ergo mortificandis concupiscentiis opportuna mortis memoria, proindeque simul aptè hodie conjunguntur illa duo, quibus homo admonetur, ut & nolit thesaurizare in terra, & meminerit se esse terram, verèque Deo possit dicere,

Ps. 21. Et in pulverem mortis deduxisti me.

I. PUNCTUM.

HÆC est sanctorum omnium Patrum Sententia, tempus hoc Quadragesimalis Jejunii, sic ordinatum esse præsertim refrænandæ gulæ, ut tamen omnibus universim vitiis resecandis impenderetur. Sic inter alios graviter S. Leo: *Quod ergo dilectissimi, in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc solicitius est & devotius exequendum, ut Apostolica Institutio quadraginta dierum jejuntis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maximè vitiorum. Nam cum ad hoc castigatio ista sumatur, ut carnalium desideriorum fomites subtrahantur: Nullum magis sectandum est continentiæ genus, quàm ut semper simus ab iniusta voluntate sobrii; & ab inhonesta actione jejuni. Quæ devotio non omittit ægros, non fecernit invalidos, quia etiam in languido atque inutili corpore potest animi integritas reperiri, si ubi fuit sedes pravitatis, ibi confirmentur fundamenta virtutis.*

Serm. 6. de Quadrag.

Ex quibus sancti Papæ verbis non id solum habetur, quod vitiis omnibus sit modo abstinendum, cum id omni tempore jubeatur, sed ita nobis esse temperandum, ut ad ipsam vitiorum stirpem evellandam, & confirmanda in reliquos vitæ dies fundamenta virtutis, intendamus; quod non aliter efficacius efficitur, quàm si, quæ radix est malorum omnium, Concupiscentia sic continuò refrænari discatur, ut quæ inde permanant vitia, coarctentur.

Quod idem apertè alibi sic declarat, *Ingressuri dies mysticos & purificandis animis atque corporibus sacratius institutos, præceptis Apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ut castigatis colluctationibus, quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem.* Ser. 4.

Quamobrem in hunc finem congruenter proponuntur illa hodie Domini Verba: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, id est, nolite affici rebus huius mundi, nolite mundum diligere, nolite terrena concupiscere; Quod non tantum de terrenis & temporalibus quæ fortunæ dicuntur, bonis intelligas, sed de honorum ambitu, de carnis voluptatibus; ac uno Verbo de triplici Concupiscentia, de qua tam sæpe ex sancto Joanne auditur, *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* 1. Ioan. 2.

Hi sunt thesauri qui thesaurizantur in terra, Hi sunt, quibus humana figuntur corda; seu potius ipsa sunt humna corda, triplici quodã nexu, rebus affixa perituris, quæ sũt ita modò revocanda, ut deinceps oderint, quod nimis amant, & fugiant, quod avidius prosequũtur, ac sensim perfectius mortificari discant. Opportunè verò Mortis memoria, quæ per impositos Cineres renovatur, opportunè inquã, mortificandis illis Concupiscentiis nobis offertur, ut habet Veritas, nunc expendenda.

Nam cum in res humanas non ferantur Concupiscentiæ nisi prout apparent vel jucũdæ, vel utiles, vel honorificæ, quæ suns tres boni species; profectò nihil æquè potest Cõcupiscentias à consectandis inordinatè rebus avocare, quam quod apparentem illam rerum speçiem denudabit, veramque earum faciem & naturam statuet, & quàm sint potius viles, caducæ, infirmæ & Christiano indignæ, repræsentabit.

Sic olim cum Judæi tam florentes & beatos se putabant ut nullis possent hostium viribus appeti, Propheta Jeremias jubente Domino, laguncũlam figuli testeam coram illis in velle Topheth çonfriegit, ac in minutissimas contrivit partes, ut hoc facto docerentur, suam illam quam putabant securam sortem ita brevi conterendam, ne ut unquam resurgeret, sicque iam ante discerent, quam parum illi fiderent. *Hæc dicit Domi-* Ier. 18.

nus exercituum, sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.

O si talis rerum, quas concupiscimus, imago nobis exhiberetur!

II. PUNCTUM.

SED Mortis memoria rerum illarum, quas prosequuntur Concupiscentiæ, veritatem & vilitatem imprimis repræsentat.

Tres enim Corporis mortui considerari possunt status, in quorum uno unaquæque Concupiscentia suum illud objectum, quod tantopere deperit, quale sit in veritate, & quã vile sit in substantia, facile possit intueri. Tres illi status à Christo Domino nobis exhibentur in tribus illis Mortuis, quos duntaxat suscitasse memoratur. Prima illa puella est, Tabithia nomine quæ jamjam defuncta, lecto adhuc suo detinebatur exanimis, & domesticum ejulatum circumfuso luridi vultus horrore concitabat. *Matth. 9.*

Hic est primus Mortis character, hæc prima ejus effigies, & exanimati corporis primus status, in quo vide ut statim atque divulsa est anima, quæ pars hominis reliqua superest, quàm sit fœda! quàm indecora, quam tota expers omnis sensus & membrorum usus! quã aliena quovis humano consortio! quàm mãca! quam abjecta, quàm nulla: Unde Sapiens, *Melior est canis vivus leone mortuo*, id est, nullum tam vile est animal, dum sit vivum, quod non præstet alteri mortuo, quantumcunque sit præstans & illustre.

In hoc autem statu Concupiscentia, quæ carnis dicitur, habet quod discat, quidnam amet, quando carnem amat & carnalia consectatur. Sic præclarè sanctus Gregorius ad illa Jobi verba, *Dulcedo illius vermis.* POTEST, inquit, *apertius vermis nomine, caro designari. Unde & superius dicitur: Homo putredo, & filius hominis vermis. Luxuriosi igitur cujuslibet atque carnis voluptatibus dediti, quanta sit cæcitas demonstratur, cùm dicitur: Dulcedo illius vermis. Quid namque caro, nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia, testantur sepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium quamlibet dilecti sui tangerè carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cùm concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis, & intelligitur quid amatur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. Consideratæ etenim corruptione carnali, citiùs cognoscitur, quia cùm illicite caro concupiscitur, tabe desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur: dulcedo illius vermis, quia is, qui in desiderio carnalis corruptionis æstuat, ad fœtorem putredinis anhelat.* Job 24. 16. Mor. 31.

Quibus sancti Patris verbis nihil videtur addi posse ad rem nostram illustrius exponẽdam, nisi forte illud Sapientis: *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum convivii: In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.* Eccle. 7.

SECUNDUS status in illo demonstratur Adolescente, qui jam positus in ferali loculo ferebatur in sepulchrũ. Dives multarum erat opum & plurima clarus parentela, sed quid tandem ex omnibus secum refert? Linteolum, quo sepeliatur. Nihilne præterea? Nihilne pecuniæ? nihil supellectilis & tanti cultus, quẽ ita studiosè conquisivit? Nihil prorsus. *Nudus egressus est de utero matris suæ, & nudus revertetur illuc. RELINQVENT alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternũ.* En quo recidit tandem, quidquid Concupiscentia oculorum de terrenis rebus sibi tam avidè attrahit. En quod expendat accuratè, quisquis opibus potius quam bonis operibus cumulandis vacat. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Luc. 7. Iob 1. Ps. 48. 1. Tim. 6.

Sic Christus Dominus hanc concupiscentiam refrænabat, *Stulte, hac nocte animam tuã repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est omnis, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Quo de Christi sermone sanctus Petrus Chrysologus tantum ad rem nostram momenti derivabat, ut diceret: *Quoties Dives iste venit in medium, quem tot sæculis, orbe toto, die omni, clamor divina vocis accusat; toties divitiarum fallax fugatur illecebra, toties cupiditatum furens flamma restinguitur, avaritiæ toties rabies vesana mitigatur.* Quia videlicet quàm sint evanida & nulla terrena omnia, cum sic evidenter à morte pateat, facile depuuntur. Luc. 12. Ser. 104.

TERTIUS est status Lazari quatriduò iã jacentis in sepulchro. Postrema domus hæc est humani corporis, & funesta illa hæreditas, quã cum serpentibus habitat, ubi vix aliquot hæsit Ioan. 11.

hæsit diebus, cum ecce paulatim in tabem, in pulverem, in cineres, & in horrendum penè nihilum, quidquid erat, reducitur. *Detracta est* Ps.14. *ad Inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

Sic superbia vitæ deprimitur, sic illa Concupiscentia, quæ animos effert sublimius, habet, quò se abjiciat & contundat, dum uno vili pulvisculo se ita constrictam intuetur, ut ne ultra cineres, & infima quæque terræ segmenta possit emergere.

Diceres Deum superbiæ nostræ Cinerem, quo tumorem ejus infringeret, velut intumescenti mari arenam apposuisse, & hoc ipsum nobis morituris, quod Jobo, dicere: *Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem &* Iob.38. *ostia, & dixi, usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* Et quod per Jeremiam: *Posui arenam terminum* Ier.5. *mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit, & intumescent fluctus eius, & non transibit.* Ita planè superbis hominibus, quantumcunque se in sublime tollant, illic tandem in sepulchro fixus est pulvis & cinis exiguus, quo tota illa sublimitas detumescat & deficiat, Eccles.10. unde jam illis dicitur, *Quid superbis terra & cinis?* Sic veiculam gutturis & plumas avium immolandarum, quæ sunt superbiæ symbola, sacerdos sacrificaturus projicere jubebatur, Levit.1. *prope altare ad orientem plagam, in loco in quo cineres effundi solent*, inquit Scriptura, quasi diceret, ubi superbus suos aliquando fore cineres cogitabit, ibi suam deponet & sacrificabit 1.Macch. superbiam. *Quia gloria eius stercus & vermis* 2. *est: hodie extollitur, & cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, & cogitatio eius periit.*

III. PUNCTUM.

Mortificandis igitur concupiscentiis opportuna mortis memoria, quę rerum vilitatem, quas appetunt Concupiscentiæ, dum demõstrat; tam facile appetitum earum retundit, quam facile est cum Dei Gratia quæcunque 2.Reg.12. sunt vilia & abjecta, non concupiscere. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt*; adde quia sunt vilia, fœda, indecora, fallacia, scelerata, noxia, pernicios issima, quæ peccatum & æternam invehunt perniciem. Et tamen his cõsectandis rebus, his nutriendis concupiscentiis, his appetitionibus sustentandis tota Mortalium vita transmittitur! *O verè terra inanis* Gen.1. *& vacua!* ô verè *vanitas vanitatum, & omnia* Eccl.1. *vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* id est, quid aliud agit & laborat homo, quam sic vanitatẽ consectari? *Verè mendacium possederunt Patres no-* Ier.16. *stri, vanitatem, quæ eis non profuit.* Resipiscamus ab hac insania. Ecce nunc tempus, cùm cineres imponuntur nobis, quasi jam eo redacti simus, quasi jam de carne nostra dicatur, quod aliquando dicendum est: Hæccine est Gen.8. illa, quæ corrupit viam suam? Hæccine est illa, quæ sui curam in desideriis volebat fieri? Hæccine est illa, quæ concupivit adversus spiritum? Hæccine est illa Iezabel! 4.Reg.9.

Perge per omnes corporis & vitæ partes, tibi ac aliis vehementius objicere, quanto intervallo status discedant à seipsis, qui suis olim vixerunt concupiscentiis, & qui modo in sepulchris jacent.

Vbi sunt principes Gentium? ubi sunt, qui ar- Bar.3. *gentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines? Exterminati sunt & ad inferos descenderunt, & alii loco illorum surrexerunt.*

Exædificentur quantumvis ampla & magnifica monumenta: statuantur obelisci, pyramides, & ad omnem posteritatis memoriam transmittendam, incidatur Cedro, vel æri, memoratum illud HIC JACET, fallacia tãtùm est; umbra est, pulvis est, Cinis est, hoc unum jacet in sepulchro. Mors tanquam *ab-* Dan.2. *scissus lapis de monte sine manibus, percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta sunt quasi in favillam æstivæ aræ, quæ rapta sunt vento.* Denique *Memoria vestra comparabitur cineri,* Iob 13. *& redigentur in lutum cervices vestræ.* Quibus Jobi verbis declarandis apte concludet sanctus Gregorius: *Omnes, qui cogitatione terrena* L.11.Mor. *huic sæculo conformantur per omne, quod agunt,* c.17. *huic mundo relinquere sui memoriam conantur. Alii bellorum titulis, alii altis ædificiorum mœnibus, alii desertis doctrinarum sæcularium libris instanter elaborant, sibique memoriæ nomen ædificant, sed cùm ipsa ad finem celerius vita percurrat, quid in ea fixum stabit, quando & ipsa celeriter mobilis pertransit? Aura etenim cinerem rapit, sicut scriptum est: Non sic impii non sic, sed* Psalm.1. *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie*

terra. Rectè ergo stultorum memoria cineri comparatur: quia illic ponitur, ubi ab aura rapiatur, quantumlibet enim quisque pro facienda gloria sui nominis elaboret, memoriam suam quasi cinerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit: quo contrà de justo scriptum est: In memoria æterna erit justus. Eo ipso enim, quo facta sua solius Dei oculis imprimit, nomen suæ memoriæ in æternitate figit.

Psal. 111.

Tum verò pergens explanare, quod in sacro sequitur textu.

Et redigentur in lutum cervices vestræ. SICUT, inquit, *per oculum visus, sic per cervicem solet superbia designari. Cervix itaque in lutum redigitur, cùm superbus quisque humiliatur in morte, & elata caro tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulchris jaceant divitum cadavera, quæ illa in extincta carne sit imago mortis, quæ tabes corruptionis, & certè ipsi erant, qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, despiciebant cæteros, & quasi solos se esse gaudebant: & dum non perpenderent, quo tendebant, nesciebant quid erant. Sed in lutum cervix redacta est: quia despecti jacent in putredine, qui tumebant in vanitate. In lutum cervix redigitur, quia quantum carnis potentia valeat, tabes corruptionis probat.*

ANNEXA PRÆCEDENTI, AD INORDINATOS RERUM AFFECTUS, MEMORIA MORTIS, ORDINANDOS.

VERITAS PRACTICA.

Quæ viventi res fuit gratior, hæc fiet morienti gravior.

RATIO est non solum, quia gravius est morienti relinquere, quod viventi fuit gratius: verum quod hic vel maximè considerandum est; Hæc censenda est morienti res gravior, quæ infœlicem mortem potest invehere.

Sed quæ viventi res fuit gratior, hæc infœlicem mortem potest invehere.

Ergo & hæc manifestè fiet morienti gravior; ac proinde diligenter ordinandæ rei providendum, ipsâ propositâ mortis memoriâ.

REm valde ponderosam continet prima propositio, sed minimè dubiam aut intellectu difficilem.

Secunda ex antedictis in 1. parte, Dominica 4. Adventus: & in 2. parte, Dominica Septuagesimæ, sat fusè probari potest sic procedendo: Mors infœlix illa censenda est, quæ in peccato accidit, sed mors plerumque talis accidit ab illa re, quæ viventi fuit gratior, inordinatè scilicet concupita, seu quæ fuerit *Immunditia, impudicitia, luxuria*, seu quivis pravus & impurus amor triplicis illius concupiscentiæ de qua supra; *Unde & etiam inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia, quæ prædico vobis*, inquit

Gal. 5.

Apostolus, *sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quid est regnum Dei non consequentur, nisi quod in peccato moriantur? Cur autem in illo peccato moriantur? Nonne possunt confiteri? Sed non conterentur, non ritè confitebuntur, non eos verè pœnitebit. Hoc certè necesse est ex verbis inferre Apostoli: nam sicut si ritè confiterentur aut contererentur, regnum Dei cõsequerentur, ita planè, si, quod affirmat Apostolus, regnum Dei non consequantur, neque illi conterentur, neque illos verè pœnitebit. Cur porrò non illos pœnitebit? Quia ut locis supra indicatis differitur, non est vera pœnitentia, nisi exuatur non tantum peccati, sed & rei affectus, quæ plus nimio colebatur; vix autẽ illi exuunt talem affectum moriendo, quem vivendo nimium nutrierunt. Hoc est *cor durum quod habebit male in novissimo: ET omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur*, ait Dominus, *super quem autem ceciderit, comminuet illum. OSSA eius implebuntur vitiis adolescentiæ, & cum eo in pulvere dormient.* Hæc pridem ex Iobo, dicta sunt sed non ista, quæ sunt valde illustria. *Pavit*, inquit Beatus Iob de peccatore, *pavit sterilem & quæ non parit, & viduæ bene non fecit:* Ubi Divus Gregorius: *Quæ hoc loco sterilis nisi Caro nominatur? quæ dum sola præsentia appetit, bonas gignere cogitationes nescit. Quæ autem vidua, nisi anima nuncupatur? quam quia sibi Conditor conjungere voluit, ad thalamum uteri virginalis venit,*

Eccles. 3.
Luc. 20.
Iob 20.
Ibid. 24.

Psalmi-

Psalm. 18. *Psalmista attestante, qui ait. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: quæ rectè vidua dicitur: quia eius vir pro ea mortem pertulit, & nunc in cœli penetralibus ab eius oculis oculatus, quasi in parte alterius regionis vivit.*

Iniquus ergo sterilem pascit, & viduæ benefacere negligit, quia carnis desideriis serviens, curam animæ vitamque contemnit. Tota namque intentione omni studio cogitat, quomodo sine ullis necessitatibus caro moritura subsistat, & curare animæ vitam despicit, quæ vel in morte vel in beatitudine procul dubio in perpetuum vivit.

Rectè autem cùm diceretur. Pavit sterilem. protinus adjungitur: Et quæ non parit. Quasdam namque ex Sacra Historia fœminas novimus steriles extitisse, & tamen in tempore extremo peperisse. Caro autem non solum sterilis, sed etiã, quæ non parit, dicitur: quia suo sensu bonas cogitationes gignere, nec in ultimis valet. A vigore enim iam proprio deficit, & tamen adhuc transitoria concupiscere non desistit: jamque à pristino robore lassata, penè ab ipso, quem diligit, mundo repellitur, & tamen adhuc animo improbo obtinere temporalia conatur. Agere jam perversa non sufficit, sed tamen cogitare, vel quæ non agit, nequaquam desistit.

Rectè ergo non solum sterilis, sed etiam non pariens dicitur: quia suo sensu, ut diximus, ad bona cogitationis prolem, nec cùm infirmata fuerit, fœtatur.

Ex quibus, quàm manifesta sit Veritas, sat liquido patet; sed urgẽda est acrius, & quoties illa incus, dicẽdo ad populum, tundenda obvenerit, non est parcendum sermoni, nec timenda repetitio, quia hoc unum cùm alias, tum hoc agendæ pœnitentiæ tempore, comprimis inculcandũ. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Ioel. 2.

ET VERO, IN EVNDEM FINEM, ALITER VERITAS ITA POSSET ENUNTIARI.

Ut Vita mortem ordinat, sic Mors vitam.

SENSVS & Ratio est, quod tunc vita mortem dicitur ordinare quando bene est ipsa ordinata vita Nihil hic dubii

SEd *ut bene ordinetur vita, facit inprimis attenta Mortis Consideratio*, unde facile est intelligere, quod sicut vita mortem ordinat, sic mors vitam, hoc sensu ut mortis recordatio sit vitæ ordinatio.

Certè hoc uno videtur Deus voluisse primum hominem suo in officio continere: *In quocunque die comederis*, inquit, *morte morieris*, id est, morti eris obnoxius; Quod ita quidem homo sibi altè impresserat, ut cùm primum à Serpente moveretur ad esum vetitum, hoc se uno verbo tutatus sit, *Ne forte moriamur*. Tum verò fraudulentus hostis cùm animadverteret, quantas jam haberet vires in humanis animis, ad vitam rectè ordinandã, ista mortis Cogitatio, cæpit omnibus machinis illam convellere. *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini*, qua persuasione facta, mox hominem facilè de suo dejicit statu. Ac tum præcipuè dicitur miser ille homo peccati pœnitudinem sensisse sui, cum Abelem vidit enecatum. Vidit quid esset corpus sine anima, quã fœdum & horrendum! quid anima sine corpore, quam infœlix & destituta, nisi dum vixisset, fœlicitati suæ comparandæ vacasset! Gen. 2.

Sic humani generis Reparator Dominus, nos totos voluit in ea mortis cogitatione, cũ nos in quovis vitæ momento ita succinctos & paratos voluit, quasi jam jam morituri essemus: nec aliter vitam traheremus, quam ut Gubernator ex puppi, quæ est postrema pars navis, navigium ducit; sic nos à morte vitam regere disceremus, & cum Apostolo diceremus: *Mors in nobis operatur.* Ad quæ verba S. Ambrosius: *Certè Apostoli moveor authoritate dicentis, Ergo mors in nobis operatur.* Tum fusè narrans quamobrem sic à morte vita dirigitur & ordinatur. *Sæpe*, inquit, *fallimur visu, & aliter pleraque quàm sunt videmus; fallimur etiam auditu, & ideo non contemplemur illa, quæ videntur, sed quæ non videntur, si nolumus falli. Quando igitur anima nostra nõ fallitur? quando soliũ veritatis attingit, nisi quãdo se ab isto secernit corpore?* Et quæ plura prosequitur, quorum sẽsus est, Quod sicut ad vitã rectè ordinandã oportet rectũ de rebus humanis judicium sibi Luc. 12. 2. Cor. 4. L. de bono mortis c. 3.

forma-

formare: sic ad rectum hoc formandum judicium, oportet advocare sensum mortis non vitæ: oportet de rebus id sentire & judicare, quod instante morte sentiemus, quia tunc anima non fallitur sicut in vita, cui sensus illuduntur; ac proinde rectius & sanius sentit.

Quod & sanctus Gregorius sic apertius dilucidat: *Qui considerat, qualis erit in morte,* 13. Mor. 15. *semper sit timidus in operatione, atque unde in oculis suis iam quasi non vivit, inde veraciter in oculis sui Conditoris vivit. Nil quod transeat appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit, & penè mortuum se considerat, qui moriturum se minimè ignorat.* PERFECTA enim vita est mortis Imitatio, *quam dum Iusti solicitè peragunt, culparũ laqueos evadunt; Vnde scriptũ est.* Eccles. 7.

In omnibus operibus tuis, memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

Cujus quidem divinæ Sententiæ tanquam Veritatis admodum practicæ, vel conjunctim cum aliis, vel separatim, posset hæc reddi Ratio & fructosè perpendi.

Cum vix aut ne vix aliter pecces, quam cupiditate boni, vel timore mali: si hæc duo sustuleris, non peccabis.

Sed memorare novissima tua, nec difficulter hæc duo tolles.

Ergo non peccabis.

AD primam propositionem, explicandum esset ex aliis sparsim locis, quod sicut vita naturalis, unde omnes humani actus procedũt, duobus duntaxat cordis motibus consistit, qui dicuntur Diastole & Systole, seu dilatatio & cõtractio, quibus spiritum sive aërem Cor animantis vel extrudit vel attrahit, unde pulsus efficitur: sic illa vita, quæ dicitur in homine sensualis, unde cuncta emanant vitia, duobus hisce præcipuis agitatur affectibus, Complacentia seu Cupiditate rei sensibilis, & displicentia seu Timore mali oppositi

6. Eth. 3. Sic Aristoteles in Ethicis: *Quod in cogitatione affirmatio & negatio, hoc in appetitu persecutio & fuga.* Sic sanctus Augustinus in Psalmis.

In Ps. 79. *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas & timor. Cogitate, discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini Conscientias, videte utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo aut timendo.* Vide quæ plura prosequitur in prima parte, die 2. Decembris. Sic & sanctus Gregorius: *Duobus modis ad culpam unusquisque pertrahitur: aut enim delectatione seducitur, aut timore superatur.* 6. Mor. 13

Fieri posset inductio per universas peccatorum species. Unde enim Avaritia nisi ex cupiditate bonorum temporalium, vel metu paupertatis? unde Acedia nisi ex nimia quietis cupiditate vel laboris metu? unde Ira nisi ex cupiditate vindictæ, & proprii timore damni. Sic perge in aliis, & adverte, quod est valde deplorandum, sic horum alterutri Cor humanum esse affixum, ut si unum superet, superetur ab alio, nisi cum Divina Gratia diligenter advertat, & utatur mediis ordinatis, quorum unum est præstantissimum, *Memorare novissima tua.* Sic enim utrumque temperatur, & cupiditas boni sensualis & timor mali, quæ secunda erat propositio, & quæ satis evidenter ipsa comprobatur experientia.

Nam cum memorata novissima repræsentent cupiditati majus bonum, quam quod peccato quæritur, & timori majus malum quam quod, nisi peccet, timetur: profectò sicut naturale est præferre majus bonum aut malum minori, sic bene juvante Domino, facillimum erit omnem cupiditatem, vel inordinatum metum reprimere, propositis illis vel majoribus bonis vel malis, quæ in futurum expectantur.

Sic aptè sanctus Augustinus: *Amabas terram, ama vitam æternam, timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promiserit mũdus, nunquid potest dare quantum dabit iusto Deus? quidquid tibi iusto minatus fuerit mundus, nunquid potest facere, quod facit iniquo Deus? Vis audire quid daturus est Deus, si iustè vixeris: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Vis audire quid facturus est impius: Ite in ignẽ æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Bene quidem, tu nihil aliud vis, quam ut tibi bene sit: Nam in eo quod amas, vis ut benè tibi sit: & in eo quod times, non vis ut male tibi sit: sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Festinas, nam & sine indigenti vis esse, & sine molestia. Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis.* In Ps. 74.

Sic Christus Dominus in hodierno Evangelio, ut dehortetur à thesauris thesaurizãdis in terra, thesauros in cœlo proponit, qui & merito & dignitate terrestres superent. *Nam & Corporum pulchritudo,* inquit Divus Chrysostomus, *quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur: cùm verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur.* Hom. 64. in Ioan.

Sic

Sic sanctus Eucherius in sua parænetica, quod Nepoti hoc nobis. *Amantes*, inquit, *vitam, hortamur ad vitam: vera ratio est, perjuadendi, cum id poscitur, ut impetremus à vobis quod concupiscitis, pro vita quam diligitis, legatione apud vos fungimur: & jam quam omnes exiguam amatis, insinuamus, ut ametis æternam, quam quo pacto amemus, nescio, si non hanc quam amamus, esse quam speciosissimam cupimus. Itaque istud, quod & cum actum sit placet, placeat magis, si potest esse perpetuum, & quod apud nos pretium habet, cum finem habeat, sit nobis supra pretium, si potest esse sine fine.*

Neque dicas, præsentia nos longè magis efficere quam futura, non est enim usquequaque verum: & manifestè apparet in multis naturalibus ac humanis rebus, quantum futuris demus potius quam præsentibus. Cũ semen terræ mandas, cum pecuniam credis Mercatori, cũ mari merces exponis, quid hoc aliud est quã præ futuris præsentia spernere? Et licet humana deessent exempla, nonne in contemptu præsentium ac futurorum expectatione, tota nostra versatur Christiana Religio? Nonne hæc sunt Fedei, nonne Spei & Caritatis maximè propria munia, credere quod non vides, sperare quod non adest, & quod abest diligere? *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Quamobrem quantum æterna credes commoda vel incommoda lõgè his esse temporalibus gravio a; tantum necesse est ut in utrorumque contentione cedant minora majoribus; ac proinde cum illa bonorum & malorum hujus vel futuræ vitæ contentio tunc interveniat, quando in occursu peccati novissima memorantur: Nonne vides, quam verè sit & sapienter dictum, ut illa memoreris, & non peccabis?

Qua de re, quantum ad praxim, sic iterum sancti Patres. *Nihil sic retinet homines à peccato*, inquit sanctus Augustinus, *quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Et rursum, *si diem mortis suæ homines cogitare vellent, animum suum ab omni cupiditate vel malitia cohiberent.* Sic cohærenter sanctus Ambrosius de futuro Judicio, *Si mente cernerent peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur.* Frænum hoc animæ peccatricis vocat sanctus Basilius. Cassianus verò generaliter hoc esse ait omnium vitiorum *peremptorium*, Sanctus Hieronymus de se passim profitetur, contra rebellantes cupiditates his præsertim pugnasse armis. Sanctus denique Prosper, postquam multa sanè horrenda de futuræ vitæ suppliciis commemoravit; *Hæc*, inquit, *& similia multa cogitare, nihil est aliud quam vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare.*

Sicque opportunè hoc ineunte tempore, quo peccato debellando potissimum aperitur campus, Mortis memoria, tanquam armatura potentiori exhibetur. *MEMENTO homo, quia pulvis es. MEMORARE novissima tua. INDVITE vos armaturam Dei.*

L. 2. de Gen. cõtra man. c. 28

Serm. 3. de Innoc.

L. ad Virg. lapsc. 8.

In Ps. 33.

Collat. 10

L. 3 devita cõtemp. c. 12.

Ephes. 6.

IN EADEM FERIA.

AD HÆC VERBA EVANGELII.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c. Matth. 6.

VERITAS PRACTICA.

Magis modo peccant, qui ne boni appareant hominibus, non jejunant: quàm olim tristes hypocritæ, qui ut boni apparerent, jejunabant.

RATIO est, quia magis peccant, qui peccata multiplicant, quam qui unum dumtaxat peccant. Cæteris scilicet paribus. Unde Sapiens, *Non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septupsum.* Ac paulo post: *Neque alliges duplicia peccata, nec enim in uno eris immunis.* Hæc sunt plana.

Eccles. 7.

SED qui ne boni appareant hominibus, non jejunant, peccata multiplicant, cum tristes hypocrytæ tantum uno peccent. Præsupponitur, quod est satis certum & evidens, multos modò esse, qui propterea non jejunant, aut qui certè parati sunt non jejunare, sive jejunium solvere, quando quid humanum verebuntur; ne ab aliis scilicet dicto notentur aliquo

Tanta est humani respectus inhumanitas & prope dixerim Immanitas, ut sic multorum appetat Conscientiam & prorsus enecet. Ducebatur honori quondam Pietas, unde ut sibi famam colligerent, se videri pios ac jejunantes gestiebant hypocritæ: quod erat certè impium. At modò pietas quasi probrosa esset & indecora, sic à plerisque despicitur, ut ne ipsi despiciantur, nolunt videri pij & jejunantes. Quod tanto magis est impium, quo plura in uno colliguntur peccata. Vide & exhorresce. Primò non jejunant, quod est illi capitale, qui præcepto tenetur, *Nam*, ut ait *Serm. 62. de temp.* sanctus Augustinus, *aliis diebus jejunare remedium est, aut præmium: In quadragesima non jejunare, peccatum est.* Secundò, non jejunant contra Conscientiam: quia jejunarent, nisi hoc respectu prohiberentur, quod satis vident, non esse legitimum impedimentum, sed tamen ita validè sentiunt, ut illi cedant. Qua in re non sibi solis injuriam faciunt, sed religioni sed Christo, cujus obsequium ita postponunt mundo, ut dum coram hominibus apparere jejunantes erubescunt, erubescant servire Christo.

Dicent se vanam fugere gloriam; Sed vanum illud est, quod dicent, & glorioſum effugium: Nam constans illa teneri debet Veritas, quæ tertia parte declaratur: *Sicut humanæ Fer. 6. Hebd. 4. aspectus gloriæ non est oculus ponendus, ita nec eius defectus deponendus.* Sive laudent, sive vituperent homines, Christo serviendum erat, præcepto parendum erat, nec propter hominem Deus deserendus. *Ne accipias personam, ut de- Eccl. 42. linquas.*

Adde id, quod expendi multum deberet ad peccatorum cumulum facilius agnoscendum. Libertas hæc ita solvendi jejunii ex humano metu sive respectu, vix unquam abest à scandalo, quod & probis & improbis datur. Probis quidem, quia vident eum, quem alioquin satis probatæ norunt vitæ, sic turpiter mundo cedere, ut non ausit profiteri se Chri- *Matth. 18* sti servum ac ejus Ecclesiæ filium. *Væ illi, per quem hoc scandalum venit.* Improbis verò quia sic indurantur in sua pravitate, nec putant id habere locum præcepti, quod tam facile solvitur ab iis etiam, qui minus soluti sūt. *Exech. 13.* *Confortastis manus impii, ut non reverteretur à via sua mala.* O ter geminum malum! Et peccare non jejunando! Et non jejunare metu quodam humano! Et sic soluto jejunio, solutiores nonnullos alios reddere! O quam verè dictum: *Humanus respectus, Inhumanus Christi despectus.* Vide infra Sabbato Hebdomadæ Passionis.

Quia tamen vox illa *hypocrisis*, & quam in se complectitur malignitatem, plus aliquid semper horroris infert ad detestationem vitij, quam quidquid diximus contra eos, qui ex humano respectu non jeiunant, Age videamus hoc etiam nomine, quàm illi graviter supra quam tristes hypocritæ peccent: Et hæc propterea præcedenti adjungatur.

VERITAS PRACTICA.

Non est minus hypocrita, qui ne appareat hominibus, non jeiunat: quam qui jeiunat, ut appareat.

RATIO est facilis, ut quæ ex ipsa hypocrisis notione & natura petitur. Quid est enim esse hypocritam nisi esse dissimulantem, & sua dissimulatione affectantem apud homines aliquā gloriā? Nonne hoc unum est, quo illi tristes hypocritæ arguuntur, qui jejunando suas extermināt facies, ut appareant hominibus jejunātes, & inde rumusculos aucupentur? *Væ vobis Matth. 23 hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis.*

Sed qui ne appareant hominibus, non jejunant, sic dissimulanter agunt, & sua dissimulatione sic affectant apud homines aliquam gloriam. Primò quidem dissimulatores sunt, nam dum nolunt apparere jeiunando quales sint, apparent non jeiunando, quales non sint; apparent enim id agere ex animo, quod ex humano duntaxat agunt intuitu: apparent id probare intus vel improbare, quod foris tantum præ se ferunt; apparent denique sic convivātes sine timore, quasi nullam jejunij legem ac religionem crederent, quod est omnino falsum & simulatum. *Ingredere uxor Ieroboam,* 3. Reg. 14 *quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius.*

Quod verò vanam inde venentur gloriam, ipse humanus respectus, ad quod unum moventur mobile, satis aperte indicat. Neque refert, quod forte dicunt se non tam quærere gloriam, quàm contemptum fugere; nam ejusdem superbiæ prorsus est, si pecces ne contemnaris, ac si pecces ut laudaris. Fac peccatum absit, dum contemni fugies, sic effugies superbiæ notam: sed malle peccare non jeiu-

nando

nando, ne contemnaris, quàm cõtemni jejunando; plane superbi est non minus execrandi, quàm qui jeiunet ut prædicetur. Hoc est enim, ut dictum est, Christum erubescere, si non audes profiteri, quando Religione teneris; teneris autem, quando peccas nisi jeiunes, peccas verò si ex solo humano respectu jejunii legem violas.

Si voluntarium esset jejunium & non præceptum, forte aliquando ex occurrenti & non prævisо quorundam congressu hominum solvi posset: sed dum solennes hi jejuniorum aguntur dies, non est Christiani timere mundum irridentem, non est Catholici se alium fingere, quam quis esse vellet, nisi timeret: *Væ* Eccles. 2. *duplici corde. Væ dissolutis corde. Væ his* iterum *qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & deverterunt in vias pravas. Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus?* Nonne hæc illos Scriptura tangit?

Tangit & acriter inter alios Patres, sanctus Basilius in suo hexameron, ubi de nativis quorundam animalium proprietatibus. *Non* Hom. 7. *silebo*, inquit, *polipi dolos ac furacitatem: Is cuicunque saxo adhæserit, illius colorem subit, atq; adeo ut piscium complures ad ipsum de improviso nantes, tanquam ad saxum appellant, paratamque se prædam illi offerant. Tales sunt, qui sobrietatem cum sobriis laudant, INTEMPERANTES sunt cum INTEMPERANTIBVS, atque ad id, quod cuique placet, suam omnino sententiam vertunt.*

Quod & idem expressius alibi; *Hypocrita* Hom. 7. de Ieiunio. *dicitur historio, qui in theatro personam sustinet alienam. Sæpe Heri cum sit servus, aut Regis cum sit privatus. Itidem in hac vita plerique vitam suam veluti è proscenio ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie, hominum oculis præ se ferentes.*

Cui conformiter sanctus Augustinus: *Sunt hypocritæ, simulatores, tanquam pronunciatores alienarum personarum, sicut in theatricis fabulis, sic in omni vita, quisquis se vult videri, quod non est, hypocrita est.*

Ac proinde si hoc ita nomen infame est, ut ab honesto quoquam sustineri nequat, quomodo non confundetur potius hoc nomine, qui confusionem metuit viri ieiunantis? Ier. 6. *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt; quamobrem cadent inter ruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.* Vide locum Scripturæ.

Quæ verò plures de jeiunio proponi possent Veritates, in hanc commodè incident, qua gravius & damnosius esse intelligetur quam putetur, peccatum non servati jeiunii.

Vix aliud peccatum est minus solubile, quàm soluti jeiunii.

RATIO est, *quia peccatum illud est minus solubile, cuius est rarior pœnitentia, seu cuius peccatorẽ rarius pœnitet*; Unde si nulla est peccatoris pœnitentia, nulla est prorsus peccati solutio, *Nec quẽquã putes*, inquit S. Augustin[9] Ep. 43. *ab errore ad Veritatem, vel à quocũq; seu magno seu parvo peccato ad correctionẽ sine pœnitentia posse transire.*

Sed rarius huiusmodi peccatorem pœnitet sui soluti jeiunii Quadragesimalis. Vix enim unquã talis emendatur, & quantũcunq; peccatũ cõfiteatur, vix emendationem proponet ex animo. Certum est autẽ nullã esse peccati pœnitentiã, nullam eius Confessionẽ aut solutionem, nisi firmũ emendationis propositum adiungatur. Sic idem S. Augustinus: *pœnitentiã* Serm. 7. *certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei,* de Temp. *quando sic pœnitet, ut tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita.* Sic in sacris Conciliis, ubi explicantur partes pœnitentiæ, semper adiungitur Contritioni vel Attritioni, *propositum non peccandi de cætero.* Expressa Sess. 14. c. 4 sunt Tridentini verba.

Si quis forte uno aut altero ieiunii die peccasset, certè is puto quantocyus in ipsa etiam Quadragesima confiteretur, & confitendo proponeret resipiscentiam: sed qui nullos vel paucos dies inexcusati abstinent, & pro more suo sibi, quod volunt, totis indulgent esurialibus Feriis, iamque ad annuam accessuri synaxim de Confessione cogitant; confitentur quidem se non ieiunasse, nec ignorant esse peccatum, sed an verè de peccato doleant & ita resipiscant, ac proponant se totam deinceps ieiunaturos Quadragesimam, sicut omnino necesse est, ut proponant & id verè velint, valde est rarum, & vix unquam verum. *Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem.* Is. 56. *omnes in viam suam declinaverunt.*

Unde huius defectu propositi, nulla prorsus est pœnitentia, nulla peccati solutio, nulla vel unius peccati remissio: Neque enim uno mortali retento, solvuntur alia. Vel

nullum vel omnia Confessione simul dimittuntur. Ex hac porro manca Cõfessione quid sequitur nisi sacrilegia Communio, nisi vita scelerata, nisi mors impia, seu pessima mors impiorum? Nam in illa postrema vitæ deficientis tempora reservare propositum servandæ Quadragesimalis inediæ, quis non videat ridiculum?

PATET igitur evidenter, non modò vix aliud peccatum esse minus solubile, quam soluti jejunii, sed quanta inde salutis pericula, quanta inde futura importentur exitia & æterna damna! Nec jam miror sanctos Patres tot gravibus, sacrum hoc commendasse jejunium, verbis ac sententiis, cum optimè nossent, quanta in hoc esset multorum licentia, & quanta inde pernicies.

Audi sanctum Ambrosium, qui totus alioquin est melleus: *Serm. 34.* *Quisquis Christianus jejunando non impleverit Quadragesimam; prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur.* Et tursum, *Ep. ad Marcel.* *Non leve peccatum est fideliter inditam Quadragesimam à Domino, non jejunare.* Neque id temerè dictum putes, & non certa scientia: nam tametsi abessent illa damna & exitia, quæ peccatum, ut vidimus, consequuntur, in ipso etiam peccati actu non una quædam est malitia, sed multiplex & robusta quædam improbitas, non tantum ex gravi numero repetiti per tot dies actus, sed multò magis ex pervicacitate quadam animi, qua tanto tempore, contra tot mentis stimulos, obstinatè peccator perstitit in sua vitæ intemperantis licentia. Itane ventris ingluvies tam expresso prævaleat & præcepto, & tam certo salutis periculo? *Serm. 29.* *Si ignorans Ionathas*, inquit idem sanctus Ambrosius, *inditum à Patre jejunium quia resolverit, morti addicitur, qui sciens à Christo inditum resolvit, quid meretur?* quasi diceret, quæ Ionathan excusabat ignorantia, nullum eorum excusat, qui non jejunant, quia vel probè id sciunt se teneri, vel id scire possunt: & si malint ignorare, ne sciant se obligatos, non minus ignari peccant non jejunando, quam si scirent quod ignorant. Præterea verò Ionathas semel tantum peccavit; at illi quoties? Ionatas unam duntaxat mellis guttam in summitate Virgæ delibavit, *1. Reg. 14.* at illi quibus se tradunt epulis? Ionathas in sua singulari necessitate id præstitit; Illi verò mera ex voluptate.

Dicent forte, non id ex gula sibi assumere, nec se pluribus onerare cibis, quam si ex lege jejunii victitarent; sed his legibus non posse se devincire, non posse non facere sibi liberũ, quo libebit tempore, sibi quid indulgere. Sic planè est, ut dicunt, tanta est jejunii facilitas, ut vix à solita discrepet mensa: sed tanta est illorum vivendi libertas, ut licet exile sit, quod jejunando exigitur, nolint omnino tamen; non quod illis sit molestum, non quod operosum aut difficile: sed quia nolunt, quia non placet, non placet libertatem suam constringere, volunt esse liberi: jejunabunt si forte placet, aut si non placet, non abstinebunt. O pervicacem mentem, ô verè rebellem animum, cui pridem à Domino dictum: *Ierem. 2.* *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non serviam.*

Hoc est scilicet se manifestè subtrahere à Christi cultu & mancipio. Hoc est sibi non *Rom. 16.* Christo vivere: sive ut ait Apostolus, hoc est non Christo, sed suo ventri servire. Hoc est totum Evangelium ejurare, quod totum est in se abnegando & ferendà cruce, non quam sibi quis imponit, sed quam habemus Christi lege impositam, Hoc est à Deo denique de industria recedere, nam mera puta malitia est, pura mera peccandi libertas, cum ex ipsis, qui non jejunant, multi non tam jejunii lege teneantur quàm opinione suâ, de qua si vellent instrui aut de modo jejunandi, tunc immunes à peccato, castè sanctèque viverent: sed tam alieni sunt à subeundo Christi jugo, ut neque astringi velint ad hoc ipsum discendum, quo teneantur: Et sive obstringantur sive non: sive peccent sive non peccent: hoc unum satagunt ut liberè vivant, ut sui juris sint & non divini. *Sap. 2.* *Quoniam*, inquiunt, *hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Quamobrem licet revera, vel ab officio, vel à negotiis, vel à naturali temperamento possent habere, quo ne jejunarent, excusarentur: reipsa tamen non excusantur, & pari cum aliis pœnâ punientur, quia non excusationem à lege, sed à seipsis; non immunitatem ab auctoritate legitima sed à sua libertate sibi vindicant & addicunt. O divitias Bonitatis & patientiæ, & longanimitatis Dei! quamdiu feres hanc peccandi licentiam, quamdiu patieris tam effrænem vivendi libertatem? Itane sint illi filii Belial, id est, absq; jugo, qui se servos dicunt tuos? Nũquamne constringes illos tuis præceptorum vinculis? semperne ut pullos onagri se liberos natos putabunt? *Iud. 19* *Iob 11.*

Ah

Ah miseram & damnosam libertatem! ô divinam in hac misera libertate justitiã! Iam agnosco, quod dolebamus initio, cur sua in pravitate sic indurescant, nullo ut tempore quantumvis sacro, nullâ ut Confessione, nulla ut Communione resipiscant, aut induci se unquam patiantur ad exoluendum jejuniũ. Hæc est scilicet pœna libertatis, quam sibi assumunt, hoc est supplicium voluntariæ rebellionis, quâ in legem insurgunt: ut qui supremâ lege duci nolunt, eâdem deserantur. Et qui suæ se viæ duces habere voluerunt, sui sint duces interitus, ac tandem illud Sapientiæ compleatur: *Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* Prov. 1.

FERIA QVINTA.

DE CAVENDO MVNDO, PRO Quo Christus non orat.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Ioan. 17.

VERITAS PRACTICA.

Quà latè patet Mundus, nihil est uspiam ita contemnendum & cavendum, quàm quod intus in te uno latet.

RATIO EST, quia nihil est ita cavendum in universo mundo, quàm quod mundum perversum & odiosum Deo facit.

Sed quod mundum perversum & odiosum Deo facit, intus in te uno latet, nempe Concupiscentia.

Ergo quà latè patet mundus, nihil est uspiam ita contemnendum & cavendum, quàm illa Concupiscentia quæ intus in te uno latet: Quod certè est valdè expendendum.

I. PUNCTUM.

COnsiderari possunt hæc antecedentia Christi Domini ad Patrem Verba: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem meum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognoverunt vere, quia tu me misisti.* EGO PRO EIS ROGO, NON PRO MUNDO ROGO.

In his porro postremis verbis, magis hærẽdum, quia plurimùm valent ad persuadendũ mundi contemptum, aut certè, valde disponunt cum Divina gratia ad hunc affectum & effectum ex sequentibus Passionis Christi Mysteriis eliciendum. Quid enim funestius, & quid magis tremendum, quàm sacrarum omnium, quas Christus fudit, orationũ participatione semoveri & excludi, nulla cum illo meritorum communicatione jungi, nullam cum eo habere Societatem & partem: ac denique velut anathematisatum & excommunicatum esse à Christo Domino? Hoc enim volunt illa verba: NON PRO MUNDO ROGO. Quamobrem in his etiam atque etiam consistendum, ne quid animis nostris de mundo tam odioso prorsus adhæreat. Quem in finem opportunè videtur propositæ Veritatis Consideratio, quæ radicem totius mundanæ perversitatis attingit, nempe Concupiscentiam, in qua una Mundus ille sistit, pro quo Christus non orat.

Hoc itaque primum expende, quod in expositione Veritatis præmittitur, nihil ita esse cavendum in universo mundo, quàm quod perversum facit mundum, & odiosum Deo reddit. Nam in mũdo, aliud est, esse; & aliud, perversum esse: Sicut de homine ait S. Augustinus: *Quasi duæ res sunt, homo & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipse homo fecit.* Sic de mundo planius, duæ res omnino sunt, mundus, & mundus perversus. Atque ita quando in propositione dicitur, nihil esse in Mundo contemnendum seu cavendum, quam quod illum perversum reddit; manifestè patet primò Mundum accipi pro rerum universa vastitate, quæ nec perver- Tract. 12. in Ioan.

sa nec odiosa Deo est; Deinde verò significari esse aliquid in illa rerum mole, quod moralē perversitatem in mundum inducat, & quod propterea sit cavēdum. Sic aliud profectò est, esse in mundo; & aliud est, esse de mūdo. Omnes enim & ipse etiam Christus Dominus, *in mundo erat* sed non de mundo. *Sicut Ille est & nos sumus in mundo*, ait dilectus Discipulus. At verò Dominus: *Ego non sum de hoc mundo.* Nempe est aliquid singulare, quod mundum pervertit, & de quo perverso mundo non est Christus nec vetus Christi discipulus.

1. Ioan. 4. Ioan. 8.

Res quidem omnes terrenæ & humanæ, ita fluxæ & caducæ sunt, ut qui sapit nunquam iis afficiatur & inhæreat: sed non ita tamen ex se perversæ sunt & odiosæ, ut oderit eas Deus, & odio à nobis haberi velit. *Diligis omnia quæ sunt*, ait Deo Sapiens, *& nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Quod si ipsemet dicit, *Creaturas Dei in odium factas, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*; Id vitium est insipientium hominum, non creaturarum, quibus si benè homines uterentur, & ipsi sapientes essent, & bonæ ipsis essent creaturæ, sicut ait Apostolus, *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Et rursum, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus, nihil est mundum.* Sic & Sapiens fusius, *Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala. Initium necessaria rei vita hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac &c. hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur. Omnia opera Domini bona, & omne opus, hora sua subministrabit; Non est dicere hoc illo nequius est, omnia enim in tempore suo comprobabuntur.*

Sap. 11. Ibid. 14. 1. Tim. 4. Tit 1. Eccles. 39.

Ex quibus apertè patet aliquid aliud esse à creaturis, & à mundo in se considerato, unde vitium & perversitas influat; & illud præcipuè indagandum esse & extirpandum. Intus est hostis, in te uno latet; *Mors in olla: PERDITIO tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

4. Reg. 4. Osee 13.

II. PUNCTUM.

SED sola concupiscentia est, quæ facit hanc mundi perversitatem.

Ipsa est sancti Augustini interpretatio verborum Christi Domini, NON pro mundo rogo. *id est*, inquit, *non pro iis, qui vivunt secundum mundi concupiscentiam.* Non est autem alia mundi concupiscentia, quàm ipsa innata nobis cupiditas, quæ authore Apostolo, Radix est malorum omnium; & de qua dicitur à sancto Ioanne, *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quasi diceret, objecta quidē concupiscentiæ seu res concupiscibiles sunt in mundo, sunt nempe honores, voluptates, & divitiæ; sed quod propriè facit mundū perversum, & hominem de illo mundo, est ipsa mundi concupiscentia, seu ille appetitus inordinatus, quo res humanas homo concupiscit, quia facit eum nimis adhærere mūdo seu mundanis rebus, quę si ordinatè diligerentur, neque res ipsæ malæ essent, ut dictum est, neque homo eas possidens & diligens, malus aut perversus esset. *In omnibus talibus*, ait sanctus Augustinus, *non usus rerum, sed libido utentis in culpa est*; quando scilicet est inordinata, quando est nimia seu vehementior, seu non directa in bonum finem.

1. Tim. 6. 1. Ioan. 2. 3. Doct. Chr. 12.

Nam neque ipsa præcisè libido naturalis seu concupiscentia per se est mala, sed tantùm prona est in malum, & in affectum inordinatum inducens hominem, qui si velit cum gratia resistere naturali inclinationi, adeo non erit perversus ex prava sua concupiscentia, ut maximè bonus & sanctus inde existat. Tota itaque perversitas in eo est, quod homo concupiscentiæ consentiat, quòd eam sequatur in desideriis honorum, voluptatum, divitiarum, & sic fiat de mundo. Unde ipso statim initio mundi conditi, Deus homini dixit, *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Tum Sapiens, *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Et rursum: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. ALIVD est enim concupiscere*, inquit sanctus Ambrosius, *& aliud post concupiscentias ire.* Sic denique Apostolus, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.*

Gen. 4. Eccles. 5. Ibid. 18. Rom. 6.

Ah quoties iis obedivisti? *sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandā, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, &* quæ fusiùs prosequitur sanctus Petrus.

1. Pet. 4.

III. PUNCTUM.

QVA ergo latè patet mundus, nihil est usquam ita contemnendum & cavendum, quàm quod intus in te uno latet, nempe Concupiscentia,

tia, quæ te facit de illo perverso mundo, pro
Matt. 23. quo Christus non orat. *Munda prius, quod intus est.* Certè oportet malignam hanc esse perversitatem mundani affectus, pro quo Christus se non orare profiteatur! Sic planè est, quãdo semel humanus animus se illi permittit, ita in dies induratur, ita crescunt concupiscẽtiæ & mutuis hominum colloquiis, moribus, & sensibus invalescunt, ut nõ sit animus magis in vitio induratus, & minùs capax devotionis, pœnitentiæ, conversionis, & cujusvis tãdem virtutis, quàm mundanus, qui omnem gratiã ac pietatis sensum expellit, si quo modo ille sensus repugnet concupiscentiæ vel mundano respectui. Hæc est terra petrosa si-
Matt. 13. ne fructu, homo scilicet temporalis, *qui propter verbum continuò scandalizatur*; QUID diceretur, statim ille obiiciet, & hoc dicto, quidquid hominum dictis opponitur, quantumcunque pium & sanctum sit, statim repellitur; *Væ mundo à scandalis.* *Ibid.* 18.

Hoc est peccatum, de quo dicebat Iudæis, *In peccato vestro moriemini*; Audi & treme; *Ioan.* 8. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo, dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris:* O pavendum *quia.* Non est in tota Scriptura verbum terribilius, & proinde ad mundi contemptum seu ad reprimendam concupiscentiam aptius & efficacius. Vide in 4. parte, decimam-nonam hebdomadam, & præcipuè Feria 5. Ubi alia Veritas ex illis verbis proponitur.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de sanato Centurionis servo. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Majoris est animi se Divinæ Fidei supponere, quàm se illi opponere.

In 3. parte, Feria 2. hebdomadæ septimæ. Vbi de hoc Centurione expressa est Consideratio.

Aliæ de fide plures passim habentur.

Et cum illa Centurionis, quæ à Domino laudatur fides, non sit tantum Virtus, qua credidit, sed qua universim sua in militari Vocatione laudabiliter vixit, huc coramodè transferri posset hæc Veritas.

Salutis animæ nulla est certior certitudo, quàm in certo vocationis gradu attingendo.

In 1. parte Feria 2. hebdomadæ 5. post Epiphaniam.

FERIA SEXTA.

DE VERA SANCTITATE, QVAM Suis Christus orat.

Sanctifica eos in Veritate. Ioan. 17.

VERITAS PRACTICA.

Qui te à sanctitate acquirenda excusas, ex aliis acquisitis bonis te condemnas.

RATIO EST, Quia quidquid sit, quo te excusas, si nullum id esse, aut tibi etiã esse oppositum ex aliis tuis factis indicas, tu teipsum condemnas. Sed ex aliis acquisitis bonis tanquam ex aliis tuis factis, nullum id esse, aut etiam tibi esse oppositum indicas, quod excusas.

Ergò tu teipsum condemnas. Quod cùm sit extremæ dementiæ in re præsertim tam seria & necessaria, qualis est vera sanctitas, certè id advertendum, & excutienda omnis excusatio.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

Multa hîc considerari possunt, quæ breviter indicata, perpendes accuratius. Primũ, quàm nobilis, quàm generosus, & magnificus in nos fuerit Christi Domini animus, qui nobis optet & impetret veram Sanctitatem. Magnifica hunc Christi animum & ei gratias exhibe.

Secundò, quanta eius Humilitas, qui cùm posset ipse nobis impertiri quod vellet, aut si quid promerendum erat à Patre, cum id satis superque suis operibus esset promeritus: voluit tamen suis meritis hanc orationem adjungere, qua coràm profiteretur id à Patre provenire. O verè Patrem luminum, à quo est omne donum! O verè Filium lucis, qui ad eum refert, à quo sunt omnia.

Tertiò, quàm sit prudenter discernenda vera Sanctificatio à falsis Sanctitatibus quas vel Dæmon objicit, vel mundus fingit, vel Caro etiam simulat. Dæmon in quibusdam Paganis & Hæreticis formar quandam Sanctitatem, regendo lupos vestimentis ovium, & per blandos sermones miscendo virus suũ. *Matth. 7.* *Attendite ab his falsis Prophetis.* Mundus suam fingit, dum quod est pietatis exterius & apparens, ritè quidem exequendum docet, sed *Ibid. 23.* quod intus est, negligitur. *Væ vobis hypocritæ, quia mundatis, quod de foris est, intus autem pleni estis rapina & immunditia, Similes estis Sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos a foris paretis quidem hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Caro denique, quæ est natura depravata suam simulat Sanctitatem, quando sic tenero & sensibili pietatis adhæret sensui, ut in eo uno ponatur pietas: vel si quod bonum opus est faciendum, non ex alieno ductu fiat sed proprio, non quod commune est aliis, sed quod singulare: non quod à pura Charitate vel obedientia proveniat, sed quod judicii proprii & propriæ voluntatis lepra sit infectum, ut fusè prosequitur sanctus Ber- *Serm. 3. in Resurrect. Dom. & 71. in Cãt.* nardus ex Propheta: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra: Nunquid tale est jejunium quod elegi?* Quæ sit autem vera Sancti- *Is. 58.* tas patebit in progressu.

Quartò, quod est valde observandum: sic petiit Christus nobis & obtinuit veram Sanctificationem, ut tamen ex parte nostra nonnihil sit agendum, quo talis dicitur perfici Sanctificatio. Sic enim apertè Apostolus: *Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes Sanctificationem in timore Dei.* *2. Cor. 7.* O certè dignum opus, quod unusquisque perficiat.

Quintò, quàm pauci tamen id curant, quàm multi vel omnem Sanctitatem negligunt, vel veram non inquirunt, vel à vera se excusant, quasi sit sublimior, quàm ut eò possint attingere, quasi sint indigni, qui de illa comparanda cogitent, aut quidquid tandem excusent, audi, si tu ex illis es, *Qui te in Sanctitate acquirenda excusas, ex aliis acquisitis bonis te condemnas.*

Ratio est tam aperta quoad primam partẽ, ut sit satis scire, quod excusatio nihil aliud sit quam prætenta Ratio, quâ legitimè aliquid facimus, unde si vel verbo vel facto destruimus illam rationem, tunc ex consequenti excusationem impetimus, expugnamus, & nos ipsos condemnamus; sicut si ab alio quopiam erroris aut falsitatis argueremur. Hinc aptè Apostolus; *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas:* Quasi diceret, non potest subsistere ratio, qua vel alium peccantem judicas, vel qua te excusas, idem peccando: nam si valet in alium, contra te etiam valet, & quo judicio peccantem judicas, teipsum arguis & condemnas. Aut certè si cum aliquid peccas, te excuses, & alium idem peccando judices, tu illo ipso judicio, quo alium judicas, excusationem tuam accusas, arguis, convincis, & teipsum condemnas. *Rom. 2.*

Sic sancti Patres, illos Concionatores, qui non concordant facta dictis, asserunt *sui ipsorum esse condemnatores*, Verba sunt sancti Ioannis Chrysostomi, quibus hæc sunt sancti Gregorii planè similia, *Ipsi damnationis suæ alioquo modo præcones fiunt, quia dum ea, quæ agere respuunt, prædicantes insinuant, suis se vocibus damnatos clamant. Converti sunt in arcum pravum, in se quippe sagittas figunt.* Audi *qui alium doces, & teipsum non doces, qui in lege gloriaris, & per prævaricationem legis, Deum inhonoras!* *In 5. Mat.* *L. 2. Mor. c. 27.* *Rom. 2.*

II. PUN-

II. PUNCTUM.

SED ex aliis acquisitis bonis, tanquam ex aliis tuis factis nullum esse, aut etiam tibi oppositum esse indicas, quod excusas, in sanctitate acquirenda.

Quod enim excusas, imprimis est Impotentia tua, quasi non eò vocatus sis, ut sis sanctus; quasi tu pauciori contentus gratia & gloria, sanctitatem relinquas aliis. Itane verò sanctitatem omnem ablegasti? sed nisi sanctus fueris, quomodo salvus, quomodo beatus eris? Nam *sine sanctimonia nemo Deum videbit*, inquit Apostolus? An velles vivere in peccato mortali? An nolles esse in gratia, quæ vocatur sanctificans, & quæ sola nos gratos Deo facit? Nullamne virtutem, nullumne opus conforme vocationi tuæ velles exercere? Hoc est enim verè esse sanctum, esse extra statum & affectum peccati; sive esse in Gratia sanctificanti, quæ concomitatem habet Charitatem & actuales, quas vocant, gratias, quibus adiutus velis & possis vacare virtutibus exercendis & acquirendis, quæ sunt conformes tuo statui. Unde si sanctitati renuntias, renuntias illis Gratiis, illis virtutibus, & illi tuo statui ac demùm sempiternæ tuæ Beatitudini. Quod certè nolles, nec velle debes; ac proinde nec refugere sanctitatem, tuo in ordine, tuo in gradu & statu comparandam. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. SECVNDVM eum, qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.*

Hebr. 12.

1. Thess. 4.

1. Pet. 1.

Jam verò quod id possis cum Divina Gratia, & id magis possis quam quodvis aliud, dubitare non potes nisi de salute desperes. Quid enim spei ad salutem, nisi possis, quæ sunt ad salutem necessaria? Sic propterea de Deo dicitur. *qui potens est ædificare & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.* Et de nobis etiam: *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Non est præsumptionis dicere, volo esse sanctus, sed potius temeritatis apertæ non dicere, seu nolle esse, quod per Gratiam & Voluntatē Dei debes & potes.

Act. 20.

1. Ioan. 3.

Et tu ergo, inquit sanctus Bernardus exponens Apostoli verba DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM: *Si posueris in corde tuo, declinare à malo & facere bonum, tenere quod accepisti, & proficere semper in melius: sed & si quid aliquando minus rectè egeris, ut est humana fragilitas, non in eo persistere, sed pœnitere, & corrigere quantum potes: aeris sine dubio sanctus, sed cui interim clamare necesse sit. Custodi animam meam, quia sanctus sum.* Ex quibus sancti Patris Verbis manifestè vides, non quæri à te, nisi quæ pendent à tua voluntate cum illa Gratia, qua tu velis quod debes, & qua tu possis quod velis.

Rom. 8.

Sufficit velle, & totum factum est, inquit sæpe sanctus Chrysostomus. Non sic in aliis, nō sic. Non sic à te pendet esse doctum, esse sanum, esse divitem, esse eloquentem; non sic dici potest te ad illa bona naturalia comparanda tam certam habere gratiam, quàm ad salutem & Sanctitatem tuam. Sic tamen acquirendæ vacas doctrinæ, sic vacas acquirendis divitiis, sanitati, & aliis bonis, quæ minus à te pendent, & quæ minus possint acquiri quam Sanctitas, ut vix ab his acquirendis unquam quiescas. Et cùm hæc etiam bona tibi comparaveris, audebis dicere, te non sic vacare Sanctitati, quia non sic potes eam acquirere? audebis excusare impotentiam tuam in te, quam potes tam certò, quam certum est te habere propterea Gratiam, & te omnia posse cum Gratia? O te audacem & impiuṁ! Agnosce saltem vel ex teipso, vel ex tuoipsius studio, quo circa dotes alias acquirendas afficeris, quàm sit nullum, quàm sit tibi oppositum & adversarium quod excusas à Sanctitate non acquirenda.

Hom. 8. & 26. *ad pop.*

Quod si deinde dicas, & excusas non esse quidem impossibilem sanctitatem, sed tantis esse implicatam difficultatibus, ut vix te illis expedire possis; quæro abs te, an nullæ sint in aliis bonis comparandis difficultates? An si illæ ipsę, quæ in virtute exercenda occurrunt, sese objicerent, nùm propterea desisteres vacare sanitati, scientiæ, divitiis aut aliis naturæ bonis? Cur ergo propterea desistis à sanctitate? cur difficultatem in hoc potius bono acquirendo excusas, quàm in aliis? aut cur saltem non vides nihil esse, quod excusas? *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te.*

Ier. 2.

Nec objicias necessitatem bonorum naturalium, utilitatem, excellentiam, & jucunditatem, quasi nil simile esset in Virtute & Sanctitate. Nam inde potius vel maximè convinceris te tibi sic opponi & contradicere. Quid sunt enim humana omnia nisi caduca & fluxa, imò vanitas vanitatum nisi sint cum virtute & cum sanctitate conjunc-

cta? sola autem sanctitas, ipsius est Divinitatis participatio, Christi Domini similitudo, inchoata fœlicitas, summum hominis bonum, UNUM DENIQUE ILLUD NECESSARIUM sine quo nulla reliqua, & quod solum sine aliis bonum & beatum hominem reddit. *Iob. 28.* *Nescit homo pretium eius*, ait Job, *excelsa & eminentia non memorabuntur in comparatione eius. INFINITVS enim thesaurus est hominibus*, inquit Sapiens. *quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Sap. 7. & 8. LABORES huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiam docet & Iustitiam, & virtutem*, id est, fortitudinem, *quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

Ac proinde si te Boni præstantia movet ad sui cultum & studium, quid excusare potes à non colendo illo Bono, quod præstat cæteris? quid excusare potes, quod non ex teipso intelligas tecum pugnare? Væ animæ audaci, quæ neglecta sanctitate speravit se aliquid melius inventuram!

III. PUNCTUM.

QVI te igitur à sanctitate acquirendæ excusas, ex aliis acquisitis bonis vel acquirendis te condemnas, quia quidquid excusas, hoc ipso in te retorquetur ad manifestam tui condemnationem, quo illud ipsum & gravius fateri cogeris in illis naturalibus inesse bonis, quæ non propterea deseris sicut Virtutem & Sanctitatem. *Ioan. 17.* *Et pro eis sanctifico meipsum*, aiebat Dominus, *ut sint & ipsi sanctificati in Veritate.* O Verba! Verba sancta, & sanctificantia! quasi diceret, Tanti Ego facio Sanctitatem illam, quam meis opto, ut propterea non dubitem me præparare ad mortem, & me in ea subeunda totum immolare.

Poteratne efficacius indicare, quanto illam haberet in pretio? potuitne verò sic loqui, sic orare, sic affici, & nobis quantùm ex sua parte est, non obtinere quod orabat & quod volebat? Itane pro cæteris bonis semetipsum sanctificat & immolat? Itane pro mihi commendanda & impetranda scientia, sanitate, divitiis, & quibuslibet naturalibus donis? Et cùm hæc ita pateant, tu impotentiam tuam excusabis! tu difficultatem objicies! & tu tanquam alienum aliquid, Sanctitatem repelles, & aliud quodcunque bonum tanquam nobilius, tanquam utilius, & facilius conquires & ab acquirendo non desistes! O Christi sensa quàm longè sunt à nostris dissita!

Sed quod addit Dominus, non minus est expendendum: *Vt sint & ipsi Sanctificati in Veritate*, Id est, non frustra velim hæc mea esse dicta & facta! non sine suo fructu & fine: Finem hunc autem mihi proposui, ut sint & ipsi Sanctificati in Veritate, ut quod in ipsis est faciant, sicut ego quod meum est, non omitto: ut seipsos etiam propterea immolent sicut ego, ut nulli propterea parcant labori, nullis sumptibus, nullis studiis, nullis curis. Toti denique sint in una Sanctitate mecum colenda, conquirenda, comparanda. Hoc est se Sanctificare in Veritate, se propterea totum immolare, sese totum huic dare studio; neque in bonis alia ducere nisi quantum nobis Sanctificandis prosunt, ac proinde si quæ huic fini obsunt, tantum illa in malis habere, quantum Sanctitati obsunt. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius Sanctificabunt animas suas. HÆC omnia Sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.* *Eccles. 2.* *Ibid. 39.*

Vide in 1. Parte, Dominica 3. post Epiphaniam: ubi hæc declaratur Veritas: *Non dixeris, per Deum abest.*

Vide & in Indicibus Verbo, *Sanctitas.*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de diligendis inimicis: Et de Iustitiæ nostræ non faciendæ coram hominibus. Matth. 5.

VERITATES PRACTICÆ.

Si quid videtur difficile, quod dixit Christus, hoc ipso redditur facile quod Christus dixit.

Si naturæ humanæ durum est obedire Christi præcepto, longè est durius Gratiæ, naturam humanam non obedire Christo.

Qui suam Iustitiam facit ut videatur, maximam

mam, quæ fieri potest, injustitiam videtur facere.

In 3. Parte, Feria 5. 6. & Sabbato Hebdomadæ quintæ.

Ex 1. parte, possent nonnullæ huc aliæ revocari.

Injuriam infert Gratiæ maximam, qui profert enda injuria non certat fortiter.

In die sancti Stephani.

Inimici nostri magis prodesse possent odio, quàm profuissent obsequio.

In die sanctorum Innocentium.

Injuriosum est Christo, si nulli quidem velis inferre injuriam, nolis autem illatam ferre.

Die 16. Ianuarii.

Ex hac 2. parte, quamplurimæ his affines occurrent in sequentibus Quadragesimæ hebdomadis, singulis pene feriis, quæ legendo percurri possunt, ac ipsa etiam Dominica Palmarum.

Nec non rursus ex 3. parte, quæ de Beatitudinibus exhibentur.

SABBATO

DE EFFICACI DESIDERIO, ET Cura Salutis per media ordinata sicut illam desideravit & curavit Christus Mediator noster.

AD HÆC EIUS VERRA.

Pater, quos dedisti mihi, Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam. Ioan. 17.

VERITAS PRACTICA.

Si ordinatis ad salutem Mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.

RATIO EST, Quia tunc Mediatore Christo abuteris, quando frustra tibi de illo promittis.
Sed si ordinatis ad salutem mediis non uteris, frustra tibi de illo promittis.
Ergo & sic Mediatore Christo abuteris; Quod certè est expavescendum.

I. PUNCTUM.

ADmiranda Vox illa, quâ Christus utitur loquens Patri, VOLO, *Volo*, inquit, *ut illi sint mecum.* Nec certè videretur esse vox propria orantis & supplicantis
Hebr. 5. Christi, qui, ut ait Apostolus, *pro sua reverentia exauditus est*, nisi aliquid mysticum & singulare esset in illa voce. Sic ergo est, sic expressè loquitur, sic sapienter ait se velle, ut intelligamus, quod à nobis intelligi maximè cupit, in quo positum sit verum desiderium seu voluntas efficax procurandæ salutis nostræ; nempe in his omnibus perfectè adimplendis, quæ ordinata sunt ad illam salutem procurandam. Cùm enim proximus passioni ac morti suæ sic loquitur de salvandis, *volo, pater, ut sint mecum*, perinde est, ac si diceret, en paratus sum facere & pati, quidquid pro eorum salute à te est ordinatum. Vis me tradi & vendi ab uno è discipulis meis? Volo. Vis me tanquam latronem ligari, & trahi ad tribunalia judicandum? Volo. Vis me illic accusari, & condemnari velut reum? Volo. Vis me flagellis ut vile mancipium cædi? Volo. Vis me in purpurea veste, & corona spinea velut ridiculum regem ludibrio ad omnem prorsus infamiam, ostentari? Volo. Vis me crucis supplicio condemnari, crucem propriis bajulare humeris, inter latrones crucifigi,

atque in cruce per tres horas languere, derelinqui, & mori? **Volo**

Hoc est scilicet efficaciter velle, sic velle media ordinata quæcunque tandem illa sint. Hoc est, quod ab ipso Incarnationis exordio ad extremum usque vitæ terminum non destitit profiteri, quod regius Psaltes prædixerat: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Hoc est denique, quod non modo sibi, sed & nobis ait incumbere, ut si velimus efficaciter cum ipso esse in gloria, velimus etiam cum ipso esse in mediis observandis, quæ à Deo sunt ordinata ad illâ gloriam consequendam. Quod quidem jam antè paucis dixerat sed efficacibus verbis; *Si quis mihi ministrat me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit*; Nempe erit mecum in patria, si fuerit mecum in via; Erit mecum in gloria, si fuerit mecum in ignominia; Erit mecum in fine consequendo, si fuerit mecum in mediis ad eum ordinatis. Neque enim ego aliter salutis humanæ sum Mediator, quàm observando media salutis promerendæ; sic neque ullus aliter salutem consequetur, nec ulla spes in Christo alia, quàm servatis servandis.

Psal. 39. Hebr. 10. Joan. 12.

Quod ut perpendas diligentius, & intelligas, quanti sit ad salutem momenti: sic de re tota cogita, sicut propositâ Veritate proponitur, *Si ordinatis ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.*

Est enim illud tantopere formidandum, ut si certò persuasum haberes te abuti Christo, certè id nolles, & resipisceres. Hoc est autem persuaderi facillimum, cùm abuti Christo Mediatore nihil sit aliud, quàm sibi frustra de illo promittere, vel peccatorum veniam, vel gratias, vel quidquid demum spectat ad salutem. Sic Hæretici & qui liberiori vitæ licentiâ Libertini nuncupantur, sic dicantur abuti Christo, quando sic ejus meritis fidunt, ut sibi tam certò salutem suam ab illo polliceantur, ut ne quidem dubitare possint. *O præsumptio nequissima, ô vana spes impiorum, quæ tanquam langueo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, tanquam fumus, qui à vento diffusus est!*

Eccles. 37. Sap. 5.

II. PUNCTUM.

SED si ordinatis ad salutem mediis non uteris, frustrà tibi de illo sic promittis.

Quid enim tibi ab illo promittis, nisi quod ipse promisit se daturum? At quomodo & quâ conditione id promisit? Nonne ut ordinata quædam media observares? Nonne tibi opus est Fide & Charitate? Nonne Sacramentis & bonis operibus? An te putares sine Baptismo vel Pœnitentia fore salvandum? Et ubi vox illa Christi: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. NISI conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Nonne hæc sunt media ordinata? Nonne hæc sunt observanda? Nonne is præsumat, qui aliter speret; cùm præsumptio nihil sit aliud, *quàm inordinata spes*, neque aliter spes sit inordinata, quàm quia non servat ordinata?

Luc. 13. Matt. 18. 2. 2. q. 21. a. 3.

III. PUNCTUM.

SI ordinatis igitur ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris; quia videlicet tibi de illo frustra promittis, quod non assequêris: & dum interea vanè confidis in ejus Nomine, quia Mediator est, quia Salvator est; hoc sacro nomine tam verè abuteris, quàm verè tibi nihil proderit, sicut nihil eis profuit, quibus Apostolus, *Ecce*, inquit, *ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit: Evacuati estis à Christo, à Gratia excidistis.*

Gal. 5.

Quis hic animi tui sensus! quænam sunt tibi Media ordinata ad salutem, & perfectionem? Nam præter generalia & communia omnibus, quædam sunt unicuique particularia, ut pati & humiliari in certis quibusdam casibus, qui à divina providentia procurantur; Quoniam, ut ait Sapiens, *In igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Quænam sunt tuæ probationes & humiliationes? quomodo in his te geris? an tùm putas agi de salute tua, quando hæ occurrunt occasiones tui palàm humiliandi & probandi? Num audivisti, quid acciderit Mosi, quid Sauli, quid multis aliis, qui graviora sibi intulerunt damna, quàm putassent, ex non observatis quibusdam observandis?

Eccles. 2. Num. 20. 1. Reg. 13. 15.

Si

S. Petro. Si Petro modestè recusanti, sibi à Christo
Ioan. 13. pedes ablui, tam certò affirmavit Dominus: *si non lavero te, non habebis partem mecum:* quid de aliis ab eodem tibi ordinatis credendum est, quæ longè majorem cum salute tua connexionem habere viderentur? Quid erat illud ablui vel non ablui pedes? At non respicitur, quid sit præceptum, sed Quis præcipiat? Itaque, *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* Vide quod reliquum est capitis annotati; & illud etiam atque etiam revolue: *Non deflectatis ab illo, ne cadatis.*
Eccles. 2.

Quæ porro Veritates aliunde peti possint ad istam illustrandam, hæ sunt inter alias.

Quo in cœlis corona vultu, hoc in terris Calix sumendus est.
In hac 2. Parte, Feria 5. hebdomadæ 2. in Quadragesima.

Quantam in te vim habet desiderium Regni cœlestis, tantam tibi vim facies.
In eadem parte, Feria 2. hebdomadæ 5. post Paschæ seu Rogationum.

Qui non servat Consilia, quia non sunt præcepta, nec ipsa etiam præcepta servabit.
In 3. Parte, Feria 2. hebdomadæ 5.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Discipulis laborantibus in remigando: Et de fiduciæ in Christo habendæ. Marci 6.

VERITATES PRACTICÆ.

Vera Fiducia Confidenti nunquam infida.
In hac 2. Parte, Feria 3. hebdomadæ 4. post Paschæ.

Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis.
In eadem 2. Parte, Feria 5. hebdomadæ Pentecostes.

Non certius in spem itur, quàm contra spem.
In 3. Parte, Feria 3. hebdomadæ 7.

Videri & debet quæ de hoc Evangelio magis expressa habetur Consideratio, ubi ex occasione Petri ambulantis supra mare & in illud dilabentis, proponitur hæc valde Practica Veritas:

Res adversæ non possent quemquam deiicere, nisi se his prius vellet subjicere.
In 3. Parte, Feria 4. hebdomadæ 13.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

DE SOLITVDINE, IEIVNIO ET TENTATIONIBUS DOMINI.

Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et cum ieiunasset Quadraginta diebus, & Quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens Tentator dixit ei, si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Matth. 4.

TRIA hîc nobis exhibentur de Christo Domino. *Solitudo, Iejunium, & Tentatio.*

DE PRIMO, sive de Solitudine, quantum ad praxim, hæ tres aliunde possunt produci Veritates.

Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet.

In 1. parte, Die 14. Ianuarij.

Nulli magis necessariò secedendum, quàm qui minùs necessarium sibi putat secessum.

In hac 2. parte, Feria 2. infra Octavam Ascensionis.

Sic internis externa sunt temperanda, Ut neutrum eorum importunè, & utrumque opportunè sibi cedat.

Ibidem, Feria sequenti tertia.

DE SECUNDO, quod est Quadragesimale Jeiunium, jam suprà satis dictum est, Feria 4. Cinerum. Quia tamen, *ecce nunc Tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus*, & aliis quicunque piis operibus, ac virtutibus exercendis, quæ ab Apostolo recensentur, & quæ Exem[illegible] servati à Domino Jeiunij nobis commendantur; ad hanc singularem per hos dies bonorum operum observantiam, magis ac magis commendandam, possent hæ tres etiam conferre Veritates.

Quò minus potes reddere quæcunque debes, eò magis debes reddere quæcunque potes.

In 3. parte, Feria 2. primæ hebdomadæ.

Non tam spectandum est, quid Deo dones, quàm quid non dones.

In eadem parte, Feria 6. hebdomadæ octavæ.

Ne dicas, sufficiens mihi sum.

In 1. parte, Feria 4. hebdomadæ tertiæ post Epiphaniam, Vbi de Necessitate Directoris agitur, ad intelligenda bona opera, quæ cuivis sunt facienda.

DE TERTIO, sive de Tentationibus, quod est præcipuum Caput: si universim considerentur, hæ tres opportunæ videntur Veritates.

Nemo periculosè magis tentatur, quam qui se non putat tentatum.

In 1. parte, Die 15. Ianuarii.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in omnibus, aut eris contra Dæmonem, rudis in omnibus.

In 4. parte, Feria 4. hebdomadæ decimæ quintæ.

Nisi

Nisi diligenter advertas, tunc minus observas Custodem Angelum, cùm magis esset observandus.

In eadem parte. Die prima Octobris.

Si verò particulatim unaquæque Tentatio perpendatur, tam possent facile singulis adhiberi Veritates, quàm possent commodè passim educi contra triplicem Concupiscentiam, ad quem refertur quævis earum Tentationum, quas Christus Dominus sufferre voluit, ut nobis esset exemplo sic pugnandi & vincendi. Sic enim nos Tentator aggreditur per tres illas Concupiscentias, sed cum hac differentia, quod ut notat sanctus Gregorius tota Diabolica Tentatio foris, non intus in anima, nec in carne Christi fuerit, sicut in nobis accidit.

Prima itaque Tentatio circa gulam versatur, quæ spectat carnis delectationem, *Dic ut lapides isti panes fiant.* Contra quam hæc inter alias habetur Veritas Practica.

Sibi non Domino vivit, qui temperatè non vivit.

In 1. parte, Dominica quarta Adventus.

Secunda Tentatio spectat ad Veritatem & superbiam: *Mitte te deorsum*, Nempe ut admirationem sui excitet, & inde glorietur. Contrà verò quamplurimæ sese passim objiciunt Veritates, quales sunt istæ:

Nulla re homo quantumvis gloriosa gloriari potest.

Nulla res est in humanis verè gloriosa.

In 1. parte, Feria 2. & 3. secunda hebdomada Adventus.

Quæ sunt Ambitioso detrimenta, hæc sunt humili lucra.

Vel sic aptius.

Quæ sunt ambitioso lucra, hæc sunt humili detrimenta.

In 2. parte, Feria quarta hebdomada secunda post Pascha.

Claritas, quæ ab hominibus accipitur, mera est obscuritas.

In 3. parte, Feria sexta hebdomada duodecima.

Tertia Tentatio pecuniam, seu commoditates temporales suggerit, de quibus contemnendis decem proponuntur Veritates in una quarta parte, & una Feria, quæ est quinta hebdomadæ decimæ octavæ. Hæc aliunde deducta modò sufficiat:

Omnis copia, quæ Deus non est, egestas censenda est.

In 1. parte, Feria 5. hebdomada 4. in Adventu.

Præter istas autem, quæ suis magis propriè declarantur locis, & quæ particularem attingunt materiam, hæc videtur contra Tentationes maximè generalis, & singulariter tamen opportuna.

VERITAS PRACTICA.

Si Tentatorem permiseris ingredi, non se permittet egredi.

Facilius excluditur, quàm eiicitur.

RATIO EST, quia cùm Tentator vires in nos ampliores acquisivit, non sic se sinit vinci & egredi, sicut si tantas vires non haberet.

Sed cum permissus est ingredi, maiores in nos acquirit vires, quàm si non esset permissus.

Ergo si permiseris ingredi, non se sinet, non se permittet egredi. Tunè non ita facile deiicietur, quàm potuisses arcere ingredientem aut tentantem. Quapropter Principiis est obstandum.

I. PUNCTUM.

OBSERVANDUM imprimis, quod hîc ait sanctus Gregorius, & passim Omnes, tribus agi modis Tentationem: Suggestione, delectatione, & consensu. Quæ tria mihi quidem aptissimè sic Kempensis explanavit: *Primò occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio: Postea delectatio, & motus pravus & assensio: sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio: & quanto diutius ad resistendum quis torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, & hostis contra eum potentior.* *l. 1. de Imit. Chr. c. 13.*

Jamne

Iamne his vides expressis verbis, quàm apertè non tantum proposita liqueat Veritas, sed & subjecta ratio, cur si Tentatorem permiseris per suggestionem & delectationem in animum tuum ingredi, non se permittet egredi quin Consensum eliciat; quia videlicet cũ Tentator in nos vires ampliores acquisivit, non sic permittit se vinci, sicut si tantas non haberet. Nam cùm in nos attoci superbiâ & malitiâ sæviat: superbia tanto magis eum facit audacem, quò est potentior: malitia verò sic illum semper indurat, ut quantùm omnino potest, tantùm noceat. Sicut videre est in libro Iob. Neque enim cicuratur, nec placatur, nec miseretur, nec fatigatur, nec dormitat, nec de potestate quidquam remittit. *Va, va, va habitantibus in terra. VÆ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

Iob 40. & 41.

Apoc. 8. & 12.

II. PUNCTUM.

SED cùm permissus est ingredi, majores in nos acquirit vires.

Sic enim primò fit naturaliter, ut inflammata per suggestionem concupiscentia semper crescat velut ignis, *qui nunquam dicit, sufficit.* Deinde verò supernaturaliter sic permittente Deo in pœnam facilitatis seu ignaviæ, quâ permissus est à nobis Tentator ingredi. *Servies*, inquit, *inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, & ponet jugum ferreum super cervicem tuã, donec te conterat.* Et certè quis nesciat ingressos in urbem vel domum hostes longè magis posse in perniciem civium, quàm dum extra muros essent. Hinc illæ lachrymæ & lamentationes: *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus: manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. VENATIONE ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi, perii.*

Prov. 30.

Deut. 28.

Thren. 1. & 3.

Aptissimum illud est etiam, quod ait David, *Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ: neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Vide enim, ut gradatim majores tentationis vires & damna exprimat. Primò petit, ne tempestate demergatur, quod est certè perniciosum; sed denique quod perniciosius, ne absorbeatur profundo: ac denique quod est perniciosissimum, ne ita involuatur & includatur puteo seu Abysso, ut nullus sit emergendi exitus. Sic paulatim procedit tentatio & tentator roboratur: Unde egregiè sanctus Hieronymus sub alia similitudine, *Diabolus*, inquit, *serpens lubricus est, cujus si capiti, hoc est primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis dum non sentitur, illabitur. Tentationum diabolicarum initia, flagitia sunt.* Itáne sentis? itane expavescis?

Psal. 68.

III. PUNCTUM.

SI ergo Tentatorem permiseris ingredi, non se sinet, non se permittet egredi; Quia per ingressum vires ampliores obtinet, quibus confisus, fit audacior, & obstinatior: *Et propterea*, inquit sanctus Gregorius, *rectè Myrmicaleon, id est, leo & formica dicitur; formicus enim leo est; volatilibus formica; quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest: si autem resistitur, quasi formica atteritur.* *g. Mor. 19*

Nonne hoc est potens motivum resistendi? Videsne, quantum sit discrimen inter formicam & leonem; ac proinde quale periculũ & quale sit damnum, si quem ut formicam facilè superandum habuisses, eum habeas ut invictum leonem? Si de solo naturali affectu coercendo ageretur, sic statim ut sentitur, esset continendus; Quia, ut ipse vidit & scripsit Seneca, *non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat; Excluditur facilius, quam expellitur; Ergo intrantibus resistamus.* Quanto verò id magis observandum, cùm se affectui Tentator jungit, & cùm ad hunc quantocyus oppugnandum sacris oraculis admonemur. En ut loquuntur: *Nolite locum dare diabolo. RESISTITE diabolo & fugiet à vobis, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. DEVS pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Nota illud *velociter*, ne si detur illi mora, te ipse conterat. Totum certaminis pondus in illa est velocitate. Aut te oportet habere Satanam contritum sub pedibus tuis, aut ille sibi te conteret: Uter altero fuerit velocior, sic erit superior. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentatio-*

Ep. 116.

Eph. 4. *Iac.* 4. *Rom.* 16.

Matt. 26.

tationem, Si præsens Apostolis hoc Christus dixit, quanto magis tibi: Vide Dominicam tertiam in Quadragesima.

Si quis forte inchoatos de Passione Christi Domini discursus nolit interrumpere, hanc nobilem, & cœlo delapsam Veritatem sibi proponat contra tentationes.

In hoc Signo Vinces.

Ratio est, quia tentatio cognita facillimè cum gratia superatur.

Sed ex repræsentatâ sibi Cruce & Christo Domino patiente, facillimè cognosci potest tentatio, indeque gratia derivatur.

Ergo & sic tentatio superatur, quod est in signo & vexillo crucis vincere; ac proinde comparanda facilitas repræsentandi sibi Crucifixi.

Huius figura præcessit in serpente æneo, quem qui percussi à serpentibus aspicerent, sanabantur. Sic Moses longè ante Christum, eius tamen aspectu sibi proposito, dicitur maluisse *affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Sic passim Apostoli: *Christo in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini. ASPICIENTES in autorem Fidei, & Consummatorem Iesum.* Sic & luculentè liber de Imitatione Christi, locis hic notatis. *Num* 21. *Ioan.* 3. *Hebr.* 11. 1. *Pet.* 4. *Hebr.* 12. *l.* 1. *c.* 25. *l.* 2. *c.* 1.

HAC HEBDOMADE, de internis doloribus, quos Christus Dominus in Passione sustinuit, atque in horto seu monte olivarum vehementiùs Ipse in animo suo concitavit.

FERIA SECVNDA.
DE TRISTITIA DOMINI IESV.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Qui cum Christo dolente non dolet, nec cum Ipso gaudente gaudet.

RATIO EST, Quia non dolere cum Christo, est non habere eundem sensum circa res divinas & humanas, quem habet Christus.

Sed qui non habet hunc eundem sensum cum Christo, non potest cum ipso gaudere.

Ergo is, qui non dolet cum Christo, nec gaudebit cum eo. Et miraris unde tam modicæ consolationes divinæ!

I. PUNCTUM.

FINITA oratione, quam Christus Dominus in cœnaculo ad Patrem habuit: *Egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum, secuti sunt autem illum & discipuli*, usque ad villam, quæ dicitur Gethsemani, quibus tum dixit, *sedete hic, donec vadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duobus Filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse; Tunc ait illis, tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic & vigilate mecum.* Luc. 22. Matt. 26.

Sic Evangelistæ omnes, unde apparet, primum Christi dolorem internum fuisse tristitiam, quam permisit appetitui suo concitare, ex repræsentatione malorum omnium, quæ tunc adduxit in mentem suam sive præterita essent, sive præsentia, sive futura. Cogitabat immensam illam multitudinem hominum, qui à mundo condito perierant, & peccati sui pœnas luebant. Versabat animo horribilem illam peccatorum molem & massam, quæ omnes homines ita infecerat, ut vix unus aut certè pauci in via salutis essent. Proponebat sibi statum præsentem mundi, in quo soli Judæi Deum agnoscebant, ex Judæis autem pene omnes excæcati, jam-jamque in suam universi mortem conspiraturi. Cernebat Proditorem discipulum; perjurum alium, fugaces reliquos, se solum velut agnum in medio luporum deserendum, discerpendum, dilaniandum. O qui tum dolores animi! At saltem qui post passionem futuri erant homines, si

salvarentur, si prodesset omnibus Sanguinis ille fundendus! Sed illud erat vel maximè, quo dolor augebatur, quòd in sequentes annos tot etiam peccata committerentur, totq; perirent homines, perinde ac si non esset passus, imò eò magis peccarent & punirentur, quò esset passus, atque adeo ipse inter omnes electus & dilectus populus in sua esset pravitate perituru. *Et peribunt reliquiæ Iudæ*!

Ier. 40.

Hæc ita simul conglobata sic animum eius contristabant, ut præ doloris vehementia vivere non potuisset, nisi virtute divinâ vitam sustentâsset. O mi Iesu, nũquid ex his unus erã, quos cernebas in peccato, & quorum aspectu angebaris? Etiam fili, teipsum in mente habebam, & quod de te mihi magis dolebat, insensibilitas est illa tua, quâ tam parum moveris ad perfectam emendationem. Ad hoc anime quid respondes? Disce hodie saltem tristari & dolere, ut discas simul, quando & quomodo gaudeas. In his enim duobus affectibus, vel maximè peccas; & unus ita pendet ab alio, ut nisi cum Christo doleas seu tristeris, non possis cum ipso gaudente gaudere, nec proinde ullo unquam vero & legitimo gaudio gaudere.

Ratio est universalis & valdè expendenda, quia videlicet nisi tristeris cum Christo, non habes eundem sensum circa res divinas & humanas, quem ille habet. Nam cùm omnis tristitia sit ex malo sibi repræsentato, tam diversa erit tristitia, quàm diversus mali sensus, seu quàm diversa opinio circa res illas, quæ contristant; unde fit ut tristitia sæculi sit tantum de malo huius vitæ, de pœnis, de paupertate, de contemptu, de invidia, & similibus, quia sæculares hæc tantum æstimant mala. At verò tristitia secundum Deum, de peccatis est, de Deo offenso, de suo proximique damno spirituali; sicque apparet ex diverso rerum sẽsu, sive æstimatione & affectu, diversam esse tristitiam: ac proinde hæc duo se simul consequuntur, seséque mutuò probant, ut qui diversum habet à Christo sensum, diversam ab eo etiam habeat tristitiam, vel qui non tristatur cum eo, sive de re ipsa, quâ tristatur, diversum ostendat se habere sensum. O quàm præclarè Apostolus; *hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*! Videbat quippe acutius, ex illo sensu, affectus omnes nostros dependere. Itáne sentis cum illo?

2. Cor. 7.

Phil. 2.

II. PUNCTUM.

SED qui eundem cum Christo sensum & affectum non habet, non potest gaudere cum illo.

Nam sicut tristitia, ita & gaudium prorsus diversum est pro diversitate sensus, sive æstimationis & affectus, quem habemus de bono, quod est objectum gaudij; unde qui vanè & malè gaudent, idcirco ita gaudent, quia quæ vana sunt & mundana bona nimiùm æstimant & sapiunt, ac proinde eorum possessione lætantur, cùm tamen alij, qui non idem sentiunt, non ita gaudeant, etiam si eadem bona possideant. Hinc Propheta, *Confusum est gaudium à filiis hominum*: Id est, sicut varii sunt sensus hominum, ita & varium ac diversum eorum gaudium, quod est cum sensu conjunctum & confusum.

Joel. 1.

Quisquis propterea non idem sentiat de rebus, quod ipse Christus, certè non eodem etiam gaudio gaudebit quo ille; quia ut dictũ est, ex diversitate sensus, diversum est gaudium, ac proinde quamdiu diversa senties, sic diversè gaudebis; & quàm verum erit & solidum Christi gaudium, tam falsum & evanidum hoc tuum erit, quod est illi oppositũ.

O miserandum hominem, qui nunquam est miserior quàm cùm magis gaudet! Nam quo magis gaudes falso tuo gaudio, eo magis diversus es à Christo Iesu; & non est major miseria, quàm sic diversum esse à Christo!

III. PUNCTUM.

SIC ergo qui cum Christo dolente non dolet, nec cum ipso gaudente gaudere poterit: Non modò quia non meretur consolationes illas, quæ non dantur nisi secundum multitudinem dolorum, ut ait Propheta & Apostolus, sed quia non eundem cum ipso habet sensum. Si enim idem sentires cum Christo, quidquid illum affligit, te simul contristaret; unde è converso si non te idem contristat, non eundem cum ipso habes sensum, ac proinde nec simul cum ipso gaudere potes. *Non gaudebit inimicus meus super me*, quia scilicet oppositum meo sensum habet.

Ps. 93. 2. Cor. 1.

Ps. 40.

Quod quia valdè odiosum est & expavescendum, corrigendus est sensus tuus, sive judicium illud quod formas de bono & malo, unde procedunt affectus tristitiæ & gaudij; atque

atque à Christo Domino discendum, quid verè malum sit & deplorandum. Ipse est enim Emmanuel, qui probè *scit reprobare malum & eligere bonum.* Jam audivisti, quid eum contristaret, nempe Dei offensa & hominum perditio; hoc ergo disce verum esse malum, hoc disce deplorare cum Christo, ut cum ipso etiam gaudeas de Divinis Perfectionibus, de Dei notitia prædicata, de hominum salute & perfectione, cæterisque similibus veris bonis. *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Quod si Passionis & mortis jam jam instantis Cogitatio nonnihil etiam Christum contristavit; at certè vide, quomodo se in illa sua tristitia gerit. Disce tristitiam, quæ ex corporis aut animi malis percipitur, non tam malum esse, quàm qui concitantur inde motus inordinati. Nullos verò tales in Christo perspicies; Nihil illo quietius etiam in mediis illis tristitiæ fluctibus, nihil inordinatius, nihil suavius, & religiosius.

En ut supplex adit ad Patrem, ut illum pronus erat, ut opportunè redit ad discipulos somnolentos, ut eos quietè excitat, ut blandè monet, ut omnia denique tranquillè peragit!

Sic est tristitia in virtutem convertenda, sic toleranda benignè, sicut & ipsa mala, quæ illam excitant, quandoquidem ipsa est naturæ nostræ malum tam patienter ferendum quam quodvis aliud malum, quando aliter cum eo non potest. Sic aptè Sapiens. *Ne festines in tempore obductionis, sustine sustentationes Dei, conjungere Deo & sustine. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* Iunge cor tuum cordi Christi, ut quod ille amat, tu ames: quod odit & deplorat, tu ipse oderis & deplores! Denique sicut dicebat Rex Jehu ad Jonadab: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* Sic tecum Christus: Tu quid illi?

Joan. 16.

Eccles. 2.

4. Reg. 10

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de extremo Iudicio, ac de operibus misericordiæ. Matth. 25.

VERITATES PRACTICÆ.

Qui nimis humana timet judicia, non satis reveretur Divina.

In 1. parte, Feria 4. hebdomadæ sextæ post Epiphaniam.

Nunquam melius sibi providet fidelis Dei servus, quàm cùm nihil sibi retinens; totum se Domino, suaquè omnia consecrat.

In eadem 1. parte, In Festo Sancti Nicolai.

Si quid Charitas negat, tam benigna negando est, quàm concedendo.

In hac 2. parte, Feria 3. hebdomadæ primæ post Paschæ.

Beati misericordes.

In 3. parte, Feria 6. hebdomadæ tertiæ.

Videnda septima Dominica, de defectu bonorum operum, quàm sit unicuique timendus.

Qui se interrogat ante judicium, interrogatus in judicio securius respondebit.

In eadem 3 parte, Dominica octava.

Affectum probat effectus.

In eadem 3. parte, Feria 2. hebdomadæ nonæ.

Si vis curari, cura.

In eadem 3. parte, Dominica 12.

Nemo sui boni vel mali bonus Judex.

In ead. 3. p. Feria 3. hebdomadæ 14.

Denique de extremo Judicio distinctius, videnda Dominica ultima quartæ partis, ac Sabbatum sequens; necnon Dominica prima Adventus.

FERIA TERTIA.

DE TIMORE, ANXIETATE, ET Agonia Domini IESU.

Et cœpit pavere, & tædere. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Marci 14. Luc. 22.

VERITAS PRACTICA.

Ab imitando Christo, excusantis humanam infirmitatem, infima est & nulla excusatio.

RATIO EST, quia nulla est excusatio, si Christus assumpsit humanam infirmitatem.
Sed humanam Christus assumpsit infirmitatem.
Ergo à Christo imitando, excusantis infirmitatem humanam, infirma valdè est & nulla excusatio.

I. PUNCTUM.

SICUT à timore anxietas, sic ab anxietate processit agonia: quantum quidem cogitari potest accidisse hoc modo, qui attentè & piè revoluendus.

Permisit Christus imaginationi suæ sibi repræsentare tormentorum atrocitatem, quæ moriendo passurus esset, & concessit appetitui sensitivo inde concipere mortis timorem & horrorem, quàm magnus & sensibilis concipi poterat; Cùm verò Voluntas superior liberrimè acceptaret illa tormenta, & consentiret in mortem subeundam, hinc anxietas quædam orta est in ejus animo, *quid nempe potiùs ageret ex duobus sibi propositis?* AN MORTEM ACCEPTARE? AN DIFFERRE? Differre suadebat timor, acceptare amor; Quid faciat? *Anxiatus est super eum spiritus eius, turbatum est in eo cor eius*, ut posset dicere, *Ex omni parte me angustiæ premunt, Coarctor nimis.* Psal. 141. 1. par. 11 2. Reg. 24

Sed tempus urget, hora instat, adsunt hostes, concludendum quid fiat; tunc fit agonia, id est, extremum certamen inter timorem & amorem; Uter utri cedat; Et cùm timorem vicerit amor, hinc factum est ut sanguis, qui ex timore circa cor se effuderat, retractus fuerit ab amore, & in omnes corporis partes tantâ vehementiâ dilatatus, ut ipsam carnem pertransierit, sicq; sanguinis guttæ defluxerint; *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* O amor, eò magis admirandus, quo impugnari voluit à timore, ut se se facilius in exemplum mihi præberet. Nec enim timuisset nisi voluisset, & idcirco voluit, ut timorem meum vinceret vincendo suum. Nam suo illo timore & pavore, cùm apertè indicaverit humanam assumpsisse infirmitatem, planè abstulit omnem illorum excusationem, qui ab ipso imitando in quotidianis vitæ actionibus se retrahunt, suamque propterea allegant imbecillitatem. Luc. 22.

Quid enim dicunt, quid excusant? Quidquid sit, hoc nullum planè est, si Christus humanam induerit infirmitatē; non enim aliud dicunt, quàm quod Christus Deus esset, nos autem homines; & cùm longissimè distent natura Dei & hominum, hinc concludunt, non id à nobis fieri posse, quod Ipse fecit.

Sed errant & quidem vehementer, nescientes scripturas & virtutem Dei, atque infirmitatem Christi. Nam si nihil obstaret Divinitas, quo minus æquè ac quivis hominum infirmus esset Christus, quid tu homo excusas infirmitatem tuam? Adde præterea, quod est valdè observandum, si nihil obest humana tua infirmitas, quo minus æquè ac ipse Christus Dominus, potens sis & validus ad id omne præstandum ejus exemplo, quod juberis, quid est, quod te ab eo imitando retrahas, & excuses, quod ille fuerit potens & validus? Ubi enim paria fuerint omnia, nulla est impatitatis excusatio.

II. PUNCTUM.

SED Christus Dominus humanam planè assumpsit infirmitatem.

Id est, ità timuit, ita exhorruit, & id omne sensit humanitus, quod tu naturaliter sentis in malis sensibilibus tolerandis. Sic enim dicitur.

Isa. 53. citur: *Vir dolorum & sciens infirmitatem:* sic verè *languores nostros tulisse, & dolores nostros portasse*, Sic *debuit per omnia fratribus similari, ut*
Hebr. 2. *misericors fieret. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur auxi-*
Ibid. 4. *liari. NON enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Sic Prophetæ, sic Apostoli, sic universa passim scriptura, nec aliter eam interpretantur Patres & Doctores, quàm simpliciter dicendo, ita Christum nostrâ infirmitate fuisse infirmum, ut nos ejus virtute fortes & validi
In S Luc. esse possimus. *Ego*, inquit sanctus Ambrosius, *nusquam magis pietatem eius majestatémque demiror: Minùs enim contulerat mihi, nisi meũ susceptisset affectum. Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur; & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.* Sanctus quoque Augustinus, *Nos in se transtulit, nos in se suscepit; caput nostrum membrorum suorum suscepit affectum, & ideo ab aliquo non est turbatum, sed sicut de Illo dictum est cum Lazarum suscitavit, turbavit semetipsum: oportebat enim ut unus*
Tract. 52. *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus,*
in Ioan. *sicut nos excitavit ad summa, ita nobis compateretur ad infima.* Sanctus item Gregorius, *Fortis*
16. Mor. *super omnia, apparuit infirmus inter omnia, ut*
14. *dum nobis ex assumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suam fortitudinem elevaret.* Sanctus denique Leo, *Nostræ infirmitatis*
Serm. 3. *affectus participando curabat, & pœnalis experi-*
Pass. *entia metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam, suæ virtutis soliditate vestiret.* Quid clarius? quid expressius?

III. PUNCTUM.

A *Christo igitur imitando, excusantis humanam infirmitatẽ infirma valdè est & nulla excusatio*; cum ipse non minùs atque nos infirmus fuerit: nec minùs ipsi fortes simus ad toleranda nostra mala, quàm ille fuerit ad su-
Iac. 5. stinenda sua. *Elias homo erat similis nobis passibilis*, inquit sanctus Iacobus, quasi diceret, nihil est, quod vos excusetis ab eo imitando in iis, quæ sunt vestri muneris, quasi alius esset à vobis. Sic planè de Christo Domino, Christus homo erat similis nobis passibilis; nihil confert ad excusationem vestram, quòd fuerit Deus, cùm simul fuerit homo similis nobis. Sicut enim quod fuerit Deus, non impedit, quin simul fuerit homo; sic neq; obstat quin fuerit homo infirmus; ac proinde tantum abest, ut possis inde te excusare ab eo imitando, quòd Deus esset & te fortior, quin potius ex hoc ipso, quod Deus esset & maximè fortis, habes efficacissimum ejus imitandi motivũ; tum quod ipse Tantus se tantillum fecerit, ut te provocaret ad se sequendum, tum quòd te, tantillus cùm sis, talem & tantum fecerit, ut possis cum sequi si velis. O quãtum debemus tuæ fortitudini bone Iesu, sed non minus Infirmitati; nam si fortitudo tua nos creavit, Infirmitas tua nos recreavit, sic patiendo pro nobis, sícque nos ad patientiam tuam excitando.

Modum autem in adversis propiùs imitandi Christi, fusè docet sanctus Augustinus va- *S. Aug.*
riis in locis: Primò quidem in illa Domini *Tract. 15.*
Verba: *Nunc anima mea turbata est. Quid est* *in Ioan.*
hoc, inquit, *quomodo sequi jubes animam meam, si turbari video animam tuam? Quomodo sufferam, quod grave tanta firmitas sentit? Quale* *Tr. 52. in Ioan.*
fundamentum quæram, si petra succumbit? Sed videor audire in cogitatione mea respondentem Dominum, & quodammodo dicentem, magis sequeris, quia sic me interpono ut sufferas. Audisti ad te, vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ. Vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras, sed transfero in me quod trepidas, & substerno quà transeas. Et post pauca, sic ad praxim aptissimè: *Sicut autem hic dixit, Nunc anima mea turbata est, ita etiam ubi dicit, Tristis est anima mea usque ad mortem, & Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, ostendit hominis susceptí infirmitatem, ut doceat sic contristatum & conturbatum, quod sequitur dicere, Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cùm voluntati humanæ divina præponitur.* Et in hæc Psalmi trigesimi secundi verba: *Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. QVI sunt recti qui diriguntur cor secundum voluntatem Dei. Et si eos perturbat humana fragilitas, divina consoletur æquitas. Quamvis autem corde mortali privatim aliquid velint, quo suæ interim causæ, vel negotio vel præsenti necessitati conveniat: ubi intellexerint & cognoverint aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris voluntati suæ, & voluntatem Dei voluntati*

hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantùm voluntas Dei à voluntate hominis. Vnde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & præstans nobis vivere, ostendit hominis quandam privatam voluntatem, in qua suam figuravit & nostram. Pater, inquit, *si fieri potest, transeat à me calix iste. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam privatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, ut quidquid in illo aliquantum curvum esset, ad illum dirigeret, qui semper est rectus: Verùm non quod ego volo,* ait, *sed quod tu, Pater. Ecce vide,* inquit, *te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati; conceditur humanæ infirmitati, aliquid proprium velle, difficile est, ut non tibi contingat: sed statim cogita, qui sit supra te. Illum supra te, te infra illum; Illum Creatorem, te creaturam: Illum Dominum, te servum: Illum omnipotentem, te infirmum cogita corrigentem te, subjungensque voluntati ejus, ac dicens: verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Quomodo disjunctus es à Deo, qui jam hoc vis quod Deus?*

Itemque alibi: *Vt si cui eorum inter humanas tentationes contristari & dolere contingeret, non ideo se ab ejus gratia putaret alienum, & non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tanquam voci præmissæ concinens chorus, ita corpus eius ex ipso suo capite addisceret.* Quod & brevius repetens sanctus Papa Gregorius: *Vt cum hoc,* inquit, *imminet, quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri contra voluntatem nostram fiat.*

In Ps. 87.

l. 12. Mor. c. 8.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Domini Ingressu in Civitatem, & in templum.

VERITATES PRACTICÆ.

Ad hæc commotæ Civitatis verba de Christo Domino, *Quis est hic?*

Affectu potius quam studio Christus cognoscitur.

In 1. parte, Feria 2. hebdomadæ tertiæ in Adventu.

Quidquid de Christo se scire dicant Impii, Christum nescire dicendi sunt.

In 4. parte, Feria 4. hebdomadæ 19.

Dum è templo vendentes ejicere consideratur Dominus, considerandum venit, quod in 1. parte habetur in Dedicatione Ecclesiæ: *Pavete ad Sanctuarium meum.*

Sic sæpè etiam Dominus res nostras evertit ut se summum ostendat Dominum: Tunc autem QUANTO minus murmuramus, aut quanto magis tacemus, tanto altiùs altissimum Ejus Dominium prædicamus.

In 1. parte, Feria 2. hebdomadæ sextæ post Epiphaniam.

De hoc porro Ingressu Ierosolymitano, plura in Dominica Palmarum; & Dominica nona post Pentecosten, ac tota hebdomada 26. quartæ partis.

FERIA QVARTA.

DE COMPASSIONE CHRISTI Domini erga homines: & de nostra erga ipsum.

In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. Is. 54.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Frustra te Christi miseret, nisi te tui prius misereat.

RATIO EST, Quia frustra te Christi miseret, nisi à te tollas, quod Christum affligit.
Sed nisi te tui misereat, non illud tolles.
Ergo te frustra Christi miseret, nisi te tui prius misereat. Id est, nisi te miserum & miserabilem scias.

I. PUNCTUM.

DE hoc interno Christi dolore, prout à tristitia est distinctus, tria hæc perpēdi possunt. Primum est, hunc dolorem fuisse præcipuè de spiritualibus miseriis humani generis, quas Christus Dominus sibi repræsentavit cum sensibili compassione, & quibus suâ Passione remedium afferre voluit. Secundum est, hanc sensibilem Compassionem fuisse dolorē vehementissimum, supra quàm etiam passa fuerit Beatissima Virgo, dum juxta crucem stater, cruci affixo Filio compatiens. Nā cùm hæc duo sint, quæ compassionem excitent, amor cōpatientis, & miseria ejus, cui compatitur: Certè quo hæc duo majora sunt, eo etjam major est compassionis dolor. At qui major erat Christi amor erga nos, quàm Beatæ Virginis erga Filium: majorem etiam Ipse Christus Dominus reputabat nostram miseriam, quàm suas pœnas, quia scilicet in miseria nostra videbat offensam Dei, & æternam animæ nostræ damnationem, quæ duo mala suis pœnis graviora censebat, cùm ut illa mala tolleret, sua libenter toleraret, unde apertè patet quàm gravis esset illa Compassio. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente Conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis,* & quæ pluta profert Apostolus ex hoc Compassionis affectu. Qui quantus fuerit, tam longè semper inferior affectu Christi fuit, quam longè Paulus infra Christum. *Rom. 9.*

Tertium est, quòd licèt toto vitæ tempore non destiterit bonus Pastor & Salvator nobis compati, tamen accedente passionis & mortis horâ, hunc maximè concitavit affectum, ut tanto magis voluntariè pateretur, quantò magis compateretur. O quanta fuit miseratio Christi Domini, si quanta esset humani generis miseria, tanta esset Christi Domini commiseratio! O quantis dignus gemitibus Christi dolor, qui meis ita doloribus ingemere voluit! sed frustra ploras animæ te plorantem, nisi te primo deplores. *Frustra te Christi miseret, nisi te tui prius misereat.*

Ratio est evidens, neque hic opus multis verbis, ubi de facto agitur. Quid est enim, quòd te Christi misereat, si dum posses eum solari, tollendo à te, quod ipsum affligit, mavis ipsum affligere illud retinendo, quàm cōsolari tollendo? Nōne hoc est propterea, quod queritur, *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur & non inveni?* Itane nullum inveniat se consolantem? Ita planè nullum, si quicunque simulant eum consolari, magis ipsum affligunt. *Consolatores onerosi omnes vos estis,* dicebat iis Iob, qui se venerant consolaturi, à quibus tamen magis affligebatur. Sic planè tibi Christus Dominus, nisi tollas id à te, quod in te videre non potest sine mœrore, quidquid dicas ad solatium, solatium est onerosum. *Psal. 68.* *Iob 16.*

II. PUNCTUM.

SED non illud tolles, quo se Christus affligi queritur, nisi te tui prius misereat.

Nempe cum sit peccatum tuum & illud maximè peccatum tuum, quo magis delectaris, & quo te beatiorem putas, dū magis peccas, quomodo illud tolles nisi mētem mutes, & nisi miseriam reputes, quod beatitudinem credis? quamdiu enim bonum & beatum aliquid dices, illud semper amabis & coles, unde si quid à te tolli oporteat, oportet illud prius agnosci, non ut bonum sed malum, non ut beatum sed miserum. *Scito & vide: quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum.* *Ierem. 2.*

Nec dicas te nullo delectari peccato; satis enim est ad delectationem peccati, si cupitis rebus ita delectaris ut cupiditas vel delectatio sit peccatum: satis est ad peccatum superbiæ vel vanitatis, si honorem avidiùs cupis, si plus æquo laudibus delectaris. *Nunc autem exultatis in superbiis vestris, omnis exultatio talis maligna est,* ait sanctus Jacobus. Hoc est itaque illud peccatum tuum, quo delectaris, *Iac. 4.*

& quo

& quo Christus affligitur, hoc est, quod dicitur à te tollendũ, nisi desinat delectari: neque verò unquam desinet, nisi miseriam potiùs, quæ in illo peccato latet concipias, & sic tui
Apoc. 3. misereat. *Nescis, quia tu es miser & miserabilis:* & idcirco *collyrio inunge oculos tuos ut videas.*
Luc. 6. En tibi aptum Collyrium: *Væ cùm benedixerint vobis homines. VÆ vobis, quia diligitis primas cathedras.*
Ib. 11. Nonne hoc est miserum sic maledici à Christo Domino? nonne ille est miser, quem miserum Christus dicit? & nonne is maledictus, quem Dominus maledictum denuntiat?

III. PUNCTUM.

FRustra te igitur Christi miseret, nisi te tui priùs misereat; quia nisi te tui misereat, peccatum tuum non tolles, neque hoc nisi sublato, Christum poteris consolari, sed magis affliges, & ut ait sanctus Bernardus, afflicto afflictionem addes. Hoc est enim unum, quo maximè affligitur, hoc est unum, quo vehementiùs dolet, & quod à te magis doleri vult,
Luc. 23. *Nolite*, inquit, *flere super me, sed super vos ipsas flete*; ita scilicet ut quantum in vobis est, illud flendo tollatis, quod mihi & vobis flendi causas ministrat. Sic aptè Sapiens, *Mi erere animæ* *Eccles. 30.* *tuæ placens Deo, & contine*; quasi dicat, si vis placere Deo, si vis illum placare & solari, miserere animæ, agnosce miseriam tuam, & quantum potes depone, *Quid enim miserius miseró non miserante seipsum*, ait sanctus Augustinus. At verò sanctus Cyprianus miseriam, quæ in vano laudis appetitu latet, sic inter alios planissimè aperit: *Virtutum sudoribus* *Lib. de laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis* *Cardin. penetrans animam, dum extollit, emollit, & pun-* *Christi* *git dum ungit: virtutem in hypocrisim vertit, & simpliciter inchoata pervertit, quasi tinea, quod integrum erat, rodit & occupat, & sanctitatis fundamenta evellit & dissipat. Mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, & occupata hac scabie, in ulceribus gloriatur. Religio sit superstitio, & succedit ei ambitio subornata: extincto spiritu, quatriduano cadaveri solum supersunt exuviæ, virtutis species exanimis, & simulachrum sanctitatis.*

Satinne hæc ad miseriam tuam declarandam, qui totus es in illis ulceribus, totus vivis in illa scabie?

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium de Scribis potentibus signum, &c. Matth. 12.

Magister, volumus à te signum videre.

VERITATES PRACTICÆ.

Nisi diligenter advertas, quod petis à Deo justius, hoc est, quod petis injustiùs.

In 3. parte, Sabbato hebdomadæ septimæ; ubi hæc ipsa scribarum petitio declaratur opportunè suo loco.

AD hæc Christi verba: *Generatio mala & adultera signum quærit*, contra eos, qui non utuntur mediis ad salutem ordinatis, hæc proponi potest Veritas:

Si ordinatis ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.

In hac 2. parte, Sabbato præcedentis hebdomadæ.

DE viris Ninivitis pœnitentibus ad prædicationem Jonæ: Quam sit necessaria & rara pœnitentia.

Licet omni peccatori sit necessariò pœnitendum, vix tamen ullus est, qui necessariam agat pœnitentiam.

In 1. parte, Dominica 4. Adventus.

De Recidiuo, contra quod consequenter hic agitur, vide Dominica 3. Quadragesimæ.

Denique de Obedientia Charitatis, in qua est perfectio, & de qua possunt intelligi Verba Domini: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

In 1. parte, Sabbato hebdomadæ 4. post Epiphaniam.

FERIA

FERIA QVINTA.

DE DOLORE CHRISTI EX PERITURIS & damnandis hominibus, pro quibus frustra passurus erat & moriturus.

In vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Is. 49.

VERITAS PRACTICA.

Quantò teipsum negligis, quasi non esses cum cæteris periturus, tantò te Christus doluit præ cæteris perituris.

RATIO EST, quia quantò teipsum negligis, tantò indicas te minùs respondere amori & curis, quas singulares de te Christus habuit.

Sed hoc est, quod amanti tantò dolet, quantò videt amatum minus respondere suis curis.

Quantò igitur teipsum negligis, quasi non esses cum ceteris periturus, tantò te Christus doluit præ ceteris perituris.

I. PUNCTUM.

CUM Christus Dominus dederit Redemptionem semetipsum pro omnibus, 1.Tim.2. ut disertè affirmat Apostolus; neque tamen omnes, imò pauci salventur, & Matth.7. multi suâ culpâ damnentur, ut patet ex Evangelio: dubitari non potest, quin inde Dominus singulari dolore doluerit, quod scilicet tale pretium, quale noverat suum esse sanguinem, offerret pro gratiis, quæ jam perditæ aut Luc.13. perdendæ erant. Nullus enim ex damnatis adultus fuit, qui non habuerit gratiam, pro qua demerenda oportuit Christū pati & mori. At certè si vel pro salvandis sic pati & mori durum esset, quantò magis pro damnandis, quibus nihil prodesset passio, nec mors, nec sanguis. *Nam*, ut ait sanctus Thomas, *privatio finis semper est gravior, quàm ipsa mediorum jactura, quæ impenduntur ad finem.*

Quid quod videbat damnatas aut perituras animas non modò nihil ex suâ passione fructus reportaturas, sed & propterea magis damnandas & cruciandas, quòd pro ipsis passus esset, & quod illis gratias promeruisset & obtulisset, quas neglexissent: Certè hoc illi erat peracerbum. *Sic lapis offensionis* dictus est 1.Pet.2. *& Petra scandali*: Sic *positus in ruinam multo-* Luc.2. *rum & in signum cui contradiceretur*; quia videlicet inde magis in Christum & Christianam religionem efferati fuerint, quod Christus cruci esset affixus; *hoc erat Iudæis scanda-* 1.Cor.1. *lum & gentibus stultitia*, unde & ipsi *accipient* Luc.20. *damnationem maiorem*, ut est in Evangelio.

Adde his hæreticos & liberioris vitæ homines, qui se à Christo passo & mortuo sic jactitant esse salvatos, ut nihil sibi laborādum, nihil sibi persuadeant esse patiendum! Quin ex ipsis etiam Christianis & religiosis, qui omnes carnem suam cum vitiis & concupiscentiis deberent crucifigere, quàm pauci tales, qui paupertatem, humilitatem, patientiā, cæterâsque Christi virtutes sibi proponunt imitandas! quàm multi contrà vel prorsus negligunt, vel impossibiles aut nimis difficiles, vel non sibi aptas causantur! Quæ cùm omnia probè nosset, & velut præsentia cerneret Dominus, *In vacuum laboravi*, aiebat ge- Is.49. mens & dolens, *sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi: Ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.*

Tu porrò, qui hæc legis aut meditaris, an te ex his unum esse putas, quem Christus maximè doluit? Non putas forsan, quia non times te unum esse ex perituris, unde & teipsum negligis ac paulo liberiorem vitam agis, quàm si magis timeres. At verò hinc timere disce, Disce *quod, quanto te ipsum negligis, quasi non esses perituris, tantò te Christus doluit præ aliis perituris.* Sic enim apertè indicas te non respondere amori & curis, quas de te Christus Dominus singulares habuit. Cùm enim te videas tot præventum gratiis & affectum beneficiis,

neficiis, ut de salute tua longè potius sperandum tibi videatur quàm timendum, nonne habes, quod fatearis te singulari amatum affectu ab eo esse, qui te tot prævenit gratiis? At quorsum illæ gratiæ, quorsum ille amor singularis nisi ut edames amantem, & quantum vult à te diligi, tantum dilectionis impendas? Itáne verò sic diligis quantum diligeris? apparet ex negligentia illa tua, quàm longè sis ab illa reciproca dilectione. Sicut enim qui
Eccles. 7. diligit, *& qui timet Deum nihil negligit*, sic qui negligit, non diligit.

II. PUNCTUM.

SED hoc est, quod amanti tanto magis dolet, quantò videt amatum suo minùs respondere amori suisque curis.

Dolor enim ex amore nascitur, ut supra visum est, & quantus est amor, tantus sit dolor necesse est, si amori non satisfit: Nunquam autem satisfactum sibi putat amor, nisi amore reciproco; neque verò verbis verus amor reciprocatur, sed re & opere: Unde quando desunt illa opera, tunc amor in amato deesse creditur, & hinc tantus in amante dolor sentitur, quantus erat amor, quantóque minùs
2. Cor. 12. illi ab amato respondetur. *Licèt plus vos diligens minus diligar*, ajebat Corinthiis Apostolus, quasi diceret, licet hoc mihi sit peracerbum & grave, sic minùs à vobis diligi, quos plus diligo; non desinam tamen vos diligere, quamquam is dilectioni dolor semper miscebitur, quod ab iis minus diligar, quos magis diligo.

Nonne tu hoc ipse sentis? nonne id experiris si quem amas? quis animi dolor si à dilecto non diligeris? nonne id vehementius dolet, quàm à cæteris quos minus amas, non amari?
Psal. 54. Sic sentiebat, sic loquebatur Dominus: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: Tu verò homo unanimis, qui simul mecum dulces capiebas cibos!*

III. PUNCTUM.

QVANTO igitur te ipsum negligis, quasi non esses cum cæteris perituria, tantò te Christus doluit præ cæteris perituris; quia te magis diligens minùs diligitur. Licèt enim fortè magis diligatur, quàm à quibusdam perituris, qui vix eum norunt, minùs se tamen reputat à te diligi, quòd minùs respondeas ejus amori, quàm illi responderint; Minùs illi videlicet dilecti sunt, minus gratiæ & facultatis habuerunt ad eum redamandum, quàm tu habueris: minùs denique se ab illis, quam à te diligi voluit; unde jure conqueritur se magis de te dolere quàm de illis, quia ex majori amore major est dolor. *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Sic amori dolor ex æquo loquitur & respondet. 2. Reg. 1.

Itane cogitaveras te unum ex gravissimis Christi tortoribus extitisse? te illum fuisse, quem maximè doluit, quando suas doluit perire gratias, quando sua doluit virtutum exempla tam parum iis proficere, quibus vel maximè voluisset? Iam verò cùm id noris, pergesne illi esse gravis & molestus? pergesne in negligentia tui profectus & salutis? unde habes te non periturum? unde ista præsumptio, quæ tantæ est parens negligentiæ, ut à quotidianis tuis delictis non resurgas, non expavescas? *Nolite seduci*, ait Apostolus, *corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate justi, & nolite peccare: Ignorantiam enim Dei quidam habent; ad reverentiam vobis loquor.* 1. Cor. 15. Id est, pudendum certè Christiano sic vivere, quasi Deũ ignoraret, vel quasi ignoraret Deo displicere peccata illa, quæ non satis caves, quòd leviora sint, & à salute non excludant. Cave *& da locum timori Altissimi.* Eccles. 19.

Vide etiam in 1. parte, Feria 3. hebdomadæ quartæ.

Quod sicut non est habenda solicitudo anxia de peccatis remissis, ita rationabilis non est deponenda.

Et in 2. parte, Dominica Septuagesimæ.

Quæ causa est, cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Cananæa. Matth. 15.

Tota

Tota refertur narratio & illi conformis Veritas, in 3. parte Sabbato hebdomadæ 14. Et quæ de fide vel fiducia plures adjungi possunt, facile est de aliis locis petere.

FERIA SEXTA.

DE CONFVSIONE CHRISTI,

Propter iniquitatem omnium nostrum, quam Deus in eo posuit.

Vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, nos quasi oves erravimus, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Is. 53.

VERITAS PRACTICA.

Quæ in malo bona est Confusio, in bono mala est.

SENSVS & RATIO est, quòd in malo seu peccato committendo Confusio seu Verecundia bona est, quia sic animus indicat se peccatum aversari.

Sed in bono agendo si talis adesset Confusio, quæ illud bonum aversaretur & refugeret, tunc mala esset.

Ergo quæ in malo bona est Confusio, in bono mala est seu mala esse potest, nisi diligèter caveatur.

I. PUNCTUM.

MAnifestè distinctus est iste dolor ab aliis. Ad eum autem intelligendum duo sunt præsupponenda. Primum est, Christum Dominum innocentissimum agnum sic à peccato fuisse alienum, non modò ut nullum unquam potuerit committere, sed ut nullum à quocunque commissum sustinere potuerit, quin maximè abhorreret. Alterum est, quod non obstante illo naturali peccatorum horrore, omnia tamen omnium hominum peccata sic in se transtulit, aut sibi à Deo imposita sustinuit, ut se velut omnium delictorum reum intueretur, itáque coram Deo appareret.

Hoc est videlicet, quod ait Propheta, *Posuit* Is. 53. *Dominus in eo iniquitatem omnium nostrũ*, seu ut habet alia versio, transire fecit in eum omnem iniquitatem. Hoc item est, quod scribit 2. Cor. 5. Apostolus, *Eum, qui non noverat peccatum, fecit peccatum pro nobis*, id est, victimam, quæ esset velut onerata omnium & uniuscujusque peccato, atque ejus pœnas persolveret; sicut passer ille, de quo est in Levitico, qui dicitur peccata populi portare. In hunc etiam sensum sic apertè sanctus Petrus: *qui peccatum non fecit, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Quod non meliùs explicari potest, quàm si repræsentetur Sponsor seu Fidejussor, qui se pro alio constituit, licèt ille nullũ culpæ aut pecuniæ debitum contraxerit, tamen perinde solvit, atque si esset reus aut debitor; sic Christus Dominus se Vadem & Sponsorem nostrum constituit, sícque in se omnem prorsus iniquitatem transferens, debitas ei pœnas persolvit *Quæ non rapui, tunc exoluebam. Non peccavi & pœnas dabam.* Sic de Christo sanctus Augustinus. Levit. 16. 1. Pet. 2. Psal. 68.

Hinc autem nata Confusio, & verecundi sensus ille pudoris, quo anima Christi se coram Deo velut indutam & opertam peccatis omnibus vidit, vidítque Deum simul illis offensum gravissimè, & valde iratum, cúmque à se omnium pœnas exigeret, sibi quodammodo cernebat iratum, cùm irasci in Deo nihil aliud sit, quàm pœnas exigere aut inferre; sic autem pœnas inferebat Filio Pater, quasi si peccator aut peccatum esset; *Propter scelus populi mei percussi eum. IN me transierunt iræ tuæ.* Quo certè in statu Christus non poterat non confundi & non dolere vehementissimè, sicut cùm in columna nudus apparuit coram populo, aut in veste alba vel purpurea deridendus, quis dubitat tum ejus vultum pudore & confusione suffusum? Sic suo modo interiùs coram Deo, cui soli est notum, quàm sit peccatum horrendum & abominabile. Propterea sic filius Patri; *Tu scis*, in- Is. 53. Ps. 67. Ps. 88.

quit, *improperium meum & confusionem meam, & reverentiam meam*; quasi diceret, nemo scit alius, neque id explicari potest; potest tamen conjici ex Prophetæ loco, qui Christo adaptatur, *Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini & Iesus erat indutus vestimentis sordidis.* Quænam sũt illa vestimenta sordida nisi peccata? & quid est, sic operiri Christum peccatis nostris, nisi sic confundi & erubescere, sicut nobilissimus & delicatissimus adolescens sordidas vestes abhorreret, & iis indutus confunderetur? Zacch. 3.

Hoc est scilicet esse Redemptorem, hoc est esse Iesum & Salvatorem, nihil quidquam omittere eorum, quæ ad salutem nostram pertineant, licèt confusione & rubore plena. Si quid enim nos ab officio avoçare solet, metus est maximè confusionis & pudoris; sed bonũ Iesum nihil tale avertit, quin omnia sustineret, ut nos doceret in malis quidem Verecundiam esse bonam & laudabilem, at in bonis malam & culpabilem. Age Christo gratias, & quod monet Sapiens, *Gratiam Fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Eccles. 11.

Tum quid sit, quod verecundia sit laudabilis in malo, Vide & quàm sit verum; Quia scilicet, quod verecundamur & erubescimus, indicamus nos nolle; nolle autem malũ quis non videt esse laudabile? Præclarè admodum sanctus Bernardus de hac verecundia, *Lampas est*, inquit, *pudica mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illicò prodat. Ita expuntrix malorum & propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes.* Serm. 86. Cantica.

Itáne erubescis, & metuis in occursu mali, & peccati periculo? In honore oblato, in laude audita, in aspectu fœminæ, & similibus hujus virtutis objectis? an potiùs *frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere?* Jerem. 3.

II. PUNCTUM.

SED in bono agendo, si talis confusio adesset, ut aversaretur propterea illud bonum, nec vellet facere, tunc mala esset & culpabilis.

Quis enim hoc non videat? Nam præter quàm quod bonum deseritur, sic bonum deserere pro tam levi causa, qualis est sensus ille verecundiæ vel confusionis, certè id auget culpam. Si tãtùm esset sensus vel primus motus absque illo affectu, quo deseritur bonum, tolerari posset; nec enim est in nostra potestate: aut si alia de causa bonum minimè imperatum omitteretur, id fieri posset sine culpa. Sed illa duo simul juncta reddunt hanc verecundiam valde culpabilem & reprehensibilẽ, nempe omittere bonum vel committere malum propterea solùm, quòd confusio coram hominibus timeatur; Hic enim manifestus est respectus humanus, hoc est scandalizari de Christo, hoc est ipsum erubescere, hic *est lapis offensionis & hac petra scandali super quam qui ceciderit confringetur, super quem verò ceciderit conteret eum*, ut ait Dominus. Matth. 21.

Pleni sunt sacri Codices, & antiquorũ patrum Monumenta pravibus invectivis contra hujusmodi pudorem noxium & pravam verecundiam. *Christus*, inquit Tertullianus, *confusionis confusionem comminatur: Qui me confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram patre meo qui in cœlis est*; *sciebat enim à confusione vel maximè formari negationem, mentis statum in fronte consistere, priorem esse pudoris quàm corporis plagam.* In Gnosticos. Marci 8.

Sanctus Gregorius, *Quid rogo, iste faceret in dolore pœnarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum?* Sanctus Augustinus. *Ille non est Christi servus, sed subsannator & irrisor, qui eius se servum dicit, cui servire dissimulat.* Idemque alibi, *Quid facies quando dicet tibi, erubuisti de humilitate mea, non ero in claritate mea.* Ac rursus, *Discedat mala verecundia, accedat salubris impudentia, si impudentia dicenda est.* 25. Mor. 6

III. PUNCTUM.

ERgo qua in malo bona est confusio, in bono mala est. Quæ quidem Veritas tota est sancti Gregorii, quique eam fusiùs sic declarat, *Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est; bonum verò erubescere, fatuitatis; unde Scriptum est; Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala, qua facit, ad vitæ libertatem pervenit; qui verò erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur; qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.* Hom. 10. in Ezech. Eccles. 4.

Nota verbum *fatuitatis*, quo sanctus Pater utitur, nempe fatuitas aperta est, timere confusionem Luc. 9.

fusionem humanam, nec timere divinam, seu eam quæ à Deo verè timenda est. Nam si ex illa confusione humana, non vereris offendere Deum, confundet te Deus, confusione longè graviori; Et nonne hoc est esse fatuum, evitare minus malum, ut incidas in gravius? Jer. 10. *Cadent & infirmi erunt*, ait Propheta, *quia non intellexerunt opprobrium sempiternum.* Atque Ibid. 23. idem rursus: *Dabo eos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.*

Et tamen quàm multi sunt sic fatui, & quod pejus est, qui nunquam melius sibi sapere videntur, quàm cum sic fatui sunt. Cave offendas ad hunc lapidem. Serva libertatem ubique & semper, *Noli erubescere testimonium* 2. Tim. 1. *Domini nostri. Non confunderis confiteri peccata* Eccles. 4. *tua.* De qua Confusione imprimis cavenda sic aptè sanctus Bernardus. *O verecundia ex-* Ep. 185. *pers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris & honestatis; hæc planè illa, quam Sapiens loquitur confusio adducens peccatum. Itáne verecundum est homini vinci à Deo, & probro ducitur humiliari sub potenti manu altissimi? O perversitas! Non pudet inquinari, & ablui pudet!*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Sanato Paralytico in Piscina. Ioan. 5.

VERITATES PRACTICÆ.

Vis sanus fieri? Quod videris tibi velle, velles quidem, sed verè non vis.

In 3. parte, Feria 2. hebdomadæ duodecimæ. Vbi tota hæc abundè refertur historia.

DOMINE, hominem non habeo. De Necessitate Directoris & usu directionis, In 1. parte, tota hebdomada tertia post Epiphaniam, & præcipue 1. & 2. Feria.

SVRGE, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Quam sint hæc apta ad exprimendum perfectionis progressum, in eadem 1. parte habetur, ubi à Christo alius simili modo sanatur paralyticus: tota quarta hebdomada post Epiphaniam.

IESVS autem declinavit à turba constituta in loco: postea invenit eum Iesus in templo. Cur sic à turba declinaverit, curve paulò post se spectandum in templo dederit, fusè declaratur suprà dicto loco tertiæ partis, unde est hæc Veritas valde practica:

Hæc est maximè laudabilis Humilitas, quæ sic laudes fugit, ut laudanda non omittat.

SABBATO

DE DOLORE CONTRITIONIS

Quem Christus Dominus valde sensibilem habuit.

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Is. 53.

VERITAS PRACTICA.

Vera Contritio dolorem sensibilem nec includit nec excludit.

RATIO EST, quia vera contritio in una est detestatione peccati propter Deum offensum.

Sed illi detestationi neque necessarius est neque contrarius dolor sensibilis.

Ergo vera contritio dolorem hunc sensibilem nec includit nec excludit; unde nec nimis anxiè est quærendus si desit: nec si adsit, est repellendus.

I. PUNCTUM.

CONFUSIONI cæteriſque doloribus animæ & corporis quos ſuſtinere voluit Chriſtus, acceſſit Contritio de peccatis hominum, qui dolorum omnium cumulus & aliquod veluti complementum fuit. Sic enim plenius & copioſius ſatisfaciebat pro peccatis noſtris, cùm de his etiam doleret animo, non quidem ut nos qui de propriis dolemus, cum propoſito emendationis, ſed quo ille modo poterat, quem poſtea multi ſunt imitati ſancti, dolentes de peccatis hominum tantâ doloris vehementiâ, ut pene diſrumperentur.

Verùm in Chriſto Domino multa erant, quæ longè ſupra quoslibet homines ſive de propriis ſive de alienis peccatis pœnitentes dolorem illum exaggerabant. Primum, clara cognitio gravitatis peccati; Noverat enim, quid eſſet Deus, quid Deus offenſus, quid offenſus ab homine, à tot hominibus, tanto tempore, tot offenſis. Deinde ut erat ardentiſſimus Divini honoris læſi, & reparandi zelator, nihil omittebat eorum, quæ ſciret ad id conferre; cumque in apperitum naturalem id omne poſſet, quod vellet, quis dubitet Chriſtum non ſibi peperciſſe, & ſeipſum excitâſſe ad dolorem illum ſenſibilem, quantum poſſet, concipiendum? Quod ſi verò potentiam ſuam exercuit, ut quidquid poſſet, id vellet; quò tandem doloris perveniſſe dicenda illa erit Contritio, ad quam excitandam tria illa Chriſti Domini tam infinita quàm Divina, ſimul corruebant. *Scientia, Poteſtas, & Voluntas?* Si quid enim in noſtris deeſt, id ex alterutro eorum trium provenit, vel quia neſcimus quid ſit peccatum, vel quia non poſſumus appetitum inferiorem ſenſibiliter excitare, aut quia non ſicut velle oporteret, volumus. In Chriſto autem nihil horum deerat, ut dictum eſt, ſicq; vehementiſſimus ex omni parte dolor fuit, & aliorum animi tũ corporis dolorum quidam velut excitator & promotor, cùm ex dolore interno, ſatisfactio exterior eò ſequatur major, quo major eſt dolor. *Magna eſt velut mare Contritio tua*; Cæterorum quidem ſanctorum ut fluvij vel rivuli; ſed Chriſti velut ipſum mare, *Oſſa mea*, inquit per Pſalmiſtam, *ſicut cremiũ aruerunt, ſicut in fixorio cõfixa ſũt*, ita legit S. Aug. in Pſal.

Tren. 2.

Pſ. 101.

O ſi ſciremus quid ſit peccatum! quid ſit Deus offenſus! dic potius anima mea dic potius, ô ſi ſaltem quantum ſcio, aut quantum ſcire poſſum, quid ſit peccatum, & quàm velit Deus à me doleri & expiari, ita dolerem & divinam deteſtarer offenſam.

Et verò cùm dupliciter hic errare poſſis; Primò quidem ſi dolorem ſenſibilem & lachrymas nimis violenter extorqueas; deinde ſi fortè ſenſibiliter moveatis, ſenſum illum & motum pietatis repellas; audienda Veritas, quâ ſtatuitur in vera Contritione dolorem illum ſenſibilem *nec includi, nec excludi.*

Ratio petitur à vera veræ Contritionis definitione, quæ à Concilio Tridentino dicitur eſſe *animi dolor ac deteſtatio cum propoſito non peccandi de cætero.* Quibus in verbis tres differentiæ temporis comprehenduntur; præteriti quidem dum veteris vitæ odium requiritur; præſentis verò, dum ceſſandum eſſe à peccato declaratur; futuri denique, dum vitæ novæ propoſitum & inchoatio præcipitur iuxta illud Ezæchielis; *Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* *Seſſ. 14. c. 4*

Ez. 18.

Hoc in me, Domine, cor mundum crea, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. *Pſ. 50.*

II. PUNCTUM.

SED illi peccatorum deteſtationi nec neceſſarius eſt, nec contrarius ſenſibilis dolor.

Primò quidem, quòd non ſit neceſſarius, ex eo patet, quòd non ſit in noſtra poteſtate, cùm multi hunc dolorem vehementer diſiderent, & à Deo petant, nec tamen obtineant. Nihil autem à nobis neceſſariò requiritur, quod non poſſimus cum gratia, & ad quod exequendum gratia denegetur. Sic enim univerſim de omnibus, quod de uno affirmatur, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, nec ſupra te eſt, neque procul poſitum: ſed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum.* *Deut. 30.*

Quòd verò etiam non ſit contrarius, ex approbatis ſanctorum lachrymis liquet, qui cũ Davide dicunt, *laboravi in gemitu meo: lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* Itemque cũ Ezechia, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* *Pſ. 6.* *Iſ. 38.*

Audereſne tu repellere, quod tam ſancti viri ſuſceperunt?

III. PUN-

III. PUNCTUM.

VERA ergo Contritio dolorem illum sensibilem nec includit nec excludit ; Cùm vera Contritio in vera peccatorum detestatione consistat, quæ sic formari potest sine dolore
Bar. 4. sensibili, ut cum eo etiam formari possit. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Hoc est verè conteri & pœnitere ; tum verò
1. Par. 3. bene speraudum, quod dicitur *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quod minùs sanctificati sunt.*

Expende illud *in toto corde*, sic enim totum in hoc toto corde reponitur, ut si quidem adsit, nihil ad veram desit pœnitentiam ; si quid verò desit de toto, tunc abfit totum, quod requiritur, nec nisi forte in mendacio reverti
Ier. 3. dicitur, qui non in toto corde revertitur. Hoc certè indicat ipsum nomẽ Contritionis, quæ quasi quædam est totius cordis in minutissimas partes scissio, sicque Scriptura sæpius,
Ioel. 2. *Scindite corda vestra.* Unde & dicitur Sacrificium, ac ipsum holocaustum, quod est præ-
Dan. 3. stantius, & quod Deo totum immolatur. *In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur : sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo.* Sic in fornace Babylonica tres illi Viri, qui se interno incendebant igne, suaque Deo mactabant corda, dum in externis flammis sua videbant spirare corpora. Sic aptè S. Augustinus in Psalmum quinquagesimum : *In te habes quod offeras : habes in te quod occidas : Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Ps. 50.

Egregium porro sermonem habet sanctus Bernardus de cordis Contritione, qui totam eius formam ad hæc præcipua refert ; *Deum in Cant. cogita factorem tuum, cogita & benefactorem, cogita patrem ; cogita Dominum. Ad omnia reus es, plange per singula. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius ? Confundor, confundor audire : si ego pater, ubi est honor meus ? sed etsi pater non esset, obrueret me beneficiis.* Serm. 16.

Et quæ plura pergit, quæ tantò erunt validiora, quantò erunt magis unita Cordi Cõtrito Christi Jesu, qui hoc ipsum, quod doles peccatum ita doluit ut dolere nunquam desinat, quia doloris eius meritum nunquam exhauritur, sicque modò tam potest esse efficax, quàm dum ipso doleret actu, si quod tuum est modo facias, & quoties dolendum erit, sic cum ipso perfectè doleas.

Quàm autem id frequenter sit exercendum, habes inferius in hebdomada Passionis, Feria quarta, ubi hæc ponitur Veritas.

Crux interdum à corpore, sed nunquam ab animo deponenda.

Evangelium Feriæ, prorsus idem ac sequentis Dominicæ.

DOMI-

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem Fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Matth. 17

Cur tamdiu distulerit Dominus sic transfigurari: cur ante tam paucos transfiguratus est: cur ante hos tres præsertim, non ante alios; Abnegationis nostræ est, revereri potius quidquid est factum, quam cur ita fit, velle discutere:

Nihil est, autem, in Abnegatione rationabilius, quàm quod in illa videtur minus rationabile.

Habetur hæc Veritas in 4. parte, Feria 4, hebdomadæ decimæ quintæ.

ET resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Hæc sunt videlicet insignia Beatæ animæ; sic nos aliquando beati, sic aliquando similes ei erimus: sic Ille reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quam ut spem & expectationem in nobis excitaret, sic apparere, sic resplendere voluit. De hac autem spe & cœlesti desiderio, tota est Ascensionis Domini hebdomada, in hac 2. parte, singulis feriis, ac præsertim Sabbato, cuius est hæc Veritas: 1. Ioan. 3. Phil. 3.

Spes cœli, cœlum est.

ET ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.

Cur illi duo Prophetæ præ cæteris? Hæc inter alias ratio redditur, quòd illi vehementius Deum seu Christum videre desideraverint: Vide Exodi 33 & 3. Reg 19. Sic se his Christus, qui se magis desiderant, magis cõmunicat, undesi tam rara est familiaris eius communicatio, non aliunde est, quam quod rari sunt, qui se ad illam veris desideriis ex divina conceptis gratia paratos velint. Hoc certè mirum!

Vix ullus est, qui non se verè putet desiderare Christum:

Et vix ullus est, qui Eum verè desideret:

In 1. parte, Feria 5, primæ Adventus hebdomadæ. Luc

RESPONDENS autem Petrus dixit ad Iesum, Domine bonum est nobis hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Addit sanctus Marcus: *Non enim sciebat quid diceret.*

Si nec in ipso cœlesti gustu sistendum est, longè minus in sensuali.

In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ decimæ quintæ.

Quò etiam spectare possunt hæ duæ Veritates.

Beatius est magis carere omni sensibili consolatione, quàm ea abundare.

In hac 2. parte, Feria 4. hebdomadæ Sanctæ.

Si quid interdum sensibus licitè indulgetur, non ut sensuale est, sed ut est licitum, accipiendum est,

In 1. parte, Feria 5. hebdomada 5. post Epiphaniam.

Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, In quo mihi bene complacui, ipsum audite.

Nullus est Christianus, qui non credat Christum esse filium Dei: Et vix est ullus Christianus, qui hoc verè credat.

Stupenda hæc Veritas sæpius inculcanda. Declaratur in 3 parte.

In Festo Transfigurationis, sexto Augusti.

ET descendentibus illis de monte præcepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

Humilitati ruendæ tutius est, vix de se quàm vel humiliter loqui.

In hac 2. parte, Sabbato hebdomada 1. post octavam Paschæ.

Hæc sunt, quæ aliunde hûc transferri possint, & fructuosè sigillatim considerari. Sed quemadmodum in solemnioribus regni Comitiis, quid potissimum pertractetur, inquiritur; Ita in singulari hoc Conventu, ubi ex omni pene hominum statu, adsunt Viri delecti cum Christo Domino; quid simul tractent, quid conferant, quid loquantur, hoc imprimis videtur exquirendum & perpendẽdum. Sic autem sanctus Lucas refert:

Luc. 9. *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.*

Id est, salutiferam Passionem, ait sanctus Cyrillus. Quod certè mirum, cùm hæc duo Mysteria tantopere diversa sint, atque inter se discrepãtia. Sed propterea sic sapienter à Domino factum est istud, ut inde MODERATIONEM ANIMI, quæ non minus rara est inter homines, quàm illis est necessaria disceremus. Sic itaque mutuam, quæ inter utrumq; Mysterium intercest, oppositionem spectare convenit, ut quæ inde praxis ad illam Moderationem in quocunque statu, prospero vel adverso retinendam, elicitur; vel maximè perpendamus. Quem in finem, hæc visa est magis opportuna VERITAS PRACTICA quæ ad alias adjiceretur, & singulari studio pensiaretur:

In die bona nisi memores mala, non erit dies bona.

Et in die mala si memores bona, non erit dies mala.

RATIO EST, Quia diem esse bonam aut malam non aliter censeri debet, quàm si dies in profectum animi, vel defectum cadat.

Sed non aliter dies in profectum aut defectum cadet, quàm si in die bona memores mala: aut in die mala memores bona.

Ergo nec aliter erit dies bona vel mala. Ac proinde ex sapientis consilio & exmplo Christi Domini, In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorũ. Eccles. 11.

I. PUNCTUM.

CUM oppositа juxta se posita magis elucescant; erit operæ pretium hîc ante omnia sic inter se conferre duo illa Sacra Misteria Transfigurationis & Passionis Christi Domini, ut, quæ apparebit evidens oppositio, lucem & splendorem utrique augeat. Primùm igitur expende oppositionem.

De Transfiguratione dicitur, *Resplenduit facies eius sicut sol, & vestitus eius albus & refulgens; & qui cum eo erant, evigilantes viderunt maiestatem eius:* De Passione verò, *Non est ei spacies neque decor, quoniam absconditus est vultus eius & despectus, unde nec reputavimus eum.* In Transfiguratione, sic Pater auditur de Filio, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* In Passione verò sic Filius auditur de Patre, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* In Transfiguratione resplendet medius inter duos insigniores Prophetas, qui & ipsi videntur in majestate; In Passione verò medius inter duos latrones, qui crucifixi sunt cum eo. In Transfiguratione, *Bonum est nos hic esse,* clamant Apostoli; In Pasione verò *omnes eo relicto fugerunt.* In Transfiguratione beatitudo animæ redundat in corpus & vestimenta; In Pasione tormenta corporis in ipsam refluunt animam; & quoad partem inferiorem, omni privant solatio. Matth. 17 Mare. 9. Luc. 9. Is. 53. Matt. 27.

DEINDE verò quantum à se invicem elucescant, intuere; Transfigurationi quidem confert Pasio, quòd in illa nihil nisi de morte Christi agatur: Quæ res omnium, quæ tractari possent, cùm sit gravissima, nõ media-

crem Mysterio dignitatem affert. Passioni autem Transfiguratio multùm deservit, quia ex Transfiguratione magis apparet, quantùm honoris & beatitudinis Christus Dominus sibi detraxerit, ut pati posset: nisi enim splendorem illum retinuisset, ut corpus suum passibile redderet, sic semper & ubique fulgere poterat ut in monte Thabor. O quàm diversi sunt sensus Christi & hominum! conquirunt undiq; homines subsidia corpori ne patiatur; at Christus quam habet impassibilitatem suo denegat corpori, ut pati possit!

Sed cur eo præcipuè tempore, quo corpori debitam permittebat lætitiam & beatitudinem, de acerba morte sermo ingeritur? Cur tam lætis, tam tristia: tam iucundis tam ara nata immiscentur: Ut scilicet, *In die bonorũ non sit immemor malorum*; sicut in Cruce de Paradyso loquitur cum latrone, *ne in die malorum sit immemor bonorum*. O præclarum documentum ad æqualitatem animi in tanta rerum varietate conservandam! Non egebat quidem Christus hac cautione, ut se in ea cõtineret, cùm non esset mutabilitati & inconstantiæ subjectus sicut cæteri homines; sed cùm esset nostrum Exemplar, sic nos efformare voluit, ut à bonis & malis eventibus caveremus. Non est autem aptior cavendi modus, quàm si in die bonorum non simus immemores malorum; nec in die malorum obliviscamur bona. Neque ad hanc memoriam excitandam videtur aliquid fore opportunius, quàm si id plenè persuasum habuerimus, quod hic proponitur, diem bonorum non esse alioquin bonam diem, nisi simul mala memorentur: aut diem malorum non esse malam, si bona pariter memorentur.

Luc. 23.

Sic autem facilè persuadetur Christiano, qui nihil in bonis aut malis ducere debet, quàm quod in profectũ animi vel defectũ cadit; seu quod idem est, nihil bonum homini, nisi quo verè bonus & beatus est: nihil verè malum, nisi quo malus & miser efficitur in omnem æternitatem: Hoc est enim unũ necessarium, cui quantùm prosunt aut obsunt cætera, tantùm verè bona vel mala sunt. *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem perdat, & detrimentum sui faciat? HÆC omnia sanctis in bona*, inquit Sapiens, *sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur*. Cui conformiter Apostolus, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*; quasi dicerent; In tantum quælibet bona vel mala sunt, in quãtum his homo bene vel malè utitur; In quantum bonus vel malus ex eorum usu efficitur. O si hac horâ, si hac consideratione bene utereris, quàm tibi bona esset!

Luc. 9.
Ecclesi. 39
Titi 1.

II. PUNCTUM.

SED non aliter dies in profectum tuum spiritualem aut defectum cadet, quam si in die bonorum memores mala, aut in die malorum memores bona.

Tria hic distinctè revolvenda: Primum est, diem bonam sive bonorum dici, quando eveniunt, quæ prospera dicuntur, diem autem malam aut malorum, quando quæ adversa putantur, incidunt. Secundò tunc esse profectum spiritualem, quando animus in prosperis aut adversis se ita continet, ut neque nimis exultet & efferatur, nec nimis se abiiciat & deprimatur; sed æquâ lance omnia perpendendo, unum in omnibus spectet Deum. E contrà verò tunc esse defectum, quando in alterutrum horum extremorum animus rapitur. *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea.* 1. Mach. 6

Tertiò denique non aliter meliùs animum contineri in prosperis aut adversis, quàm recordatione contrariorum: Sic enim continetur, ne se totum dedat lætitiæ vel tristitiæ, quod est unicum medium evitandi excessus, & peccati cujuslibet in alterutro fortunæ flãtis aut reflantis statu; Quod fusè & egregiè functus Gregorius docet, in illa verba Job, *qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* Iob. 28. l. 19. Mor. c. 5. & 6.

Sicut enim propterea excedit animus gaudendo vel mœrendo, quia in occasione gaudij vel mœroris totum se abiicit in illos affectus inordinatos, nullamque aliam suscipit cogitationem, quàm eis conformem & agnatam, sic planè si revocetur ab illo æstu & impetu, in quem se totum rapi sinit, remedium malo afferetur. Revocatur autem per memoriam & repræsentationem bonorum in die malorum, ut è contra: sic enim animus inordinatus diversa cogitando dividitur, & divisus facillimè temperatur, ad eamque moderationem redit, in qua virtus est posita. Quis enim quantumvis lætus & gaudens, si extre-

ma

nda vitæ recogitet, si mortem, si judicium, nõ illicò lætitiæ modum ponat ? quis animo mœrens & abjectus aliquam mœroris sui partem futuræ Beatitudinis recordatione non sẽtiat evanescere vel mitigari ? *Mement*, inquit Idem Sapiens, *paupertatis in die abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum.* Itáne meministi ? *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* O tùm infausta, & infrugifera recordatio, sed modò utilis & opportuna!

Eccles. 18

Luc. 16.

III. PUNCTUM.

IN *die igitur bona nisi memores mala, non erit dies bona: & in die mala, si memores bona, non erit dies mala*; Quia videlicet non est bona nec mala dies, nisi cùm inde boni aut mali sumus, nisi cùm inde meliores aut peiores evadimus: Vix autem possumus esse meliores in die bonorum, nisi adversa memoremus, quibus animus à nimia effusione contineatur, & in virtute subsistat: neque etiam peiores in die malorum, si bona quædam & prospera revocentur in mentem, quibus ipsa mens sustẽtetur, nein extremam ruat tristitiam, & inordinatos alios motus; ac proinde sicut iam supra visum est, sic utrumque semper est temperandum, ut nec pura prosperitas, nec mera obversetur adversitas.

Videte itaque, inquit Apostolus, *quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sũt, propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*; quasi dicat, in hoc apparebit Sapiens ab Insapiẽte, si cautè & prudenter ambulet: tunc verò cautè ambulare censebitur, si ex quotidianis eventibus proficiat, cùm alioquin dies mali sint, nisi sic prosint, ac denique ut sic fructuosè proficiat, attendat necesse est ad divinam Providentiam & voluntatem, quæ sic spectari debet in adversis & in prosperis, ut adversa omnia velimus, quia sic Deus illa vult, nec ulla velimus prospera, nisi quia sic ille vult. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus.* Sicque vicissim sentiendum & dicendum: si mala suscepimus de manu Dei, bona quare non suscipiamus? Ubi tamen adverte, quod quantò facilius est de bonis dicere, quod ea de manu Dei suscipimus, tantò difficilius est id verè sentire: Cum enim naturali affectu erga bona propendeamus, vix illum affectum ita purgamus ut non magis bona diligamus, quia nobis bona sunt, quàm quia Deus illa vult. Quamobrem in id præcipuè vigilandũ: *sicut Domino placuit, ita factum est. SICVT fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Vide in 1. parte diẽ 9. 10. 11. & 12. Januarij.

Iob 2.

Iob. 1. 1. Macch. 3

Si quid porro desideres amplius huic universim confirmandæ Veritati, recole historiã, quæ à Taulero refertur de homine mendico, cui cum Theologus quidam præcaretur prosperum diem, respondit se nullam unquam adversam habuisse, cum à Deo cuncta se accipere semper cogitaret: qua de re fusissimum inter eos habitum est colloquium. Refert & Cornelius à lapide in caput 12. ad Romanos.

Videri etiam potest Dominica 4. post Pentecosten in 3. parte, Ubi hæc habetur Veritas.

Nisi te humilies in prosperis, prospera te humiliabunt.

HAC HEBDOMADE, Quidquid in Olivarum horto, dum capitur à Judæis Dominus, gestum aut dictum fuit, recensetur.

FERIA SECVNDA.

DISCIPVLIS A SOMNO Excitatis, appropinquantem Passionis horam & traditorem Christus denuntiat.

Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Si dum adest occasio, virtus abest: vix unquam virtus aderit.

SENSVS est, quod Vix ulla securitas virtutis unquam exercendæ, nisi dum se offert occasio, exerceatur.

RATIO est, quia non est securitas virtutis exercendæ, nisi exerceatur, quando vult Deus.

Sed nisi semper exerceatur, quando sese offert occasio, vix dici poterit, quod unquam exerceatur, quando velit Deus.

Ergo nec est securitas virtutis unquam exercendæ, nisi dum se offert occasio, exerceatur.

I. PUNCTUM.

DUm internos illos dolores, de quibus dictum est, patiebatur animo Christus, Iudæi, duce Iuda proditore, parabant illi externos, quibus ejus cruciarent corpus. En Conscripti milites, & turba ex omni hominum genere conflata, jam jam in montem atque ipsum hortum, ubi orabat Domi-
Matt. 26. nus, ad ipsum capiendum armata venit. *Ecce*, inquit Evangelista, *ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit eis signum dicens, quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.*

Proh qualis discipulus! qualis sermocinatio! qualis exercitus contra Dominum exercituum? Hos omnes Christus videbat adventantes, audiebat colloquentes, & sentiebat intestinis odiis in se furentes. Quamobrem iterum adit discipulos etiam nunc dormientes; quibus excitatis, *Ecce*, inquit, *appropinquavit hora*;
Luc. 4. Ioan. 7. quasi diceret, jam non est retrocedendum, jam non est locus miraculis illis, quibus per medios hostes & milites tutus incedebam, aut quibus ipsi ad me capiendum missi, re infecta discedebant, quia nondum venerat hora mea, sed ecce jam modò venit, modò capiendus sum, modò tradendus sum: ecce appropinquavit qui me tradet.

Aptissimus certè ad virtutem exercendam stimulus, ut cum sese offert occasio, nunquã recusetur. Tunc enim natura depravata solet refugere vel cunctari, & conquirere rationes differendi bonum opus. Sed contrà, hoc stimulo acuatur; *Aut nunquam exercenda est Virtus, aut modo est exercenda.* Vix enim bona mens in id consentiet, ut nunquam virtutem exerceat, unde si persuasum id habet, aut modò, aut nunquam: certè cum gratia stimulabitur.

Ratio autem, quæ id persuadet, hæc est, quod si quæ sit securitas & certitudo in hac vita, virtutis exercitæ vel exercendæ, in eo maximè est, ut intelligatur ita tunc Deũ velle à nobis: nam sicut quando cognoscitur ejus Voluntas, tunc certus quivis esse potest, quod sit tempus virtutis exercendæ: sic nisi cognoscatur ejus voluntas, dubitare quivis potest utrum eam exercere debeat, utrum quod agit, sit vera virtus aut ficta, ex amore proprio vel aliquo humano motu aut etiam diabolico inducatur. Quantæ enim sunt hujus infensissimi hostis circumventiones? quæ certè eo pejores sunt, quo tectiores & magis occultæ; eo verò magis occultæ, quo prætextum pietatis & virtutis præ se ferunt, unde Apostolus, 2. Cor. 2. *Vt non circumveniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius.*

Hinc ergo manifestè sequitur, tantam fore securitatem veræ virtutis exercitæ, quanta fuerit certitudo divinæ voluntatis pro ea exercenda. *Non enim omnis affectio*, ut ait optimè L. 3. c. 11. Gerson, *quæ videtur bona, statim est sequenda, sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda.* Vide integrum caput, ubi hæc inter alia Dominus à se discenda monet, *ut desiderium tuum*, inquit, *ponas totaliter secundum beneplacitum meum, & tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator.* Quid respondes?

II. PUNCTUM.

SED nisi semper exerceatur virtus, quando sese offert occasio, vix dici poterit, quod unquam exerceatur, quando velit Deus.

Dic enim, quandò nam putas, illam exercebis? cum tibi scilicet placuerit? at credisne tum ita placiturũ Deo? Non veretis, ne quod ex electione tua est, id ex amore proprio sit, cùm præcipuè neglexeris, quod certò sciebas ex voluntate seu Providentia Dei esse? Non veretis, quod ait sanctus Bernardus, *grande malum voluntas propria, qua fit, ut bona tua tibi in Cantica bona non sint?* Si tibi à Superiore vel Directore

Serm. 71. in Cant.

res

res aliqua consulta esset, tu verò, illâ neglectâ vel posthabitâ, nonnihil aliud agitares ex ductu tuo, nonne tibi suspectus esset ille ductus tuus, quem sic præferres Directoris judicio? Cur porro non idem judicas de iis virtutum actibus, quos exercere te putas ex electione tua, si illos compares cum exercendis in occasione, ubi se Deus manifestè indicat, & ubi à te toties quodammodo posthabetur, quoties occasione neglecta remittis exercitium in aliud tempus, quod tibi videbitur opportunius?

¶ Sed quis tum promisit gratiam? cum potius nihil in Scripturis crebrius repetatur quam si negligatur occasio & tēpus, jactura fiat gratiæ, quæ se se cum occasione præsenti offere-
1. Cor. 6. bat? *Adjuvantes exhortamur*, inquit Apostо-
Is. 49. lus, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce*
Videttiã Hebr. 3. *nunc dies salutis*; Et licet alia similis posset occurrere occasio: hoc ipsum tamen, quod differs & quod præsens, futuro præfers ex arbitrio tuo magis quam ex nutu Dei, nonne indicat te magis velle facere voluntatem tuam
Prov. 3. quam divinam? Quod si vetat Sapiens, *Ne dicas amico tuo, vade & revertere, cras dabo tibi cum statim possis dare*; quanto magis id vetitum, ne sic cum Deo agas? Velle sne sic tecum Deus ageret, quando in necessitate tua rogas illum, ut in adjutorium tuum intendat, ut festinet, ut ne tardet? O te inconsultum! vis Deum tibi statim adesse cum illum rogas, & cum te ille rogat seu cum tibi adest, tu illum
Zacch. 7. differs & repellis! *Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas*
Item. 2. *aggravaverunt, ne audirent. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent, surge & libera nos.* Potestne aliquid iniquius cogitari?

III. PUNCTUM.

Si dum ergo adest virtutis occasio, virtus abest, vix unquam aderit, vix unquam certò virtutem exercebis; cum in una Dei voluntate sit posita certitudo, qualis quidem in hac haberi vita potest, neque aliud divinæ voluntatis indicium sit clarius, quàm dum se se offert virtutis occasio; Quidquid de futuro tibi promittis, nimis incertum est, ut tibi figas virtutem; nam præterquam quod neque diem neque gratiam tibi certò polliceri potes, de ipsa tua etiam voluntate, si quid tibi promittis, præsumptio est potius & virtutis quædã simulatio, quam bona voluntas; si enim esset bona voluntas, esset conformis divinæ, esset efficax & cooperatrix gratiæ, quæ se se offert, unde illud Prophetæ: *Date Domino Deo vestro* Ier. 15. *gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.* Formidanda sanè verba.

Et certè qui modo differt in aliud tempus, æquè proferet illud tempus in aliud atque aliud sine modo, sicut jam differt; qua enim difficultate, si quæ talis est, modò impeditur, eâdem & retardabitur semper, imò & graviori ut supra ostensum est; aut si quæ alias ratio appareat virtutis exercendæ, cum non sit melior neque nobilior, quàm quæ ex divina voluntate petitur, *Quid adhuc quæritur*, inquit Rom. 9. Apostolus? *voluntati enim ejus quis resistit?* quis nisi fatuus, arrogans, impius? Sic itaque semper in occursu virtutis: *Ecce nunc hora*, aut modo aut nunquam. Itane verò nunquam virtutem exerceam? ergo modò. Et jam modò vide quid occurrat; atque hoc ipsum propositum virtutis cujuslibet sic deinceps exercendæ, firmiter statue in Domino; *Iuravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Certa est alioquin Veritas: Ps. 118.

Quo longius differs, difficultatem difficilius tolles.

Vide in 1. parte, Feria 2. hebdomadæ.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, In peccato vestro moriemini. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Illa mundanis præcipuè formidanda sententia: *In peccato vestro moriemini.*

In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ decimæ nonæ, & ubicunque de Mundo, de rara pœnitentia, & de paucis salvandis.

FERIA TERTIA.

SVAVITAS ET MANSVETVDO Dòmini IESU, proditorem suum alloquentis.

Amice, ad quid venisti? Matth. 26.
Iudæ, osculo filium hominis tradis! Luc. 22.

VERITAS PRACTICA.

Quò quis est mitior, eò est generosior.

RATIO EST, Quia quò quis est magis compos & sui potens, eò est generosior.
Sed quò quis est mitior, est magis sui potens.
Ergò & generosior, quod tamen vix crederetur.

I. PUNCTUM.

NUnquam defuerunt Christo Domino Inimici, neque his unquam defuit mala voluntas ejus perdendi; sed ad hanc usque horam nullus fuerat ausus Eum tangere, quia videlicet, *nondum venerat hora eius*; At ecce modò nunc hora, ecce primus omnium Judas simulato amici osculo non veretur eum infami ore contingere, & faciem illam tremendam Angelis attrectare scelestis suis labiis! Paucis hæc Evangelistæ, sed emphaticis Verbis. *Et qui vocabatur Iudas, unus de duodecim antecedebat eos; & confestim accedens ad Iesum, dixit, Ave Rabbi, & osculatus est eum.*

Ioan. 7.

Luc. 22. Matt. 26.

Credibile est, ad hos amplexus cohorruisse sacrum Christi Domini corpus; & ad hanc primam plagam, sanctissimum eius vultum sic erubuisse, ut licet non fuerit admodū violenta plaga, fuerit tamen valde sensibilis Illi, qui pectus amarulentum osculantis cernebat, & in medio pectore Sátanam inhabitantem, atque in se per discipulum suum irruentem. Sic enim dictum est, *quod introivit in eum Satanas.* Mirum, quin terra de hiscens absorbuerit hominem, aut cœlum fulgurans non consumpserit! sed erat nobis edendum suavitatis & generositatis exemplum! Admirare, Audi, Vide quâ gratiâ, qua benignitate, quibus verbis injuriam Christus ulciscitur; *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* Hoc erat verbum omni telo acutius, *hic sermo penetrabilior omni gladio ancipiti*, ad proditoris pectus confodiendum & conscientiam sceleris excitandam, nisi contra obduruisset.

Hebr. 4.

Vide enim & expēde, ut proponit illi quæstionem, *Ad quid venisti*, cui erubescat respōdere, & pudore confusus redeat in animum & resipiscat; sic enim respondere debuisset, *Venio te traditurus*, quod certè si cogitasset & attendisset, tum forte salubrius eum pœnituisset quàm postea. Tùm verò compellans Christus Traditorem proprio nomine, addit; *Iuda, osculo filium hominis tradis!* Quasi ipse Dominus responderet suæ quæstioni, quasi diceret, quod ille miser non audebat; Ad hoc scilicet tu venisti, ut me tradas! Sed attende quid facias! Nonne vel hoc infame Traditoris nomen te commovet: Tu Iuda traditor! tu ex Discipulo meo, satelles Satanæ! ex Apostolo Apostata, ex primis omnium nimis honorandis amicis, execrabilis omnium, qui extiterint, hominum! Hoc expende Iuda, redi in te ipsum, ad quid venisti! si data est & accepta pecunia, ut me venderes, en me tuum; habes quem quæris; sed cum ego te, jam cariore pretio velim redimere, ne teipsum perdas; Redi ad me redimendus, sicut ego me ipsum

sum tibi sino vendendum. De me nihil queror, nihil satago; moriendum mihi, sed cùm tibi mea morte vitam & salutem restituam, vide ne te perdas hoc ipso tempore, quo te atque omnes homines salvos volo.

Hæc & alia recogitans, videnùm hic aliquando tecum suaviter & fortiter ad resipiscẽdum Christus egerit? Vide quæ tuæ fuerint simulatæ Confessiones, quæ ficta oscula in Communionibus; quanta Christi benignitas, qualis tua in adversarios, & in adversis; quanta vis & fortitudo mansuetudinis; quantum addat ad generositatem, si modò ex virtute, nõ ex naturali quadam indole proficiscatur, quàm illud denique verum sit, *Quò quis est mitior, eo est generosior*, seu fortior & constantior in adversis vel sustinendis vel aggrediendis. Nam id cõstat apud omnes, unumquemque eò esse generosiorem, quò est magis sui compos & potens animi. Nemo enim lædi-
In 1. part. tu. Dom. 4. post Epiph. tur nisi à seipso: neque aliter seipsum quis lædit, ut suprà visum est, nisi quia se animo turbari sinit, & tùm velut amisso rationis clavo, quacunque eum ferunt & voluunt adversi turbines, miserè rapitur: animus verò sibi præsens & sui potens adversa quodammodo cicurat, & iis ad nutum utitur velut cicuris
Ep. 86. animantibus. Sic de suo Sapiente Seneca, *Certi sunt domitores ferarum, qui sævissima animalia cogant pati sub jugum, nec asperitatem excussisse contenti, usque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat; osculatur tygrim suus custos. Elephantem æthiops jubet subsidere in genua. Sic sapiens est artifex domandi mala, dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, ubique horrenda, cùm ad hunc pervenere, mansueta sunt.*

At quantò magis hæc vera sunt de vero Sa-
Luc. 12. piente, qualis esse debet omnis Christianus, & qualem instruit Christus Dominus in cujus paucis verbis ad amicos suos plus est ne terreantur, quam in cunctis inimicis ne ipsos terreant: *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus: & post hæc non habent amplius, quid faciant.* Vide in 3. parte, Feria 6. hebdomadæ 10.

II. PUNCTUM.

SED quò quis est mitior, eò magis est sui potens.

Sic enim Sancti omnes Patres mansuetudinem definiunt, quæ perturbationes animi sedet, & animũ sibi conservet, hæc est patien- *Luc. 21.*
tia, in qua anima possidetur, hæc est terra quã *Matth. 5.*
possident mites, animum scilicet & corpus, quod nunc est terra mortuorũ, ut ait sanctus Chrysostomus, tunc autem terra vivorum. *Mansueti vel mites sunt*, inquit Clemens Ale- *4. Strom.*
xandrinus, *qui infidam, quæ est in anima, pugnã sedaverunt iræ, & cupiditatis, & eorum quæ sub eas cadunt.* Sic vc. ò sanctus Basilius: *qui sedatis* *In Ps. 33.*
sunt & compositis moribus, nempe ab omni affectu vitioso libori, adeo ut nullũ in animabus suis perturbationi reliquerint locum, hi demum mãsueti appellantur. Sanctus denique Ambrosius, *Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non sævitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat?* hoc videlicet est, quod Christus Dominus vult à se disci, cùm dixit, *discite à me, quia mitis sum* *Matt. 11.*
& humilis corde; id est, sedationem animi, & eo maximè tempore exercendam & demonstrandam, quo periculum est præsentius iræ & perturbationis. Qualis tùm animus tuus? non enim ex sensu, quem modò habes, sic de mansuetudine tua judicare debes, sed ex statu & compositione animi, quam sentis in adversis, prout ei consentis vel resistis. Hinc aptè Sapiens: *secundum ligna sylvæ sic ignis exar-* *Eccles. 28.*
descit, & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundum substantiã suam exaltabit iram suam. Id est, quantum uniuscujusque interest in re aliqua, tantùm propterea commovetur; aut certè tùm indicat se tranquillum esse & sedatum, quando non commovetur, cum sua multùm interesse videt.

III. PUNCTUM.

QUO quis ergo est mitior, eò & generosior, cum sit magis sui potens & præsens, in qua animi præsentia & potentia tota vis generositatis est sita. *Locum tuum ne dimiseris*, in-
quit Sapiens; *Locus tuus est Ratio*, inquit san- *Eccl. 10.*
ctus Ambrosius. Atque hic vide, quam longè fallantur ii, qui sibi nomen fortitudinis arrogant, cum iræ & vindictæ cedunt; nihil illis est imbecillius; sicut ebrium, dormientem, aut impotem rationis vel levissimo dejicias ictu; sic illos perturbatos, casus vel levissimus adversitatis abjiciat. Stat verò contra gravissimos quosque turbines, immobilis & imperturbatus Mitis, quia nihil est mali

in ad-

in adverſis niſi perturbatio, qua inde animus agitatur, & qua mitis ſe liberat, dum ſe tam mitem præſtat in occurſu adverſitatũ, quam ſe præſtandum novit in meditatione vel lectione, dum ſe ad illas comparat. *Paratus ſum* Pſ. 118. *& non ſum turbatus. QVASI leo confidens abſque* Prov. 28. *terrore erit.* Quid Moyſe mitius, de quo Scriptura refert, quod *erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in* Num. 12. *terra*? Et quis eo generoſior, qui annos quadraginta totos, duxit exercitum pluſquam ſexcentorum millium, per maria, per deſerta, per invia, per quidquid horrorem poteſt incutere, & cum etiam *centum & viginti annorum eſſet, quando mortuus eſt: non caligavit* Deut. 34. *oculus eius, nec dentes illius moti ſunt*, Quæ Scripturæ Verba nõ tantum referas ad firmam corporis ejus valetudinem, ſed ad conſtantem ejus animi moderationem & æquitatem, quam nulla unquam iræ caligo infuſcavit, nec acerbior inflexit oratio.

Sic de Davide, qui ſuam ſatis apertam facit manſuetudinem, cùm ait Domino: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis eius.* At fuitne quiſquam cum illo comparandus in animi fortitudine, generoſoque pectore? Sic præclarè ſanctus Auguſtinus in ejus In Pſ. 131. perſona Chriſtum & cunctos Chriſtianos demonſtrat manſuetudine ſuos omnes adverſarios debellare, & vincere: *David*, inquit, *interpretatur manu fortis, Erat enim magnus belligerator, præſumens quidem de Domino Deo ſuo. Confecit bella omnia, proſtravit omnes inimicos ſuos, Deo ſe adjuvante, quemadmodum ſe habebat illius imperii diſpenſatio, præfigurans tamen fortem manu quendam ad debellandum inimicos, diabolum & angelos ejus. Hos autem inimicos Eccleſia debellat. Et quomodo debellat? Manſuetudine. Manſuetudine enim ipſe Rex noſter vicit d abolum. Sæviebat ille, Iſte ſufferebat. Victus eſt qui ſæviebat, vicit qui ſufferebat. In iſta manſuetudine Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, vincit inimicos.*

Hoc eſt igitur omni modo enitendum; *Omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*, inquit Apoſtolus. Et acutè Sapiens, *Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos; & lingua Eucharis in bono homine abun-* Tit. 3. Eccleſ. 6. *dat.* Ex interno quidem animi ſtatu lingua ſeu verba componuntur, ſed quãdo vel commotus eſſet animus, ſi dulce poſſit proferri verbum, quod certè poteſt cum gratia, valet vel plurimum ad ipſum animi ſtatum tranquillandum. Magis autem in noſtra poteſtate eſt linguæ uſus quàm primus animi motus; unde qui linguæ temperandæ invigilat, ſibi toti ſervit; *Qui cuſtodit os ſuum & linguam* Prov. 21. *ſuam*, inquit Sapiens, *cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Sanctus item Iacobus aptiſſimè, *ſi* Iac. 3. *quis in verbo non offendit, perfectus eſt vir, poteſt etiam frano circumducere totum corpus; ſi autem equis frana in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naves cum magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit; ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat*: id eſt, magnas excitat turbas. 1. Theſſ. 4. *Operam detis, ut quieti ſitis.*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite.* Matth. 23.

VERITATES PRACTICÆ.

Aut nulla, aut tota eſt Charitas in agendis, ſicut Fides in credendis.

In 2. parte, Feria 4. hebdomadæ 4 poſt Paſcha.

Qui rationes inquirit Obedientiæ, rationem quærit ſuæ inobedientiæ.

In 2. parte, Feria 4. hebdomadæ infra octavam Aſcenſionis.

Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.

In hac 2. parte, Sabbato hebdom. 4. poſt Paſcha.

SECVNDVM opera verò eorum, nolite facere: Dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera gravia, &c.

Si non facis quod doceris, quia, qui hoc docent, non faciunt; tam falsò te excuſas, quam verè illi à Domino accuſantur.

In 4.

In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 27. ubi de his expresè verbis Domini.

OMNIA verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.

Gloriam Christi vertimus in ignominiam, si aliam à Christo quærimus gloriam.

In 3. parte, Feria 6. hebd. 2. Vide & quæ iam supra relata est, de Iustitia coram hominibus facta. In eadem 3. parte, Sabbato hebdomadæ 5.

AMANT primos recubitus in cœnis, &c.

Qui maior est vestrum, erit vester minister.

Quò quis superior est in ordine hominum, eò inferior est in Christi ordine.

Aut è contra.

Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

In hac 2. parte, Feria 4. hebdomadæ 4. Quadragesimæ.

QVI autem se exaltaverit humiliabitur, &c.

Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo dæmonis humiliabitur.

In hac 2. parte, Feria 4. Septuagesimæ. Vide autem in 4. parte, Dominica 16. congestas simul de hac materia Veritates.

FERIA QVARTA.

PROCEDIT IESVS OBVIAM Suis inimicis, eosque prosternit.

Vt dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Ioan. 18.

VERITAS PRACTICA.

Qui supra mortem est, infra se videt omnia.

Id est.

QVISQVIS paratus est mori, & pati, sic sibi mortem, & adversa quæque substernit, ut Christus Dominus.

RATIO est, quia tunc dicuntur adversa substerni vel subiici, quando illis superior animus minimè frangitur aut læditur.

Sed quisquis est ad illa paratus, hunc animum superiorem, infractum & illæsum habet.

Ergo & illa sibi substernit, ac proinde expedit maximopere unumquemque sic esse paratum.

I. PUNCTUM.

SIC sanctus Joannes inter alios Evangelistas, rei gestæ seriem subjicit: *Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à pontificibus & pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis. Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis, Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos, quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus; Dixi vobis quia ego sum; si ergo me quæritis, sinite hos abire; ut impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.*

Multa hic piè & fructuosè expendi possèt. Primò, quod illos interroget quorsum venerint? aut quem quærant? ut cum responderint se quæriere Jesum, tum Jesus se potius sinat & permittat capi, quàm se capiendum objiciat; Si enim peccarunt in eo capiendo & malè tractando, non inde est, quod Christus se dederit eis, sed quod ipsi ante, ut fatentur, eum perdendum quæsiverint: sic optimè sanctus Leo, *Admisit in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori.* Deinde ut cum etiam sacrum nomen Jesu pronuntiarent, aut illum loquentem audirent, à meditato facinore deterrerentur, sicut olim ministri à Judæis missi ad eum capiendum redierunt re infecta, dicentes

Sermo 10. de Pass.

Dan. 7. centes : *Nunquam locutus est homo sicut hic homo.* quapropter statim atque audierunt eum loquentem abierunt retrorsum projecti in terram, ut hoc miraculo territi, & operante intus gratia erigerentur ad agnitionem sceleris & ad spem veniæ. Hic verò rursus aptissimè sanctus Leo ; *Quid iam poterit maiestas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda* ? Voluit etiam Christus Dominus ex eorum elicere orè hanc confessionem, quod quærerent Jesum, Id est Salvatorem, quo nomine requisitus diceret *Ego sum*, ego ille sum Salvator, quem quæritis, & qui propterea me vobis trado.

Serm. 2. de Pass.

Denique sic generosè processit illis obviam, sicque eos potenter prostravit, ut nos doceret hanc illustrem Veritatem, *Quod quisquis supra mortem est, infra se videt omnia.* Quisquis paratus est mori & pati sicut Christus, sic mortem & adversa quæque sicut ille, sibi substernet & subjiciet. Quid enim est aliud inter adversa quævis infracto & illæso esse animo, nisi ipsa prosternere & nobis subjicere, ne illis subiiciamur ? Nam ut optimè notat sanctus Bernardus, sic dicitur mors devicta à Christo, *non quidem ut cogatur non adesse, sed non obesse.* Sicque Deus promittit suis, ut cum per ignes & alia pericula pertransibunt, se ita affuturum, ut non lædantur ; tametsi enim comburantur, tametsi doleant corpore, & moriantur, tamen quia eorum fides & animus minimè læditur, sic dicuntur superiores & victores : sicque omnes habent in cœlo palmas ; quod victi corpore vicerint animo, *& torti torquentibus fuerint fortiores*, ut ait sanctus Cyprianus. Videndum enim est, qua de re agatur, ut judicetur de victoria ; non hic autem agitur de robore corporis aut de bonorum conservatione, sed de constantia & fidelitate conservanda, quæ si in adversis retinetur, profectò adversa, Deo bene iuvante, subiiciuntur.

Is. 43.

Apoc. 7.

L. 2. Ep. 6.

O admirandam Christi potentiam, qui non tantum in se sed in suis, adversantia quæque prosternat ! Illa illâ potentia Christi, nostra est, si sicut ille, parati simus mori & pati. *Ille, qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.*

Ibid.

II. PUNCTUM.

SED quisquis paratus est mori vel pati, hunc animum habet superiorem, infractum, & illæsum ab omni casu.

Quia videlicet nihil quidquam animum nostrum lædit, nisi quod animo repugnanti adversatur, licet enim sit ex se adversum & repugnans naturæ, si tamen animus hanc adversitatem & repugnantiam libens volensq; suscipiat, non inde lædetur : sicut in voluntariis pœnitentiis & mortificationibus quotidie accidit. *Nihil est alicui pœna*, inquit sanctus Anselmus, *nisi quod est contra voluntatem.* Unde eleganter Salvianus, *Nulli ut opinor beatiores sunt, quam qui ex scientia sua atque ex voto agunt : humiles sunt religiosi, hoc volunt ; pauperes sunt, pauperie delectantur : sine ambitu sunt, ambitionem & honorem respuunt : lugent, lugere gestiunt : infirmi sunt, infirmitate lætantur.* Atqui paratus ad mortem animus & ad alia quævis sufferenda, sic ea volens lubensque suscipit, quando eveniunt, perinde ac si eligeret aut accerseret ; In eo enim est animi præparatio, ut quidquid evenire potest, expectet ; sicut servus absentem expectat Dominum, dicente ipse Domino ; *sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei.*

L. de Cin. Virg. c. 4.

Luc. 12.

Venit enim, ut ait sanctus Gregorius, *per aegritudinis molestias* & alia concomitantia incommoda, quæ paratus animus tam lubens suscipit, quàm verè ad illa est paratus.

Ignis, crux, bestia, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar ; aiebat sanctus Ignatius Martyr. Hoc est esse paratum : & hoc est esse illæsum & infractum. Itane tu ? Quid te terret ? Quid te retardat ?

III. PUNCTUM.

SIC ergo qui supra mortem est, infra se videt omnia. Et qui paratus est mori, & moriendo seu vivendo quælibet pati, tam verè dici potest substrata sibi habere, & subjecta quæcunque alios non ita paratos dejiciunt, quàm verè ab illis non frangetur nec lædetur ; Hoc expectabam, inquiet ; *Et Deus in medio eius non commovebitur.* Egregia est huius parati & illæsi

Ps. 45.

illæsi animi sub symbolo equi apud Jobum descriptio, & apud sanctum Gregorium interpretatio; *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem nec cedit gladio: ubi audierit buccinam, dicit Vah: procul odoratur bellum, exhortationem ducum & ululatum exercitus.*

Job. 39.

Ex multis autem, quæ sanctus habet Gregorius, & quæ jam supra retulimus, hæc alia rursum aptissima; *præliator Dei cum vim tentationis incumbere conspicit, utilitatem superna dispensationis considerans, ex ipsa validius adversitate confidit: cuius adversitatis certamina idcirco illum non superant, quia nunquam improvisa tentant. Procul odoratur bellum, id est, sicut flatu navium, sic provisione cogitationum nequitias latentes indagare. De quo odoratu Dominus recte in ecclesia sua laudibus dicit: nasus tuus sicut turris quæ est in libano. Quid per nasum nisi sanctorum provida discretio designatur? turris verò speculationis in altum ponitur, ut hostis veniens longè videatur. Hinc Abacuc, super custodiam meam stabo.*

Cant. 7.

Atque hinc vide, quantum ista valeat animi præparatio, quam tanta utilitas sequitur, qualis est illa constantia & infractum robur. Quid utilius quam nihil perdere ubi omnes pereunt, imò & lucrari eò abundantius, quo detrimenta videntur graviora; cum enim superantur adversa, non modò iactura cavetur & perditio, sed lucrum & emolumentum tale comparatur, ut inde merita nobiliora consurgant. *Vincenti dabo manna absconditum & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.*

Apoc. 2.

Et verò ad hanc præparationem duo imprimis juvant. Alterum, confidentia in Deo, à quo emanat illa fortitudo. *Ego ante te ibo,* inquit, *& glorioſos terræ humiliabo.* Tu verò illi: *susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.*

Is. 45. Ps. 58

Alterum, discussio quædam difficultatum, & earum præcipuè, quæ solent magis terrere, nam mera phantasmata sunt & timores nocturni. Timemus sæpe humiliari, ubi major est exaltatio; aut licet humiliatio accideret, timetur longè gravius malum quam revera sit, non tantum coram Deo, sed & coram hominibus. *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Contra verò imperterritus animus: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos?*

Ps. 13. Is. 50.

Et tu hos timeres? tu hos ignavus fugeres, quos tibi sicut sibi Christus subiecit, si eum illo velis, quod cum ipso potes!

In Deo meo transgrediar murum. NON *in me sed in Deo meo transgrediar murum, quem inter homines & cœlestem Ierusalem peccata erexerunt,* ait S. Augustinus.

Ps. 17.

Vide supra in hac parte, Feria 3. hebdomadæ Sexagesimæ: & Feria 6. eiusdem, cuius est hæc Veritas:

Quantum obest adversitas improvisa, tantū prævisa prodest.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Matre filiorum Zebedæi. Matth. 20.

Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo.

Sic petendus à Deo status, ut non quem quisque velit Deus donet; sed quem Deus donet, quisque velit.

In 4. parte, Feria 6. hebdomadæ 25. ubi expressè de hac materia.

Sicut à Domino quærendum est officium, ita in officio quærendus est Dominus.

In hac 2. parte, ubi de statibus in fine, 3. Consideratione. Vide etiam in Festo S. Matthiæ 24. Februarii.

Nescitis, quid petatis.

Qui eminentior est in illa, quæ dicitur eminens scientia, minus inter homines emineꝛe cupit.

In hac 2. parte, Feria 3. hebdomadæ Pentecostes.

POTESTIS bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei possumus.
Sicut possumus, sic debemus.

Id est.

Quâ ratione tenemus nos posse bibere Calicem Domini, eâdem tenemur bibere.
In 3. parte, in festo S. Iacobi, 25. Iulii.
Hic etiam apta est, quæ occurrit in proximè sequenti Feria. Vide & Dominicam 4. & consequentem hebdomadam.

NON sic inter vos, &c. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.

Quò quis est major, eò est humilior.
Se anteponit Christo, qui se omnibus non postponit.
Quàm benè de Christo humilis, tam malè meretur arrogans.
In 1. parte, Feria 6. Sabbato secundæ hebdomadæ Adventus, & Dominica 3. sequenti.

Exemplo suo Christus D. nos magis urget quàm Imperio.
In 1. parte, die 13. Ianuarii. Quò & aliæ passim de Humilitate referri possunt.

FERIA QVINTA.

GLADIO SE DEFENDI VETAT CHRISTVS, *cum sit paratus bibere Calicem sibi à Patre datum.*

DIXIT IESVS PETRO: *mitte gladium tuum in vaginam: Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum:* Ioan 18.

VERITAS PRACTICA.

Quo in cœlis Corona Gloriæ sumetur vultu, hoc in terra Calix sumendus est.

RATIO EST, Quia medium ex divina ordinatione constitutum ad aliquem finem, tali vultu, seu tam libenter accipiendum est, quàm ipse finis.
Sed Calix iste nobis datus, tale medium est ad illam cœlestem coronam.
Ergo tali vultu tamque libenter accipiendus est, quàm ipse locus in cœlo destinatus, & Corona capiti nostro imponenda. Quod certè est rarum & plurima dignum consideratione.

I. PUNCTUM.

QUos alii Evangelistæ non designant, Sanctus Ioannes apertè nominat, & eum, qui percussit, & qui percussus est; sic enim ait; *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen servo, Malchus. Dixit ergo Iesus Petro; Mitte gladium tuum in vaginam, CALICEM QVEM DEDIT MIHI PATER, NON BIBAM ILLVM?*

Est quidem Christi honor, si eum lædi vides, exemplo Petri defendendus, sed ordinatè, religiosè, *non in contentione & æmulatione. Huiusmodi instruite in spiritu lenitatis,* ait Apostolus. *Nondum autem erat perfectus Petrus,* inquit S. Ioannes Chrysostomus, *postea verò, verberatus humiliter feret.* Gal. 6.

Et verò attentius considera, cur Christus Dominus Passionem & mortem suam vocat Calicem sibi à Patre datum, & quem propterea libentissimè bibat; Hoc erat scilicet in more positum apud Iudæos, ut in suis conviviis, qui esset inter omnes convivantes honoratior, partem cæteris & mensuram potionis Maldon. tus hic.

sumen-

sumendæ præscriberet & porrigeret; unde in proverbium abiit, ut quæcunque sors sive casus adveniens, diceretur Calix, quasi pars constitutа & præscripta, *Dominus pars hæreditatis mea & calicis mei*, ait Psaltes. Quod frequentius usurpant scripturæ in designand sadversis, quæ à Deo unicuique eveniunt; Sic Prophetа Ieremias, *Accepi calicem de manu Domini.* Idemque paulo post: *Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent.* Sic ergo Christus Dominus more vulgari loquens, vocat calicem sibi à Patre datū, quidquid passurus est, sicut & suis jam ante dixerat: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Quia sic revera illud omne, quod erat passurus ita definitum & ordinatum erat à Patre, atque adeo ab ipsomet Christo, cujus erat una eademque cum Patre voluntas.

Psal. 15. Ier. 25. Ibid. 49. Matt. 20.

Atque illud est, quod spectabat maximè in toto vitæ ac passionis decursu, quodque à nobis vel præcipuè intelligi volebat, ut scilicet id omne, quod figuratum aut quoquo modo de se ordinatum esset, quàm perfectè adimpleret; ideoque adimpleret, quia sic esset ordinatum. Hic erat eius cibus, hoc scilicet alimento nutriebatur: *Vt faciam*, inquit, *voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.* Quod illustrissimum perfectionis exemplū quoties sese dabit occasio, singulari semper est observatione recolendum. Quam in rem plurimum facit Veritas hic proposita, si bene expendatur, sicut enim evidenter constat quanta jucunditate Locus ille beatitudinis à Deo nobis constitutus sit aliquando suscipiendus, si semel persuaderi possis tanta Calicem Domini, sive quemlibet Casum esse accipiendum, profectò erit, quo animus erigatur in adversis.

Ioan. 4.

Sic autem facile demonstratur; Nam medium ad finem aliquem à Deo prædestinatū sic suscipiēdum est, sicut ipse finis: Cum enim aliter nolit Deus illum finem nisi per tale medium, certè non potest desiderari finis, nisi simul acceptetur medium. Quod cum commune sit de quolibet fine, qui non aliter verè desideratur quam per sua certa media; quanto id magis verum de æterna beatitudine divinoque cultu, ubi rerum summa vertitur in una Dei voluntate adimplenda, id est in mediis, ab ipso ordinatis? Quis nisi stultus salutē sibi polliceretur sine Fide, sine Charitate, sine Baptismo, & aliis constitutis mediis, sine quibus nulla est salus? Nam ut ait sanctus Hilarius, *de nostro est beata æternitas promerenda, præstandumque est aliquid de proprio.* Quid potest autem esse aptius, quàm quod ipse Deus ordinarit? sic enim ratum fixumque est, *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* An tu contra posses, vel auderes?

L. 2. q. 8. a. 2.

In Matt. c. 7.

II. PUNCTUM.

SED calix iste seu quilibet casus adversus, tale medium est à Divina ordinatione præscriptum ad illam coronam seu ad illum locum beatitudinis obtinendum, & sic à Deo volitum sicut ipse locus beatus.

Sic enim particulatim intelligendum est, quod universim affirmat Apostolus: *patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Quo quidem nomine Voluntatis divinæ tam necessariò intelligendus est Calix seu adversus casus, quàm necessaria dicitur esse patientia, quæ non est necessaria nisi ad ferendos casus adversos.

Hebr. 10.

Et certè cum dictum fuerit adversitatem idcirço dici Calicem quasi mensuram, quia scilicet unicuique commensuratur & proportionatur: quæso te, à quo potest legitimè cōmensurari & proportionari nisi ab eo, qui suū unicuique gradum gloriæ & beatitudinis ordinavit? Nonne certo & determinato gradui gloriæ, certa sunt determinata media? At verò cujus est, hæc determinare media nisi illius, qui certos determinavit gloriæ gradus? *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius eius? QVONIAM ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*; Id est, sicut ab ipso pendet danda corona gloriæ, ita omnino dandus calix, ad illam gloriam promerendam; Ac proinde non est conquerendum & reluctandū in istis adversis casibus, quasi sint graviores & molestiores: nam ab illo sunt, qui coronam prædestinando, prædestinavit & adversitates, quibus corona fabricaretur; unde qui certamen detrectat, detrectat & coronam; *Non enim coronabitur nisi qui legitimè certaverit*, hoc est, quantum necesse est ad victoriam referendam. *Ecce venio*, ait, *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Tremenda sanè verba.

Rom. 11.

2. Tim. 2.

Apoc. 2.

III. PUNCTUM.

QVo igitur in cœlis corona vultu, hoc in terris Calix sumendus est, & tàm libenter accipiendus ille casus adversus, quàm ille locus beatus; Nam idem ab eodem Deo est ordinatus: & cùm in loco beato non tam locus quam ordinatio divina sit amanda, cumque hæc ordinatio æquè reperiatur in calice quàm in ipsa beatitudine, profectò sequitur æquè amandam esse, aut non amari talem beatitudinis locum & gradum propter Deum sic ordinantem, sed propter seipsum, quod est nefas cogitare de beatis & ad beatitudinem aspirantibus.

Iac. 1. *Beatus vir,* inquit sanctus Iacobus, *qui sufert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ; quam repromisit Deus diligentibus se.* Videsne probationem, quæ in sumendo libenter calice exhibetur, medium quoddam assignari ad coronam, & jam dici beatum qui suffert, quod ex illa sufferentiâ sit beandus seu beatificandus? Sic pluribus confirmari posset ex his, quæ habentur alibi de quadratis hic lapidibus ad supernam illam Ierusalem construendam. Sed sufficiat revoluere, quod piè simul & fusè Kempensis, Beatos omnes suo gloriæ gradu sive superiori, sive infimo sic esse contentos, ut una Dei voluntate maximè sint contenti & beati, adeo ut si ordinem Deus vellet invertere, ut infimi essent superiores, & superiores infimi, æquè illi descenderent, atque isti ascenderent, quia æqua est omnium voluntas divinæ voluntati planè conformis. Unde cum duo Angeli nescientes voluntatem Dei de mansione aut reditu Judæorum Babylone degentium, simul concertarent pro populo suo, postea verò, cũ illis est manifestata Dei voluntas, tam unanimiter acquieverunt, ut uterque habuerit, quod optabat, *quorum omnium,* inquit S Gregorius, *una victoria est, sui super se opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt.* L. 3. c. 38. Dan. 10. 17. Mor. 8

Quid quod aiunt multi Sancti, si optionem haberent beatitudinis possidendæ aut Calicis accipiendi, se præelecturos Calicem, sive ob plura patienda propter Deum, sive ob majorem & diuturniorem conformitatem cum Christo, sive ut ipse aiebat, *quia beatius est magis dare quam accipere;* Nec aliud Deo gratius dare possimus, quam animum Christo patienti conformem. Sat longa est æternitas beatitudini possidendæ; at brevior est vita sumendo Calici & tolerandæ Cruci. *Quò refertur tota hebdomada Passionis.* Vide & in festis de Inventione & Exaltatione Crucis. Act. 20.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de divite Epulone, & de mendico Lazaro Luc. 16.

VERITAS PRACTICA.

Inter multas, quæ ex singulis historiæ partibus possent erui, videtur hæc ad populum præcipuè perurgenda, quà quisque seriò, dum se in proposito videbit Exemplari, sibi prospiciat.

Quam detestantur omnes sortem Divitis Epulonis, eam pene omnes consectantur.

Ratio fundatur in his ad Divitem datis verbis, *Recordare quia recepisti bona in vita tua*: Hæc est eius sors, & hanc pene omnes consectantur.

In 4. parte, Feria 6. hebdomadæ 24. ubi declarandæ historiæ locus.

FERIA SEXTA.

SCRIPTVRAS ADIMPLENDAS, Verbo & exemplo docet Christus.

Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Matth. 26.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Si propter Scripturas sunt adversa toleranda, sunt libenter toleranda.

RATIO EST, Quia idcirco propter scripturas dicuntur adversa toleranda, quod à scripturis commendentur, tanquam necessaria ad salutem, & quod oporteat scripturas adimplere.

Sed non aliter scripturæ commendant adversa toleranda, nec aliter adimplentur, quam si libenter aut patienter tolerentur.

Ergo si propter scripturas sunt adversa toleranda, sunt libenter toleranda.

I. PUNCTUM.

DUm pergit Christus Dominus cum Petro agere de cohibendo vindictæ impetu, & de sua Passione minimè retardanda: *Converte*, inquit, *gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt: an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum: Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Ex quibus verbis, postrema hæc de Scripturis adimplendis, plurimum faciunt ad scopum hujus hebdomadæ, qui de comparanda generositate in occursu difficultatum præfixus est. Nam sicut de Christo, ita & de nobis scripturæ dicunt esse patiẽdum, si verò, quod dicunt de Christo ita fuerit adimplendum, ut ne unus quidem apex aut jota defuerit, quanto magis, quod de nobis dicunt, illud omnino est consummandum? Et verò quod præcipua consideratione dignum est: *Si propter scripturas sunt adversa toleranda, sunt libenter toleranda.*

Cur enim propter scripturas tolerentur, nisi quia sic scribuntur & sic dicuntur necessaria esse ad salutem, ut oporteat vel scripturas solvi, vel salutem perire, vel certè pati? Audi ut loquuntur in utroque testamento: *Hoc pro certò habet omnis, qui te colit, quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur. QVIA acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. OMNES, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. QVEM diligit Dominus, corripit. INigne probatur aurum & argentum homines verò receptibiles in camino humiliationis. REGNVM cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. QVONIAM per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. ET omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Tob. 3. Ibid. 12. Iudith. 6. Prov. 4 Eccles. 2. Matt. 11. Act. 14. 2. Tim. 3.

Propter hæc itaque & sexcenta similia scripturæ testimonia nemo non videt tam necessariò toleranda esse adversa, quam necessarium est scripturam non posse solvi, neque Deum mentiri. *Non potest solvi scriptura,* dicebat Christus Dominus, *quoniam sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati.* Nõne & crèdis sic de te scriptum esse, & te oportere pati?

Ioan. 10. Luc. 24.

II. PUNCTUM.

SED non aliter Scripturæ commendant adversa toleranda, neque aliter adimplentur, quàm si libenter & patienter tolerentur.

Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes. Sic cum Iacobo Paulus de se & nobis: *gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Ubi adverte tationem manifestam, cur scripturæ nõ aliter proponant adversa toleranda quàm patienter & libenter, quia scilicet ordinata sunt ad probationem sive ad exercitium virtutis & meriti; non esset autem virtus aut ratio ulla meriti, nisi illè esset volens lubensque animus; in hoc enim velut aurum in fornace, probi ab improbis discernuntur, quod probi libenter, alii non ita patiantur; sicque ut ait Sapientissima Iudith, *qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore & à serpentibus perierunt.*

Iac. 1. Rom. 5. Iudith. 8.

Longius abiret oratio, si quæ sunt in scripturis similia recenserem; Unus sit instar omnium Apostolus; *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatũ repugnantes, & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicès, fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert sè Deus, quis enim filius, quem non corripit Pater?*

Hebr. 12. Prov. 3. Apoc. 3.

quod

quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filii estis. O pavenda verba! ô amanda verè adversa, quo amore filius vult à patre amari, & amare patrem!

III. PUNCTUM.

SI propter Scripturas igitur sunt adversa toleranda, sunt libenter toleranda; cum non aliter commendentur, quàm ut libenter sufferantur, neque aliter Scripturæ impleantur, nisi id præcisè fiat, quod intendunt.

Vide autem rursum & admirare, quàm sint totæ Scripturæ in illa patientia seu lubenti tolerantia commendanda, cùm dicat Apostolus *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*; quasi diceret, idcirco, quæ scripta sunt de adversis, sunt scripta, ut patienter illa feramus: seu potius, quæcunque scripta sunt in Sacris Bibliis utriusque testamenti, sive in Genesi, sive in Exodo, in Levitico, in Numeris, in Deuteronomio: sive in libris Iosue, Iudicum, Regum, & aliis Historialibus; sive in Psalmis, in Proverbiis Salomonis, in Prophetis; sive in Evangelio, in Apostolorum Actis, & eorum Epistolis; quæcunque tandem Sacris illis in Paginis scripta sunt, eò omnia tendunt, ut patientiam in adversis doceant, & inde consolationem in iis tolerandis hauriamus, quod ea sectemur, quæ tantopere nobis commendantur.

Rom. 15.

Certè una vox Dei, unum Christi exemplum sufficiebat ad id persuadendum, sed tam multa simul conglobata & cumulata sunt, ut magis erubescerem post tam multa, te vix adhuc moveri ad libenter patiendum. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, nisi libenter?* hoc te urge & preme stimulo, donec ex his esse possis quibus verè dicatur: *Libenter sufferetis insipientes, cum sitis ipsi Sapientes.* 2. Cor. 11.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de parabola vineæ locatæ malis Agricolis, qui petenti Domino fructum negarunt.

VERITATES PRACTICÆ.

Quod te imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere.

Quantò minus puniri timet Infructuosus, tanto jam magis punitus est.

In 3. parte, in fine, ubi de votorum Renovatione.

VEREBVNTVR filium meum. Matt. 21.

Cum sit iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, non veretur filium Dei, qui peccare non veretur,

Quasi diceretur.

Is. 27. Non veretur Filium Dei, qui negat illi fructum quem requirit. Sed qui peccare non veretur, negat illi fructum quem requirit; Cùm ex propheta, iste sit omnis fructus, quem ab unoquoque requirit, ut auferatur peccatum eius. Ergo non veretur Filium Dei, qui peccare non veretur; quidquid tandem præ se ferat pietatis.

In 4. parte, Feria 4. hebdomadæ 27.

Quò etiam revocari posset hæc Veritas,

Sic Deus dilexit mundum, ut sic mundus diligeret Deum, sicut dilectus est.

In 1. parte, Feria 1. hebdomadæ 1. in Adventu.

MALOS malè perdet.

Malos quidem omnes perdet Deus, sed non malè omnes, nisi qui bene perdi nolint.

Tam porrò bonum est malis, bene perdi, quàm malè perdi malum est.

In 4. parte, suprà dicta Feria 4. hebdomadæ 27. ubi & hæc eòdem spectans habetur.

Tam facile est malis, in aliena se persona nosse, quàm in sua difficile.

SABBA-

SABBATO

SINIT SE CHRISTVS CAPI Et ligari.

Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum. Ioan. 18.

VERITAS PRACTICA,

Sicut ex necessitate virtus, ita ex virtute necessitas.

SENSVS & RATIO est, quia idcirco ex necessitate fit virtus, ne alioquin frustra & sine merito patiaris.

Sed nisi ex virtute fiat necessitas, sic frustra & sine merito patieris.

Ergo sicut ex necessitate virtus, ita ex virtute necessitas, prout in discursu declaratur.

I. PUNCTUM.

MIrum sanè, quod cum ita prostrati essent Judæi à Christo Domino, ut vidimus, ausi fuerint postea dum resurgendi potestatem habuerunt, in eum involare, eum comprehēdere, & ligare ut latronem, atque infandis modis divexare! Nonne ex illa sua prostratione debuerant revereri eum, cujus potestatem ita experiebantur ut nisi eo permittente se movere non possent? At ecce inde ferociores resurgunt, & quasi eos puderet sui casus, seu quasi acceptam injuriam ulcisci vellent, eò acrius in eum insiliunt, quò se ab eo dolent primo ſ. petu diutius revocatos. Sic videlicet abutuntur homines gratiis; *sic retribuunt mala pro bonis, & odium pro dilectione.* Ps. 108.

Interea verò dum sic ligatur Christus, Discipuli omnes eo relicto fugiunt: solus ille agnus inter lupos relinquitur, qui mansuetudinem ejus, infirmitatem interpretantes, tātùm in eum audent, quantùm illis permittit, tantum eis autem permittit, quantùm humana non tantum rabie sed & diabolico furore acti desævire possunt; *Tanquam ad latronem*, inquiebat illis, *existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Quasi diceret, non me ligaretis, nisi me ligari liberè vellem: sic autem liberè volo, quia hæc est hora patiendi, in qua liber in vinculis, & in libertate vinctus esse volo. Mat. 26. Luc. 22.

Admirandum certè exemplum, quo discimus, *sicut ex necessitate virtutem, sic ex virtute necessitatem facere.* Quemadmodum enim Christus in vinculis erat liber, ita liberi simus oportet, ut de necessitate fiat virtus. Et quemadmodum ille in libertate fuit vinctus & ligatus, ita nos ei quadammodo erimus similes, quando ex virtute fiet necessitas. Quod quomodo fiat, nunc est considerandū attentius. Et quia major esse potest difficultas intelligendi, quomodo ex virtute fiat necessitas, quàm quomodo ex necessitate virtus: idcirco unum ex alio deduci debet, & ex faciliori difficilius explanandum.

Age ergo, quid est, quod ex necessitate virtus fiat? Quando videlicet aliquid accidit cōtrarium & repugnans, non ex electione nostra, sed vel ex Divina Providentia, vel ex obligatione tui status, vel ex superiorum ordinatione, vel denique ex qualicunque necessitate, cui vel repugnare nefas sit, vel impossibile, vel difficillimum; Tunc si liberè & voluntariè talem casum acceptemus, & quidquid in eo abstinendum, vel sustinendum est, non minus generosè fiat, & cum ea virtute, quæ tunc requiritur, quam si ex electione nostra esset: tunc dicetur ex necessitate fieri virtus, propter liberam illam acceptationem. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Quod verò sic semper ex necessitate virtus fit facienda, hæc imprimis suadet ratio, quòd

cùm alioquin, velis nolis, talis sit sufferenda necessitas, certè id longè satius est velle, tùm propter tranquillitatem animi, quæ inde comparatur, tum ne frustra patiaris & sine merito. Si enim temporalium aliquam jacturam doles, nonne id magis dolendum, te in illa temporali jactura, jacturam facere spiritualis & æterni boni, quod consequi possis si velis? si posses ita redimere illam necessitatem, ut nihil temporale ex ea tibi periret, nonne id velles? At ecce majus aliquid tibi offertur occasio virtutis exercendæ: sic enim fiet, ut accedente spirituali emolumento repararetur in melius damnum illud temporale, quod accidit. Optanda fuisset & conquirenda talis occasio tanti boni spiritualis promerendi; at quanto magis acceptanda cum sese offert? Nihilne meriti apud Deum pro salute tua tibi vis comparare? At quandò nam opportunius, quàm quando minor est impensa & majus meritum? Hoc autem utrumque hic accidit, nam nihil à te petitur, nisi voluntaria damni temporalis, si quod acciderit, acceptatio: quid facilius? Meritum autem inde proveniens majus est, quam si ex sola tua electione & non ex necessitate virtus procederet.

Sic disertè sanctus Ioannes Chrysostomus: *Hom. 25. ad pop.* *si jacturam audientes non tumultuemur, sed dicamus, benedictus Deus, multo plures divitias inveniemus: non enim tantum lucrabitur, in pauperes divitias distribuens, & circumiens ut egenos inveniat, quantum ipse per hoc verbum lucrifaciet, unde & Iob magis miror;* Et quæ plura de hoc habet. Quæ cum ita sint ex communi cæterorum Patrum sententia, quis nisi stultus oblatam tam bene merendi occasionem non accipiat? cùm alioquin ut dictum est, velit nolit sit passurus sine ullo merito, nisi velit libenter pati: imò & cùm demerito & pœna consequente, si murmuret, si indignetur aut aliter impatientiam suam prodat; quod certè proclive est, nisi tunc animum ad patientiam aut aliam virtutem obfirmet cum gratia. Hinc illa sunt divina Sapientis Monita: *Prov. 14.* *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* *Ibid. 29.* Et rursum: *Qui impatiens est, sustinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet.* Id est, si per impatientiam aliquæ se damni parte putat eripere, sese in illud aut gravius damnum per summam impatientiæ vitium conjicit.

II. PUNCTUM.

SEd nisi ex virtute fiat necessitas; sic privaberis multo merito: sic frustra multum patieris.

Dicitur ex virtute fieri necessitas, quando talis occasio virtutis exercendæ adest, qualem jam diximus oriri ex illis diversis casibus, in quibus necessariò est patiendum: tunc enim sicut ex necessitate fit virtus, quia necessitas in virtutem vertitur: sic ex virtute fiet necessitas, quàdo sic semper illa Virtus exercebitur quasi necessariò illam deberes exercere, quasi non esses liber ad ejus actum & exercitium: quasi esset præceptum, quasi esset necessaria obligatio, sicut esse concipitur in evitando peccato. *Bonum æmulamini in bono semper*, inquit Apostolus; Cur porro ita semper? Quia videlicet si non ita semper & constanter in id evigiles, sæpe deficies, sæpe Virtus deerit, & ex consequenti meritum virtuti annexum; ac proinde sic multo privaberis merito, sic multum frustrà patieris. *Tanta passi estis sine causa: Ibid. 3. si tamen sine causa!* Sic deplorabat Apostolus, quasi diceret, tunc sine causa patimini cum sine merito, sed tamen non sine causa, quia tunc erat causa meriti, si virtutem exercere voluissetis: & hæc erat causa virtutis semper exercendæ, ne sine merito vos unquam pateremini, juxta illud, *Electi mei non laborabunt Is. 65. frustra.*

Non ita quidem semper obligamur ad bonum faciendum, sicut ad malum evitandum: quia non omne genus boni debemus aut possumus facere, sicut omne genus mali debemus & possumus cum Dei gratia evitare: sed tamen hoc sensu semper obligamur ad bonum, quatenus semper tenemur bene, quod facimus, facere, unde sicut nõ debemus otiari sed semper aliquid agere, ita bene semper agere; cùm alioquin nisi bene illud ageretur, quod ageres, vel otiosum esset, vel malum: sicque merito tuæ actionis privareris, si esset otiosa, vel pœnam incurreres, si mala esset. Quamobrem rectè inferebat Apostolus, *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* *1. Cor. 15.*

III. PUN-

III. PUNCTUM.

Sicut ergo ex necessitate Virtus, ita ex Virtute Necessitas; Cum non aliter efficacius persuadeatur ex necessitate virtus exercenda, quàm ne alioquin Deo gloria, & tibi meritum pereat; periret autem sæpissimè, nisi ex virtute esset necessitas, quo sensu dictum est; ac proinde utrumque ex æquo est amplectendum. *Necessitate subditi estote*, inquit Rom. 13. Apostolus, *non solum propter iram, sed etiam propter Conscientiam*, Id est, non solum propter metum alicujus impendentis pœnæ, quæ non semper vobis impendet, nec proinde vos semper urget ad virtutem: sed propter ipsam, quæ in vobis est, conscientiam, & quæ vos semper solicitos ac paratos habet ad omne Gal. 6. opus bonum, sicque *bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.*

Itane te sentis premi ad bonum? Itane te finis urgeri ad virtutem ex his quibuscunque casibus, qui tibi vel invito accidunt semper exercendam? Quam sæpe defleis, quàm parùm proficis, quam perperam omnia capis, volendo, quod non habes, & nolendo, quod offertur. Audi Epictetum, audi hominem Ethnicum: *Ne postules ea, quæ fiunt, ita fieri ut tu vis: sed si sapis, ita velis fieri ut fiunt, sic omnia secunda tibi accident.* Nihil Iste de Deo, nihil de Cœlo & Virtutis merito loquitur, & tamen ita loquitur; Tu verò qui credis Deum præsidere istis omnibus adversis casibus; tu qui probè scis Cœlo repositam esse virtutis mercedem; & qui tandem non ignoras, quantùm cœlestia sint humanis præferenda: tu nec tamen ut Ethnicus sapis & vivis! Ah qualis injuria Christo! quale probrum Christiano! *In Enchir.*

Adverte diligentius: *& omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe & in dolore sustine.* *Eccles. 2.*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium de filio prodigo. Luc. 15.

Quæ multa possent inde produci Veritates, ad hanc potissimùm referuntur.

Qui se à Christo subducit, ut fœlicius vivat, vivit misériùs ipso misero prodigo.

In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 24. Vbi de libertate & servitute Christi: necnon expressè de hac parabola.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

DE CHRISTO EIICIENTE DÆMONIVM, &c.

VERITATES PRACTICÆ.

ERAT *Iesus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11.

Obedientia Dæmonum nostræ est condemnatio Inobedientiæ.

In 3. parte, Feria 4. hebdomadæ 9.

In Beelzebuth Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.

Qui sibi Innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiæ injuriam facit.

In hac 2. parte, Feria 2. hebdom. 4. Quadragesimæ. Vide & in 1. parte, die 16. Ianuarii, ubi de injuriis non modò non inferendis, sed illatis sufferendis.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, &c.

Beati mites. Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur. Beati cum maledixerint vobis.

In 3. parte, in 4. hebdomada.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.

Multorum est Conscientia cauteriata & perversa, nisi se sinant dirigi.

In 1. parte, Feria 5. hebdomadæ 3. ubi quod de cauterio dicitur, de mala pace, & falsa quadam securitate Conscientiæ, quam procurat Dæmon in animis, quos possidet, intelligendū demonstratur.

Si autem fortior illo superveniens vicerit eū, &c.

Qua facilitate vincimur, eadem vincere possumus.

In 3. parte. Feriæ 5. hebdomadæ 7. Vbi de his Christi Domini verbis, & de nostræ per ipsum contra omnes Adversarios fortitudine.

Qui non est mecum, contra me est.

VERITATEM PRACTICAM.

VERBA illa continent valde stupendam & fructuosam, quæ cum nullibi declaretur, hic est modò apertius exponenda.

Quod difficillimè crederes, te contra Christum esse, hoc est facillimum creditu, si Christo credis.

RATIO est, quia ex Christi Domini verbis, facillimum creditu est, te contra Christum esse, si cum Christo non sis.

Sed est etiam facillimum creditu, te cum Christo non esse.

Ergo & adeò patet te contra ipsum esse: Quod tamen difficillimè crederes, adeo res est stupenda & expendenda.

I. PUNCTUM.

CUM Christus Dominus, ejecto ab humano corpore Dæmonio, diceret se tam facile ex animis hominum ejecturum hunc hostem, hoc dicebat sensu; dum scilicet vellent homines secum conspirare & concertare contra eundem Adversarium; Nam si alioquin contra non pugnarent cum ipso, nihil illis magis prodesset, quàm si ipse non certaret & vinceret, cùm ipsi fugatum hostem revocarent & se illi adjungerent. Quod ut apertius illis exponeret: *Qui non est mecum*, inquiebat, *contra me est.* Qui non pugnat mecum contra hunc communem

nem hostem, contra me pro illo pugnat. Qui non est mecum in hac pugna, contra me est. Non est autem ille mecum, qui vitæ operibus non consentit; qui non colligit omnes animæ suæ vires & facultates, ut se doctrinæ meæ conformet, dispergit & dissipat, quidquid loquor & operor: cumque nihil agat ex his, quæ doctrina & vita mea profiteor hoc ipso, quo non vita mecum consentit, dissentit; & quo non est mecum, contra me est.

O quanta cæcitas hominum, qui cum possint cum Christo Dæmonem expugnare, malunt cum Dæmone pugnare contra Christũ! O quàm multi tales non modo Judæi & Ethnici sed & ipsi Christiani! Tene ex his unum crederes, qui contra Christum pugnent pro Dæmone? *Difficillimè omnino crederes, & tamen hoc est tam facile creditu, quàm Christo Domino credes.* Audi & obstupesce.

Cùm enim Christus Dominus apertè dixerit, *Qui non est mecum, contra me est*: Nonne ex his verbis, quibus te credere profiteris, certissimum atque evidentissimum erit te contra Christum esse, si cum Christo non sis? Nã quod universim dictum est de omnibus, tam certum est particulatim de te dici, quàm verum est, te unum esse ex illis omnibus. Neque aliter te condemnandum putares, si non esses baptisatus, nec crederes, quam quia universim dictum est *qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Cur non igitur æquè tibi aut de te dictum crederes, quod ipse dixit, qui non est mecum, contra me est? An id putas verum de aliquo, qui cum Christo non sit? cur id verò non esset de te verum, si tam verè non sis cum Christo, quam ille alius, de quo dici fateris? Respõde, & fatere aut de nullo id esse verum, & te Christo id affirmanti non credere; aut si ipsi credis, id æquè de te verum, si cum Christo non es, quam de ullo mortalium. *Credis Rex Agrippa Prophetis?* aiebat Regi Paulus: *scio quia credis.* Quasi diceret, Cum Prophetæ de futuris tanquam de præsentibus pronuntiarint, nonne credis tam vera esse, quæ de uno tempore vel de una persona dixerunt, atque de aliis? Sic Sapiens, *Fides in sæculum stabit*: Id est, in hoc est vera fides, ut quod universim dictum est de omnibus sive personis sive temporibus, sic de singulis particulatim intelligatur & credatur.

Marci 16. v. 16.

Act. 26.

Eccles. 40

II. PUNCTUM.

SED est etiam evidentissimum & facillimum creditu te cum Christo non esse.

Quid est enim evidentius te cum Christo non esse, si judicio, si voluntate seu affectu, si vita & moribus ab illo dissentis? nam si, ut ait sanctus Ioannes, *qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare*, profectò qui judicio & affectu, qui vita & moribus ab illo dissentit, non potest dici ambulare sicut ille ambulavit, nec proinde cum ipso manere nec esse. *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis*, inquit Propheta?

1. Ioan 2.

Amos 3.

Iam verò, quod non minus sit evidens, te sic ab illo dissentire, ut dictum est, Vide quid dixerit, & revolue sacras Evangeliorum paginas à primo sermone ad ultimũ. Audi quid loquatur, *Beati pauperes, Beati qui nunc esuritis; Beati qui nunc fletis, Beati cum vos oderint homines, Væ vobis divitibus, Væ vobis qui ridetis nunc. Væ cum benedixerint vobis homines. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos: & qui te percutit in maxillam, præbe & alteram, & ab eo, qui aufert tibi vestimentum; etiam tunicam noli prohibere: omni autem potenti te tribue; & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.*

Luc. 6. Matth. 5.

Hoc est Christi de rebus judicium, hi sunt ejus affectus, hæc tota in terris peracta est vita, hi Christi & Christiani mores: unde hæc sunt egregia S. Augustini verba: *Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant, pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit. Carnalis sios magnum bonum putabant; tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur, quæ major injuria quàm justum innocentemque damnari? Dolores corporis exhorrebant; flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte multatus est. Ignobilissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vitia serit. Omnia, quæ vitare cupientes, à studio deviabamus veritatis perficiendo deseruit. Non enim ullum peccatum committi potest nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. Tota itaque una vita ejus in terris*

L. de vera Rel. c. 16.

per hominem, quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit,

Itane verò de rebus judicas? Itane his afficeris? Itane vivis & mores componis? An potius nonne aliter prorsus iudicas, prorsus afficeris, & aliter planè vivis? Quis sensus de paupertate & divitiis? de honore & contumelia? de bonis & malis hujus vitæ? utra eligeres si horum daretur optio? nonne id facillimum creditu, quod non mala eligeres sicut ille, ac proinde quid evidentius, quam te cum illo nõ esse, à quo ita dissentis judicio & affectu? *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. SI quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Gal. 5.

Rom. 8.

III. PUNCTUM.

QVOD *ergo difficillimè crederes, te contra Christum esse; hoc est facillimum creditu. si Christo credis*: Nam Christo affirmante, *qui non est mecum, contra me est*, quid sequitur, si hoc credis, nisi quod tam certum & evidens erit te Christum esse quàm clarè patebit te cũ Ipso non esse. Quàm verò id clarè pateat, te ipsum inspice, vide quantum à Christo dissẽtias: nam hoc est cum Christo non esse, sic ab eo discrepare & dissentire, sicut apparet in dictis & factis tuis per totum vitæ discursum. Nec aliter mundo Christus est contrarius, quàm propter hanc morum & vitæ dissimilitudinem. Sic illi Mundani profitentur, qui apud Sapientem clamant: *Contrarius est operibus nostris, dissimilis est aliis vita illius.* Quod & ipse Dominus satis apertè innuit dicens: *Mundus me odit, quoniam testimonium, perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.* Quamobrem sicut differri non potes te cum Christo non convenire nec esse; sic planè fateri necesse est te contra ipsum esse.

Sap. 2.

Ioan. 7.

Itane verò tu contra Christum! durus quidem sermo, sed fortior veritas, quæ à sermone non potest detrahi, quamdiu sic vives tam parum Christo similis. Sed quod horrendum magis est, sic contra Christum vivis, quia sic à Dæmone persuaderis vivere! sic te ab illo revocat per hanc vitæ dissimilitudinem, & in suas trahit partes, ut unà simul contra Christum pugnetis. O rem exectandam? te Christus ad se vocat contra Dæmonem pugnaturum: tu à Dæmone revocatus contra Christũ pro illo pugnas, expende hoc & audi S. Cyprianum, imò & Dæmonem, quem S. ille Doctor inducit sic propterea Christo convitiantem, quod te tuique similes suos fecerit: *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi nec flagella: nec quicquam magni do, sed falsa pollicitatione deludo, & potius ipsi mihi omnia sua tradunt. Tuos tales munerarios Christe demonstra præceptis tuis monitos*; Et quæ plura pergit, sed hęc sufficiant ad Veritatem confirmandam, & talem inde horrorem animi cõcitandum, Unde ad conciliandam eum Christo vitæ consensionem magis ac magis exardescas. *Sequar te quocunque ieris.*

Lib. de Eleem. & bonis oper.

Matth. 8.

Et verò cavendus lapsus & recidivum, ne quod ex dictis Domini supereſt in hodierno Evangelio, tibi contingat: *Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Qua de sententia, proponitur hæc Veritas:

Melius erat viã Justitiæ non introisse, quàm retroisse.

In hac 2. parte, Feria 5. hebdomadæ 4. post Pascha.

HAC HEBDOMADE, Considerantur quæcunque gesta sunt per totam noctem apud Pontifices, usque ad matutinum diei sequentis, quo Christus ad Pilatum est adductus; Ibi adnotantur aliquod inordinati motus cordis & linguæ, qui frequentiùs ex iniuriis concitantur, quas ab inimicis accipimus, & qui exemplo Christi Domini corriguntur.

FERIA

FERIA SECVNDA.

CHRISTVS ALAPAM INFLIgenti mira mansuetudine loquitur.

Vnus assistens ministrorum dedit Alapam IESV dicens, sic respondes Pontifici? Respondit ei IESVS si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis? Ioan. 18.

VERITAS PRACTICA.

Quantum fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas.

RATIO EST, quia idcirco fas est in ira loqui, ut Mansuetudo & Charitas conserventur.

Sed si ex ira loquereris, Mansuetudo & Charitas potius destruerentur, quod est nefas, quàm conservarentur.

Ergo quantum fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas, & cavendum.

II. PUNCTUM.

QUO magis progredimur in patientis Christi mysteriis, eo minus verborum & humani discursus videtur adhibendum, unt enim ex se tam ubera & copiosa sive ad intellectum illustraudum, sive ad voluntatem inflammandam, ut sola representatione rei gestæ sit opus. Sic ergo habet sacer Evangelista: *Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum.* Et paulò post: *Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius.* O quæ doctrina! ó quàm rari discipuli! quid censes de utrisque? *Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis, ecce hi sciunt, quæ dixerim ego.*

QVID ista responsione verius, mansuetius, iustius? ait sanctus Augustinus. Et tamen ó prodigium audaciæ! *Hæc autem cum dixisset: Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens, sic respondes Pontifici?* Hic siste anime, & hæc imprimis sancti Augustini verba expende, *Quid non potuisset per potentiam iubere, per quam factus est mundus, nisi nos docere maluisset patientiam, quâ vincitur mundus?* Tum verò respondit Jesus; *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?*

Tres possunt cogitari rationes, cur hic responderit, qui alias ita siluit ut omnes mirarentur. Prima est, ut diluat calumniam sibi factam de contempto Pontifice. Secunda, ut injustè percutientem moneat, & ad resipiscētiam excitet. Tertia, ut nos doceat aliud esse in ira, seu in injuriis acceptis aliquid loqui; & aliud ex ira loqui. *Quantum enim fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas,* Quod ut accuratius & ad praxim utilius expendatur, Ratio hæc ad exemplum Christi Domini adjungitur; Quod idcirco præcipuè fas est in ira loqui, ut Mansuetudo & Charitas conserventur: Mansuetudo quidem in eo, qui injuriam accipit, & Charitas erga eum, qui eam infert aut etiā ad aliorum ædificationem, qui præsentes interfunt. Ad hoc autem moderata confert loquela, quatenus sic temperatè loquendo animus distrahitur à cogitatione iniuriæ & vindictæ, quæ interdum silendo acuitur & inflammatur. Sic peius siluit Absalon contra fratrem suum Ammon, quàm si quid fortè locutus esset: nam ex mutuo colloquio se fraterna poterant mitigare corda, quæ ex silentio magis exasperata sunt; quod apertè Scriptura indicans; *Porro*, inquid, *non est locutus Absalon ad Ammon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalon Ammon.* Nempe vel ex odio siluit, vel ex silentio magis odit, quod utrumque perversi silentii aperta est nota. 2. Reg. 13.

Quod itaq; dicit Sapiēs; *Responsio mollis frāgit* Prov. 16. *Ibid.* 25.

git tram ; Et rursum, *lingua mollis confringet duritiam*, tam verè accipi potest de ipso qui loquitur, quam de aliis qui audiunt, nam sicut ex animo lingua, sic ex lingua formatur animus : si lingua mollis fuerit, emollescet loquentis animus ; si lingua dura, tum animus etiam induratur. Ad conservandam deniq; cum aliis Caritatem nemini dubium est
Eccles. 8. quod alius ait Sapiens: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos : & lingua Eucharis in bono homine abundat.* Quamobrem hæ virtutes, cùm loquendo potius quàm silendo demonstrentur, sic in ira loqui fas est, ut demonstrentur ad ædificationem proximi, & in animis dissidentium conserventur. Si tē-
Eccles. 2. pus tacendi est, est etiam tempus loquēdi; Tu forte neutrum observas, adverte.

II. PUNCTUM.

SED si ex ira loquereris, mansuetudo & Caritas potius destruerentur, quod est nefas, quàm conservarentur.

Hoc est enim utriusque discrimen loquelæ, ut qui in ira loquitur, sentiat quidem effervescētis motum sanguinis, sed rationi subjectum, unde nihil inordinatè agit nec loquitur, qualis ira in quovis homine atque in ipso
3. p. q. 15. a. 9. etiam Christo Domino esse potuit, ut expressè docet sanctus Thomas. Sed qui ex ira loquitur, iræ servit potius quam dominetur, nō solum sentit iræ motum, sed dominatum & imperium, quo statim turbatur ratio, & ratione turbata, sermones effunduntur incōditi & turbulenti, quibus illæ virtutes illico ruunt & destruuntur. *Ira non habet misericordiam*, in-
Prov. 17. quit Sapiens, *nec erumpens furor ; & impetum concitati ferre quis poterit?* Quam sit autem hoc
Eccle. 27. nefas, audi & contremisce : *Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum* ; Id est, qui peccatum non reformidat, erit illis obnoxius vitiis, quæ metu læsi numinis & offensæ conscientiæ, coercentur. Vide infrà in hac parte, Feria 3. hebdomadæ 3. post Pascha : unde quæcunque hic & in sequentibus de ira dicuntur, multum illustrari possunt.

III. PUNCTUM.

QUANTUM ergo fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas : Quia, quæ virtutes ex uno conservantur, destruuntur ex alio, sicut ait Sapiens : *Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est mitigat suscitatas.* Prov. 15.

Hæc est doctrina, de qua interrogatus est Dominus, hi sunt eius discipuli, qui, quod dixit & fecit, profitentur ; *Discite à me, quia* Matth. 11
mitis sum, & humilis corde; MITES quippe sunt, l. 1. de ser. D. c. 3.
inquit sanctus Augustinus, *qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum*; Quod discrtè sanctus Petrus, *Mi-* 1. Pet. 2.
sericordes, modesti, humiles, non reddentes malū pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è cōtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.

Neque excuses naturam ad irascendū pronam, *esto enim*, inquit S. Ambrosius, *ut sit natura irasci, aut plerumque causa : hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore, non assuescere clamori, non errare nec acerbare familiare iurgium. scriptum est enim, vir iracundus effodit peccatum.* l. 1. Ep. 81

Quod si tibi forte delinquentes corrigendi sunt, cave, plus illis delinquas irascendo. *Ira* l. 7. Ep. 16
quippe, ait sanctus Gregorius, *cùm etiam delinquentiū culpas exequitur, non debet menti quasi Domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad ejus nutum imperata vertat, nam si semel mentem possidens ceperit, injustum esse deputat, etiam quod crudeliter facit.* O quæ mentis ferocia, sic te crudelem esse! O quæ mentis fallacia, sic te justum reputare! *Memento* Eccles. 8.
timorem Domini, & non irascaris proximo.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium de prima Christi Domini prædicatione, in Civitate Nazareth habita, & à Civibus malè accepta.

TOTA eius narratio & conformis Veritas habetur suo loco declarata in 1. parte, Feria 2. hebdomadæ 2. post Epiphaniam. Quæ verò inde plures aliæ produci possent, referūtur ad Iram, ad Invidiam, & ad neglectum Dei sermonem, de quibus argumentis sat multa sunt obvia, vel in ipsis, quæ modò decurruntur, Feriis.

FERIA

FERIA TERTIA.

CHRISTVS DOMINVS FALSO Accusatus, nihil respondet.

Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat & nihil respondit. Marci 14.

VERITAS PRACTICA.

Qui loquendo vinceris, silendo vincis.

RATIO EST, Quia vincendus vinces, si premendo iræ impetum, à quo premereris, impedias damnum impendens.

Sed silendo premes illum iræ impetum, à quo premereris loquendo, sicque damnum impendens impedies.

Ergo qui loquendo vincereris, silendo vinces; ac proinde silentium tibi est religiosè colendum.

I. PUNCTUM.

Marci 14 CUM apud Caypham Principem Sacerdotum, Scribæ & Seniores omnes convenissent, eò ligatum Jesum misit Annas, ut de morte eius, communi consilio definiretur. *Tum verò*, inquit Evangelista, *summi Sacerdotes & omne consilium quærebant adversus Iesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant: multi autem testimonium falsum dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant adversus eum dicentes, quoniam nos audivimus eum dicentem: ego dissolvam hoc templum manufactum & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Et exurgens Summus Sacerdos in medium interrogavit Iesum dicens; Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat & nihil respondit.*

Expende hic primò, quanta Judæorum in Christũ malevolentia, ut cùm nihil nisi sanctum in eo esset, conquirant undiq; falsa testimonia, quibus eum accusent. Deinde verò considera, ut est natura hominum sui fallax & deceptrix! Non timent Judæi de morte Jesu deliberare, & tamen nolunt sine prætextu aliquo; quasi minus nocẽtes sint, si ex falso prætextu occidant quam si nullo. At nonne nos sic sæpe vitiis nostris causas prætendimus, ut minùs mundo & nobis appareant? Sed nunquid Deum celabis? *Vos estis*, inquiebat Christus, *qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Cum autẽ sæpe culparum & præsertim iracundiæ, quas sola libertate committimus, causas rejiciamus in naturam ipsam humanam, in officia quæ gerimus, in varias rerum occurrentium sortes, & quoslibet contingentes casus, qui non nisi Deo volente aut permittente obveniũt, quid hoc aliud est, quàm falsa quædam testimonia contra Dominum quærere, quibus nos excusemus, & ipsum quodammodo accusemus? Unde & quæritur: *Numquid irritum facies iudicium meũ, & condẽnabis me ut tu iustificeris?* Luc. 16. Iob 40.

Eò te videlicet aliquando iræ excitatæ impetus rapit, ut non modò apertè proximis excandescamus, sed latenti quadam impietate, ipsi Deo irascamur, tanquam authori iniuriæ vel pœnarum, quas patimur. *Quare percussit nos Dominus hodie?* Tunc exemplo Christi silendum; & quoties sic liberius Ira linguam laxat, refrænanda est religiosius: *Sic enim qui loquendo vincerẽris, non loquendo vinces.* 1. Reg. 4.

Quod ut apertius liqueat, non tã multa est opus probatione quàm attenta Veritatis consideratione: Quid enim clarius, quàm in iracundiæ pugna Victorem illũ esse, qui vel concitatum animi sedat impetũ, aut ita cohibet, ut nihil inde detrimenti, nihil inordinati procedat? *Non te superet ira ut aliquem opprimas*, inquid Scriptura; hoc est scilicet superari, si quid ab ira detrimenti contingat: ac proinde hoc est superiorem & Victorẽ esse, si damnum omne caveatur. O quæ dãna! quàm cavẽda! Iob 36.

II. PUNCTUM.

SED silendo premes illum iræ impetum, à quo premerèris loquendo: sicque damnum impedies, quod loquela importaret.

Cùm enim agatur potissimum de illo naturæ impetu, quo iratus iræ causas prosequitur & impugnat, certè quemadmodum non nisi loquendo causas illas insectatur, sic planè si loqui desinat, desinet ab instituta prosecutione, quæ non aliter peragitur quàm loquendo, ut dictum est: ac proinde etiam cessabit ille naturæ impetus, qui ob id unum excitatus erat, ut injuriæ vel iracundiæ causas insectaretur. *Secundum ligna sylvæ sic ignis exardescit,* inquid Sapiens, *& secundum virtutem hominis sic iracundia illius erit: & secundum substantiam exaltabit iram suam*: Quasi dicat, tantò magis aut minus iracundus commovetur, quantum ex ira loquitur; tum verò minus ex ira loquitur, quantò minus iræ causas insectatur, sicque dū cessat loqui, cessat irasci. Eccles. 28.

Quod quidem alio Sapientis dicto apertè confirmatur; *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone substracto, iurgia conquiescent.* Ligna enim iræ, sunt verba, sunt susurri, murmura, clamores & indignationes, quibus sublatis, ira tollitur. Unde Apostolus: *Ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*, id est, simul omnē iræ malitiam tollis. O quale silentij bonum, quo uno tollitur omnis iræ malitia! Prou. 26. Eph. 4.

III. PUNCTUM.

SIC igitur, qui loquēdo vincēreris, silendo vinces, Dum sic premes iræ impetum, à quo prémereris; & illud cavebis damnum, quod certè indè impenderet, nisi caveretur.

Vince amovendo silentio malum, inquid sanctus Basilius, *& cogita de te periculum fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in adversarii partes inclines. Audi David dicentem, dum consisteret peccator adversum me, non irritatus sum aut ultus, sed surdus factus, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Hinc illud scitè dictum à Sapiēte; *si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; & si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.* Tum nempe sufflatur in scintillam, cum quis ex ira loquitur & iræ suæ causas profert: supra scintillam verò expuis, cum vel contemnuntur iniuriæ seu quævis alia irascendi incētiva; vel si animum commovere incipiunt, statim silētio reprimuntur. Hæc autem utraque, nempe loqui vel silere, ex ore proficiscuntur, id est à nobis pendent, non sic, invitis & nolentibus nobis producuntur, sicut primi motus naturalium appetitionum animi; quamobrē major est nostra culpa, si non silemus, quàm si non irascimur, quia illud magis est in nostra potestate cum Dei gratia, quæ id etiam à nobis exigit. *VIDE VT SILEAS.* Hoc primum ad victoriam de hostibus reportandam Regi Achaz à Domino commendatur. Vide in 3. p. Dominicam 5. Ubi hæc exhibetur Veritas: Hom. 10. Eccles. 8. Is. 17.

Hoc ipso est ira iniustior, quod nulli unquam irascenti sua ira videtur iniusta.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Correptione fraterna, & remittendis semper iniuriis.

VERITATES PRACTICÆ.

Si quis corripi noluerit, hoc ipso magis est corripiendus.

In 4. parte, Feria 4. hebdom. 16. Vbi de hoc expressè præcepto Domini: potestque Veritas convenire Correptioni tam activæ quàm passivæ. Id est, ut agnè detur & accipiatur.

QUIA verò qui corripitur, timet se contemni, tùm suggerenda hæc Veritas:

Aut amandus tui contemptus & te contemnenti congaudendum: aut non amanda Charitas, quæ congaudet Veritati.

In hæc 2. p. Feria 6. hebdomada 3. post Paschæ.

ATQUE ut modus serveturin corripiendo, neque qui corripit inferiorem, audacius agat,

gat, opportunè occurrit, quod ex crastina profertur Feria: QVI AUDACIUS, &c.

Quod si quis timet, ne sine sua etiam culpa, infensum sibi reddat quem corripit: tunc Optabilius bonum bellum, quam mala pax.
In 3. parte, Sabbato hebdomadæ decimæ.

Etiamsi aliquando non speretur fructus, tamen tentandum.
Opportunè importunè.
Sabbato hebdomadæ undecimæ.

Pro remittendis semper injuriis.

Si semel sunt condonandæ iniuriæ, sunt semper condonandæ.
Vel nullas unquam rectè voles condonare, vel semper omnes condonare vóles.
In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 16.

Quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers, ne parcat tibi Deus.
In eadem 4. parte. Dominica 21. Vbi & aliæ his conformia.

Sicut pauci dimittunt suis debitoribus, ita & paucis sua dimittuntur debita.
In 3. parte, Feria 6. hebdomadæ 6.

FERIA QVARTA.
CHRISTVS ADIVRATVS A Caypha profitetur se filium Dei.

Et princeps sacerdotum ait illi: adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei; dixit illi Iesus, tu dixisti. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Qui audaciùs loquitur inferiori, timidiùs Superiori loquetur.

RATIO EST, Quia qui audaciùs inferiori loquitur, nimis se timeri appetit.
Sed qui nimis timeri vult ab inferioribus, nimis & Superiorem timet, & timidiùs illi loquitur.
Ergo qui audacius loquitur inferiori, timidiùs Superiori loquetur, Quod licet in quibusdam casibus valere possit; in multis tamen damnosum est & cavendum.

I. PUNCTUM.

CUM ex falsis testimoniis contra Christum prolatis, nihil nisi falsum & inane concludi videret Cayphas ad eius condemnationem; excogitavit malitiosè hâc viam eliciendæ ab eo veritatis: *Adiuro te*, inquit, *per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Poterat Christus Dominus non respondere, vel non nisi contemptim, & ut Supremus Judex poterat spectare Caypham tanquam inferiorem, & ipsum judicare ut arrogantem & iniquum. Poterat verò etiam ipsummet considerare ut suum superiorem, & tanquam homo circumdatus infirmitatibus, poterat timidiorem se præbere, & vereri quod accidit, si se manifestaret prout jubebatur, ne inde Adversarii acciperent occasionem sui condemnandi.

Verùm sive ob reverentiam Divini Nominis, quod interponebatur, sive ob Veritatis cultum, sive ut nos doceret neque audaciùs agere cum Inferioribus, neque timidiùs cum Superioribus, sic sapiêter respondit, ut nec inferiorem contemneret, nec superiorem nimis timeret. *Tu dixisti*, inquit, *Veruntamê dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientê in nubibus cœli:* Quasi diceret, ita est ut dicis, sum Filius Dei, sed quia nihil modo videtis, quod sit conforme huic meæ dignitati, videbitis aliquando, cùm tempus accepero; Nunc est tempus meæ abiectionis, tunc erit meæ clarificationis, & quem modò iudicatis, iudicii vestri iudicem futurum expectate. Quo in loquendi modo, vides quàm modestus esset

& alienus ab omni fastu, quámque simul erectus & constans contra pusillanimitatem & nimiam illam abjectionem, qua plerumque solemus timidiùs agere cum superioribus & dissimulare veritatem, aut nimis serviliter & abjectè cum illis procedere.

Sed neque arrogantiùs etiam, aut audaciùs cum inferioribus est agendum: nam ab uno extremo facilis est prolapsus in aliud.

Quamobrem ut in illo medio consistamus, quod à Christo Domino edocemur: hoc nobis certò persuadendum, *Quod qui audaciùs inferiori loquitur, hic timidiùs Superiori loquetur.* Eadem quippe est ratio utriusque, à superbia; quisquis enim audacius loquitur, affectat authoritatem, præ se fert arrogantiam, & superbè nimis timeri vult. Unde Sapiens;

Eccles. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.*
Ezech. 34. *VÆ pastoribus Israel, dicit Dominus Deus, qui cum austeritate imperabatis & cum potentia.*
1. Pet. 5. *NEQVE ut dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo. PATRES, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant; ET vos Domini eadem facite illis*, nempe servis, *remittentes minas, quia illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptatio non est apud eum.* Sic docebant Apostoli, sic imperabant. Qualem te in hoc genere præbes? qualem cum pauperibus, cum discipulis, cum servis
Prov. 21. cum implorantibus opem tuam? *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

II. PUNCTUM.

SED qui nimis timeri vult ab inferioribus, nimis etiam superiores timet, & timidiùs illis loquetur.

Cur enim nimis timeri vult, dùm est superior, nisi quia timet contemptum, timet ne si non timeretur, contemneretur: At verò dum est inferior, timor hic tantò magis crescit, quantò magis timere potest, ne à superiore contemnatur, si liberè & confidenter cum illo ageret; Contemnet forte intus superiorem, sed se extrà cõtinebit, ne quid appareat, quod ab eo non improbetur, & à quo proinde magis contemnetur, minus extra quidquã audebit, ne animum suum patefaciat, aut suspicionem ullam moveat suæ superbiæ, quâ se apud illum infamaret; sicque tandem accidit, ut non nisi dissimulata vel servili timiditate agat, quod utrumque longè est damnosissimum & longissimè distans ab ea filiali & fideli subjectione, quæ est reddenda superioribus.

Obediendum quidem Dominis carnalibus jubet Apostolus, *in timore & tremore*, sed qualis sit ille timor, explicat dum subjungit, *in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate, servientes sicut Domino & non hominibus.* Quod & ante brevius & planiùs declararat; *principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Ephes. 6. Rom. 13.

Sic conformiter sanctus Petrus, *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est Voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* 1. Pet. 2.

O viles alioquin eorum animas, qui se ab illa libertate, qua Christus nos liberavit, in miserandam abjiciunt servitutem, & ancillæ filii malunt esse quam liberæ. Gal. 4.

III. PUNCTUM.

HInc ergo fit, ut qui audaciùs loquitur inferiori, timidiùs etiam Superiori loquatur; Cum eâdem ex radice superbia, tumor & timor nimius enascantur. Quod luculentè apparet in illo Nabal, qui *juxta suum nomen stultus erat*, sic enim Scriptura de eo refert, quòd esset ita durus, ut nemo posset ei loqui, tum verò in eam timiditatem dilapsus est, ut auditis periculis, in quæ inciderat contemnendo Davidem, *emortuum fuerit cor eius intrinsecus, & factus sit quasi lapis*: ac tandem paulo post obiit. Quamobrem rectè Sapiens, sic ab utroque extremo, per veram humilitatem & mansuetudinem nos revocat: *Congregationi pauperum affabilem te facito, & Presbytero humilia animam tuam, & Magnato humilia caput tuũ: declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine.* 1. Reg. 25. Eccles. 4.

In vera itaque non ficta humilitate tempera-

peramentum utriusque extremi est positum, ipsa est enim, quæ nimiam in inferiores Superiorum audaciam & fastum cohibet; Nam ut
Hom 34. in Evang. ait optimè sanctus Gregorius, *præponunt sibi in animo ipsos plerumque, quos corrigunt: meliores æstimant eos quoque quos judicant, quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos & per humilitatem custodiunt semetipsos.* Idemque fusè in illa verba Iob: *si contempsi subire judicium*
Iob 31. *cum servo meo & ancilla mea, cùm disceptarent adversum me. Quid enim faciam cùm surrexerit ad judicandum Deus, & cùm quæsierit quid respondebo illi? nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est?*

2.2.q. Ipsa etiam est humilitas, quæ inferiores à
161.a.4. vili & servili subjectione liberat; est enim magnanimitatis species, quæ quanto magis se uni Deo subiicit & hominibus propter Deum, eò minus inordinatè timida est & abjecta. Falsa est autem alia quævis & simulata humilitas contra quam optimè Sapiens: *Attende ne seductus in stultitiam humilieris: Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Et Psaltes regius: *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor; quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus sprevit eos.* Eccles. 13. Ps. 52.

Propone tibi judicium extremum sicut Christus proposuit suo Judici, & illic disces timere & audere, atque inter utrumque temperatè loqui & agere. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Eò certè incides, si nimis timeri appetis, aut si nimis tim ere pergis. Præmaturum cave casum, *Nam qui timet homines, citò corruet.* Heb. 12. Pr. 29.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de lavando corde potius quàm manibus. Matth. 15.

Tota est hebdomadâ decima quarta tertiæ partis per quinque consequentes Ferias, in hoc declarando Evangelio. Quibus quæ ad munditiem cordis, ibi valde commendatam, spectant, hæc possunt aliunde adjici.

Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.
In 1. parte, In festo S. Ioannis Evangelistæ, ex Prov. 22.

Nisi quod monet Sapiens, omni custodia serves cor tuum, non omnino servas.
In 1. parte, Feria 4. hebdomadæ 4. post Epiphaniam.

Hæc sponsæ Christi fides est, ut sicut neminem præter Christum velit diligere, ita velit à nullo diligi.
In 1. parte, Sabbato hebdom. 6. post Epiphaniam.

Qui nimis suos diligit, non satis diligit.
In 2. parte, Feria 3. hebdomadæ sanctæ.

Sæpe videtur esse Charitas, & est magis carnalitas.
In 2. parte, Feria 4. hebdomadæ 1. post Paschæ.

Beati mundo corde.
In 3. parte, Sabbato hebdomadæ 3.

Quò minus Concupiscentiæ mortificabis, eò magis à Concupiscentia mortificaberis.
In 3. parte, Feria 4. hebdomadæ 5.

Major est voluptas, voluptatem nolle quam velle: voluptatem reliquisse quàm cæpisse.
In 3. parte, in fine ubi de votis religiosis.

In 4. vero parte, vide hebdomadam 16. ubi de Infantia spirituali: Et Dominicam 17. ubi de Cupiditate refrenanda, quæ proximè sequenti Feriæ possunt etiam competere.

FERIA QVINTA.

CHRISTVS TOTA NOCTE, APVD Pontificem, injuriis exponitur.

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes; prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Cæteræ pugnant Virtutes, sola vincit Perseverantia.

RATIO EST, quia sola illa vincit Virtus, cæteris pugnantibus, quæ sola finem imponit operi.
Sed sola Perseverantia finem imponit operi.
Ergo illa est, quæ sola vincit; ac proinde quantumcunque pugnent virtutes, nisi constanter perseveres usque ad finem, nihil obtinebis.

I. PUNCTUM.

STatim atque Christus se Filium Dei professus est, tùm Princeps Sacerdotum, scidit vestimenta sua dicens; *blasphemavit, quid adhuc egemus testibus; ecce nunc auditis blasphemiam? quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, reus est mortis; Tunc expuerunt in faciem eius*, & quæ supra memorantur, audent in eum.

Qualis libertas & audacia, sive servorum absque ullo jussu, sive Pontificum ita jubentium aut dissimulãtium contra Christum Iesum. Sic modò etiam homines tam liberè in Deum peccant quàm si nullus esset Deus, aut nulla justitia. *Etenim*, ut ait Sapiens, *quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Eccle. 8.

Et verò cum multa eáque gravissima per totam noctẽ patiatur Dominus, tum ad hæc quinque capita revocari possunt, Primum, judicatur reus & blasphemus; Secundum, ut talis conspuitur in faciem; Tertium, colaphis & alapis cæditur ab unoquoque; Quartum, velantur eius oculi, ut divinet à quo sit percussus; Quintũ, ignominiosè prophetæ nuncupatur, & in opprobrium personæ, interrogant eum dicentes, *Prophetiza quis est qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant in eum* ut refert sanctus Lucas. Luc. 22.

Quæ patientia Domini! qualis benignitas! quanta constantia, sic per totam noctem absque ullo verbo, aut vel modico impatientiæ tædiive signo, ad eorum nutum inter tot contumelias perseverantem constitisse! *Vere longanimis, verè patiens Dominus.* Ps. 102.

Hoc est scilicet, quod nos docere volebat contra inordinatum illum cordis & linguæ impetum, quo ex diuturnitate laborũ & difficultate susceptι operis abripimur in impatientiam, & ex impatientia cedimus ignominiosè adversis, ac velut ignavi milites de statione dejecti abiicimus clypeum, & quidquid meriti patiendo cõsecuti eramus, totum uno momento, defectione nostra deperdimus. *Videte vosmetipsos*, aiebat sanctus Ioannes, *ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui credit & non permanet in doctrina Christi: Deum non habet. Cætera scilicet virtutes pugnant; sola verò vincit perseverantia*; Nam sola illa vincit, quæ inchoato finem imponit operi, quod alioquin mancum & imperfectum esset, nisi ad finem usque perduceretur. Unde aptè Sapiens; *In fine hominis denudatio operis illius:* Quasi dicat, multa quidem homo inchoat, sed in fine ipsius videbitur, qualia fuerint ejus opera, si videlicet ea perfecerit & absolverit. Vel sic interpretare: Multa quidem operatur homo in vita, sed unum præcipuè habet opus, ad quod cætera omnia revocari debent, nempe salutem animæ; & perfectionem in sua vocatione, hoc autem opus nisi ex aliis, quæ illi deserviunt, denudari nõ potest, neque manifestari nisi in fine ipsius hominis, quia donec vivit, laborat quidem & pugnat, sed an laborem expleverit 2. Ioan. 1. Eccles. 11.

& in

& in pugna vicerit, id ex solo fine agnoscitur: Et quantumcunque pugnent virtutes, sola illa vincet, quæ sola finem imponet. O quã verè dictum: *Non quæruntur in Christianis initia sed finis. Paulus malè cæpit, sed bene finivit. Iuda laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.*

S. Hier. Ep. 16. ad Damas.

II. PUNCTUM.

SED sola perseverantia finem imponit operi. Sic omnino aptè ad rem nostram sanctus Augustinus, aut qui vis alius author Sermonum ad fratres de Eremo. *O Fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod perseverãtia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris sancti Ioseph usque ad finem contingens. Hæc est tunica sacerdotalis usque ad pedes perveniens. Hæc est cauda hostiæ, quam tenemur reddere Deo & offerre. Hæc est calcaneum bona operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare. Hæc est virtus quæ Deum ligat. Hæc est quæ omne bonum informat. Hæc est perseverantia, qua laureantur martyres, qua virgines coronantur, qua Sacerdotes sublimantur & Confessores.*

Serm. 8.

Sic cohærenter sanctus Bernardus, *prorsus absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam; nec palmam victor consequitur; vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratia, nec laudem fortitudo; Denique non qui cæperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

III. PUNCTUM.

SIC ergo cætera pugnant virtutes, sola vincit perseverantia.

Quod iisdem pene verbis, eodemque planè sensu retulit Petrus Blesensis, pius & gravis author; *Omnes quidem virtutes currunt ad bravium, sed una perseverantia coronatur.* Epist. 22.

Quo de argumento cum pleni sint sacri Codices & sanctorum Patrum monumenta, tum illud ex eodem sermone S. Augustini supra relato, considerationè dignissimum: *Bonum inchoare & malo fine concludere, quid aliud est quàm monstruosas res confiecre. Illa enim actio quasi Chimera est, quæ initium habet à ratione, sed finem à sensualitate. cum enim sic agitur, humano capiti cervicem pictor equinam jungit, & super imponit infructuosas plumas.* Ser. 8. ad Fr. in Eremo.

Audi ergo Sapientem: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia: & prosequatur te verbum pacis & justitiæ.* Eccles. 5.

Quæ ut in praxim distinctius redigas, disce hæc à Christo tria. Primum, cùm posset se liberare his omnibus malis, nulla usus potestate perinde tolerat omnia, sicut si nihil posset. Secundum, cùm saltem queri aut deprecari posset tot injurias, ne verbum quidem profert. Tertium, cùm eos punire posset, adeo non malum pro malo reddit, ut è contra non cesset eos movere ad cognitionem sui, unde dicuntur vel maximè velasse ejus faciẽ, quod inde promicantes quosdam radios, quibus illustrabantur, adverterent; & forte postea quidam eorum conversi sunt & salvati. *Deus patientiæ & solatii*, ait Apostolus, *det vobis idipsũ sapere in alterutrũ, secundum Iesum Christũ.* O verè Deus patientiæ! sed non solatii, nisi iis, qui eius patientiam pro viribus imitentur! Rom. 15.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Socru Petri febricitante, sanata à Christo Domino Luc. 4.

Febris animi, animo longè periculosior, quàm febris corporis, corpori.

In 1 parte, Feria 5. hebdomadæ 2 post Epiphaniam, Vbi Evangelica narratio refertur, & ex Divo Ambrosio, febris animi dicitur esse omnis Cupiditas, de qua proinde quotquot sparsim habentur Veritates Practicæ, possent huc, cum delectu tamen, transferri: Qualis hæc inter alias:

In levi quidem cupiditate, pars aliqua nostri cordis

cordis detrahitur: In gravi verò, totum cor Deo perit.

In 4. parte, Dominica 17.

Quod autem ſanata mulier, continuò ſurgens, Chriſto ac Ejus diſcipulis miniſtraret, veram indicat Gratitudinem, quæ accepta dona in Donantis uſum refert, quæ quàm rara ſit, declarat hæc Veritas:

Verè paucorum eſt, vera Gratitudo.

In 3. parte, Dominica 13.

Denique quod à multis exirent Dæmonia, quæ Chriſtum confiterentur, quorum tamen confeſſionem Chriſtus nollet: veraretque de ſe loqui, nõ alienum foret, quod de gravitate peccati docetur ex illius Viri ſancti ſenſu:

Qui maluit liber peccato, poſſideri à Dæmone, quàm levi cum peccato, liberare poſſeſſos.

In hac 2. parte, Sabbato hebdomadæ 3. poſt Paſcha.

FERIA SEXTA.

CHRISTVS NEGANTEM SE Petrum benignè reſpicit.

Converſus Dominus reſpexit Petrum, Luc. 22.

VERITAS PRACTICA.

Læſi amoris ira, quò eſt ſuavior, eò eſt potentior.

RATIO EST, Quia potentior illa eſt læſi amoris ira, qua lædentem verius læſo ſubjicit.

Sed quo eſt talis ira ſuavior, eo verius lædentem læſo ſubjicit.

Ergo læſi amoris ira, quo eſt ſuavior, eo eſt potentior; ac proinde exemplo Chriſti exercenda.

1. PUNCTUM.

Matt. 26. DE Petro jã dixerant Evangeliſtæ, quod captum à Judæis Dominum, *ſequebatur à longè uſque in atrium principis Sacerdotum*, & modò ſedebat cum miniſtris, ut videret finem, modò cum illis ſtãtibus ſtabat & calefaciebat ſe. Tum verò dum interrogaretur Dominus à Pontifice, aut Judæis irrideretur, ut viſum eſt, Ioan. 18. *accеſſit ad eum una ancilla dicens, Et tu cum Ieſu Galilæo eras; At ille negavit coram omnibus, dicens, neſcio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait iis, qui erant ibi, & hic erat cum Ieſu Nazareno; & iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et poſt puſillum, accеſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro, Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua te manifeſtum facit;* Addidit unus ex ſervis Pontificis, *cognatus ejus cujus Petrus abſcidit auriculam, nonne te vidi in horto cum illo? Iterum ergo Petrus negavit, & tunc cæpit deteſtari, anathematizare & jurare, quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis: & continuò, adhuc illo loquente cantavit gallus. Et converſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus Verbi Domini, ſicut dixerat, quia priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus flevit amare.* Marc. 14. Luc. 22.

Hic eſt miſerandus Petri lapſus! hæc eſt deploranda humanæ infirmitatis miſeria! hoc pavendum, ad omnem ſæculorum memoriã, inconſtantis exemplum animi, de quo ſupra eſt veritas, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Eſt verò etiam luculentum pœnitentis exemplum animi, ſive quod ſtatim, ut eſt aſpectus diſcipulus à Domino, reſipuit: ſive quòd reſipiſcens flevit amarè, ſeu denique quod nunquam flendi peccati modum & terminum poſuerit, niſi cum vita. Fer. 6 poſt Domin. Septuag.

In primis autem eſt admiranda ſumma illa Benignitas & Clemẽtia, qua Ieſus uſ? eſt erga ſuum diſcipulum. Statim enim ut lapſus eſt, converſus ad eum Dominus tam ſuavi & potenti ſuo illum aſpectu prorſus erexit, ut à Petri peccato ad Chriſti gratiam, ſolum illud interceſſerit moræ, quo Petrus peccavit.

O divinam læſi amoris iram! O ſuaviſſimã iræ divinæ potentiam! Non eſt dubium, quin Chriſti amor in Petrum valde læſus fuerit Petri peccato, nec alienum à Chriſto fuerit, cogitare

cogitare quantum inde Christus moveri & irasci potuerit: at vide etiam atque etiã, quàm suavis fuerit illa ira & quam potens in sua suavitate, simulque disce, si quando lædaris ab amico, sic suaviter esse irascendum, ut eum efficaciter tibi reconcilies. Sic enim universim loquendo; *Læsi amoris ira, quò est suavior, eò est potentior.* Quod certè mirum & ad praxim admodum utile.

Ut autem facilius intelligatur, tria præsupponenda sunt. Primũ hîc agi de justa & temperata ira juxta illud Psalmi, *irascimini, & nolite peccare*: ut cùm amans ab amato læsus irascitur. Secundum est, talem iram excitari & permitti ad remedium illato malo inferẽdum. Tertium denique, tunc potentiorem dici & esse iram, quando, citra culpam omnem, remedium efficacius afferetur. Quibus ita præsuppositis, jã facile est intelligi, quod dicitur in prima propositione, illam esse potentiorem læsi amoris iram, quæ lædentẽ læso subjiciat? nam sic remedium læso amori, si quod afferri potest, affertur: satis enim esse debet offenso, si se offendentem sibi subjectũ habeat: Neque enim ipsi Reges aut Duces, quotquot sibi magnanimitatis nomen fecerunt, aliud expetivere, quam ut hostem sibi substratum cernerent: quia & ipse Leo genetositatis Symbolũ, nihil aliud in præda quærere dicitur, Unde est illud Poëtæ, *Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni. Pugna suũ finem, cum jacet hostis, habet.* Quod itaque efferatæ gentes, & quod ipsæ feræ admittunt, possetne Christianus recusare.

Ps. 4.

Ovid. 1. de Trist.

II. PUNCTUM.

SED *quò est talis ira suavior, eò verius lædentem læso subjicit.*

Prov. 25. Rom. 12.

Sic apertè Sapiens in Proverbiis, & Apostolus in Epistolà ad Romanos, postquam dixerunt cibandum inimicũ si esurierit, & sitienti potum ministrãdum, statim addunt, *hoc enim faciens, prunas seu carbones ignis congeres super caput eius*; id est, interpretantur quidam; sic facies eius ardebit eo sanguine, quem pudor ad maxillas evocat, non secus atque si supra caput carbones congessisses, qui facilè inflammarẽt. Quomodo enim ille non pudefiat, qui videt tam liberalem atque ingenuum animã à se fuisse offensum, à quo pro injuria, tale recepit beneficium? Vel ut exponunt alii, Carbones ignis congeruntur à persona læsa in caput lædentis, quando illã ignescebat quidem alioquo iræ motu, sed caritate & benevolẽtia sic temperavit iram, ut omnis asperitas in suavitatem versa sit, nec aliter se vindicarit quam novis beneficiis se lædentẽ cumulãdo; tunc enim is mirum in modum inflammatur ad amandum; nam ut ait sanctus Augustinus, *Nimis durus est animus, qui, si amorem nescit impendere, nolit rependere.* Nonne emolleiceres ad tantam suavitatem, si tibi oxhiberetur?

De Catech. rud.

III. PUNCTUM.

LÆsi amoris ira sic ergo quò est suavior, eò est potentior: quod manifestè patuit in illa Christi Salvatoris ira, si fas est irã dicere, summam illam tristitiam, quam habuit de lapsu Petri, quæ quidẽ ira vel tristitia, quàm suavis fuit in eo respiciendo, tam potens fuit in eo revocãdo. *Fulgura in pluviam fecit.* Quo certè facto, nihil ira, nihil tristitia poterat prætendere opportunius, cum sic læso amori reparata magis fuerit injuria, & allatum malo remedium longè efficacius, quam si à lapsu peccati lapsus esset in infernum. Hi sunt videlicet funiculi Adam, hæc vincula Charitatis quibus nos ad se trahit! Nonne sic tecum sæpius egit, cum toties in se peccantem sua te bonitate attraxit miserans tui? *Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo; & dixi tibi, cum esses in sanguine tuo, Vive, dixi inquam tibi, Vive.* O bonitatem! ô patientiam! sed quid ei propterea reddes, *Vade & tu fac similiter.* Imitare hoc exemplum. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: Nec putes à te nimis peti, cùm id pagani fecerint. Sic sanctus Basilius de quodam refert ad confusionẽ nostrã: *Euclidi quidam mortem minatus est ac juravit se eum occisurum: at ille contra juravit se enim placaturum, ac ne animo in se hostili sit, effecturum.*

Ps. 134. Osee 11. Ezech. 16 Luc. 10. Rom. 12. S. Bas. hõ. 11. de patientia.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Samaritana. Ioan. 4.

TOTA in hoc est hebdomada undecima tertiæ partis, ubi, quæ possent etiam aliunde repeti, suis indicantur locis.

SABBATO

DE IVDA PRODITORE, MISERrimè pereunte:

ET DE MIRO CHRISTI SILENTIO, Circa huius interitum.

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt, quid ad nos, tu videris; & projectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Matth. 27.

VERITAS PRACTICA.

Qui ruinâ gaudet inimici, ruinam eius in se trahit.

RATIO EST, Quia gaudium de ruina inimici, species est cujusdam vindictæ.

Sed hæc vindicta trahit in se pœnam & ruinam inimici.

Ergo qui ruina gaudet inimici, ruinam eius in se trahit; quod certè est præcavendum tum ratione culpæ, tum ratione pœnæ simul junctæ.

I. PUNCTUM.

TAMETSI miser hic Traditor in desperationem & laqueum se non projecerit, nisi cum adductus ad Pilatum Dominus, petitus ad mortem aut etiam condemnatus fuit; tamen hic aptiùs de funesto ejus interitu videtur instituenda consideratio, ne sequentis hebdomadæ Mysteria, quæ alium habent ab ista finem, interrumpantur, & quia plerumque accidit inordinatus cordis & linguæ motus in adversis cõtra inimicos, exemplo Christi Domini, discatur exprimendus.

Sic ergo est, ut refert Evangelista: Miserum proditorem conscientia patrati facinoris diu ferre nõ potuit; pœniteat eum sui, fatetur publicè crimen, sed desperat veniam; cumque se ab ipsa luce conspici confunderetur, tenebras quærit; atque in ipsis tenebris cum nec à terra portari aut aërem spirare posset, *laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem*, ut est in Actis Apostolorum. Act. 1.

En quò recidunt tandem inordinati appetitus! nam licet omnium peccatorum finis nõ sit ita funestus, est tamen isti plerumque affinis in eo, quod à minimis solent incipere, sicque in pejus semper delabuntur, ut vix unquã emergant. *A scintilla una augetur ignis*, inquit Sapiens: & aptè Propheta, *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri, peccatum.* Eccles. 11. Is. 5.

Est verò quidam inordinatus animi motus, quo ex morte seu ruina inimicorum exultare solemus sive in vindictam, sive in integritatis aut juris nostri jactationem, sive ob alium denique pervicacem finem, qui corrigendus est exemplo Christi Domini. Cum enim optimè sciret horrendum hunc sui proditoris interitum, jamque per civitatem divulgaretur, antequam cruci affixus esset, nonne commodè poterat inde testimonium suæ innocentiæ derivare? Nonne similem suis inimicis comminari mortem? Nonne multum inde sermonem habere? Poterat sanè, sed silere maluit, ut nos in simili casu doceret, quod jam ante dixerat Sapiens: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus & displiceat, & auferat ab eo iram suam.* Quibus ex verbis hæc eruta Veritas valde est consideranda, *Quod quisquis ruinâ gaudet inimici, ruinam eius in se trahit.* Prov. 24.

Nam certum est hoc gaudium ordinariè nasci ex appetitu vindictæ. Posset forte aliquando in sanctis proficisci ex Zelo divinæ gloriæ,

gloriæ, ut appareat ejus Justitia, & ut impii
Ps. 57. terreantur; *Lætabitur justus*, inquit Psaltes, *cũ viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris, & dicet homo, si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.* Sed quis sibi præsumat de tali Zelo? quis potius sibi de se nõ diffidat, & suspectum habeat tale gaudium? Lugendus esset & morte propria redimendus ille casus, & tu exultas? talis exultatio maligna est, vindictam sapit & odium cordis fovet, denique adversatur Cha-
1. Cor. 3. ritati, *quæ non quærit quæ sua sunt, nec gaudet super iniquitate.* Nam ut est alibi declaratum:
Feria 5. hebd. 3. post Pascha. GAUDERE super iniquitate, plerumque est iniquius, quàm ipsam iniquitatẽ admittere.

II. PUNCTUM.

SED *hæc vindicta trahit in se pœnam & ruinam inimici.*

Nam Deus ordinariè omnem vindictam sic ulciscitur, ut pari aut simili pœna vindicantem se vindicet. Sic enim apertè Sapiens:
Eccles. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* Et cùm toties sibi vindictam & ultionem reservandã testatur Deus in Scripturis, de omni vindictæ
Es. 35. modo ac specie id intelligendum est, ne forte putes te indemnem, quod tu ipse non ulciscaris; Nam gaudere de ruina & vindicta, gravius esse potest, quam si tu ipse vindictam sumeres. Potest enim Judex aut tu ipse per Judicem legitimè queri, & pœnas injuriæ reposcere, sed in pœnis illatis non potest ipse judex aut alius quispiam gaudere, quatenus pœnæ sunt & malum hominis qui condemnatur, unde patet istud gaudium ipsa vindicta pejus esse.

Quod si ex justitia reddita Judex gaudere
Ps. 24. potest, tali tamẽ gaudio jungẽdus esset mœror de malo proximi, quod nunquam per se est amandum, nec de eo proinde exultãdum.
Ps. 1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis:* ait ipse Deus supremus judex; Cum vindictam in hostes parat, illam dolentis vocem præmittit, *heu*, ut significet se dolere de vindicta sumenda; Tu verò non timebis exultare: aut exultans non timebis ejus vindictam! Tam certa tamen est, quàm certò constat eum, qui se vindicat, sic à Domino vindicari. Teipsum vindica de te ipso, qui quoties peccasti, te læsisti, *Nam qui faciunt* Tob. 12. *peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.*

III. PUNCTUM.

QUisquis igitur *ruina gaudet inimici, ruinam eius in se trahit*, id est, vindictam & perditionem: Nam si putas inimicum sic à Deo punitum esse propter injuriam & offensam tibi illatam, cur non putabis te puniendum, cùm non minus pecces in Deum & in proximum? In Deum quidem patet, quod assumas eius imperium, & contra ac expresè vetuit, ulcisci audeas, aut ultione illata gaudeas, quod æquè vetat ac aliud. Deinde verò in proximum peccas, quod ejus malis gaudeas, quod est directè contra charitatem & ab ea longissimè charitate, quæ reddit bonum pro malo. Unde conclude, quàm sis æquè puniendus ac ille de cujus pœna gaudes, ac proinde quam verè ejus ruinam in te convertas.

Sic se Iob puniendum fatebatur, *Si gavisus* Iob 31. *sum*, inquit, *ad ruinam eius qui me oderat, & exultavi quod invenisset eum malum, non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius.* Miserum te & miserandũ omni modo, qui cùm posses Deo, proximo, & tibi plurimum in hoc casu gratificari, Deum offendis, proximum lædis, & tibi valde noces! *Qui sibi nequam est, cui alii bonus* Eccles. 14. *erit?* Adverte anima & cùm ex his tribus vel unum sufficeret seorsim consideratum, ut te contineres; quanto magis cùm tria simul cõcurrunt ad hunc finem? *Montes Gelboe, nec ros,* 2. Reg. 1. *nec pluvia veniant super vos, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo!* Sic & pluribus, David de Inimici ruina non exultabat, sed dolebat.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Muliere adultera. Ioan. 17.

Videri debet in 4. parte, Feria 2. hebdomadæ 19.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

De quinque panibus multiplicatis, &c. Ioan. 6.

VERITATES PRACTICÆ.

Sequebatur eum multitudo magna.

Et quidem tanto affectu, ut omnes omnia sua delererent, nec repetere cogitarent, nec manducare, nec vivere, dùm soli Iesu, quem sequebantur, adhærerent. Sic planè:

Qui non renuntiat omnibus, non potest esse Christi discipulus.

In 1. parte, Feria 3. hebdom. 6. post Epiphaniam.

QUO & referri duæ istæ possunt.

Esse discipulum Christi, & jam non esse suum, unum & idem est

Nunquam magis eris tuus, quàm cùm totus eris Christi.

In 4. parte, Feria 3. & 4. hebdomadæ 24.

ACCEPIT *ergo Iesus panes, &c.*

Si vis, quod non habes, da quod habes.

In 1. parte, Dominica 2. post Epiphaniam.

PRO accessu ad Sacram mensam in hac panum multiplicatione figuratam:

Quod præsertim spectat Christus, non est quid ad se afferas, sed quid à te auferas.

In 3. parte, Feria 3. hebdomadæ 13. Plura vide in duabus primis hebdomadibus eiusdem partis.

DISTRIBUIT *discumbentibus quantùm volebant.*

Non quod times, timendum est, ne tibi desit Deus: sed ne tu desis Deo.

In 3. parte, Dominica 6.

NUMQUAM homini magis aut melius prospicitur, quàm cùm homo magis Deo quàm sibi prospicit.

In 1. parte, die 6. Decembris, licet aliis terminis exprimatur Veritas, idem est sensus, eademque ratio.

IESUS *ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

Qui sectatur honores mundi, quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum.

HÆC Veritas nullibi proposita sic videtur declaranda, & paulo attentius expendenda.

RATIO est, quia fugere à Christo ad mundum, nihil aliud est quàm se magis conformare mundo quàm Christo.

Sed qui sectatur, honores mundi, quos fugit Christus, magis se mundo cõformat quàm Christo.

Ergo à Christo fugit ad mundum: Quod quàm sit turpe & damnosum, quis non videt?

I. PUNCTUM.

GRATITUDO quidem exhibenda est Christo Domino, & Rex ille tuus agnoscendus, sed nunquam melius agnosces, quàm si cum eo mundi gloriam & honores fugias. *Regnum enim eius non est de hoc mundo.* Quod si è contra, mundi honores consectaris, quos fugit Christus, transfuga Christi factus, *à Christo fugis ad mundum.* O probrum, sed tamen necessariò ferendum, si quod fugit Christus, insequeris. Ioan. 18.

Quid est enim fugere à Christo ad mundum, nisi desertis iis, quæ sunt Christi, sectari ea quæ sunt mundi? Et licet in hac desertione sint varii gradus, atque alii aliis sint graviores,

viores, satis tamen est & plusquam satis, ut dicaris ab eo deficere, si tu ejus discipulus, tu eius assecla, tu qui profiteris eum sequi & imitari, magis te affectu & effectu conformes mundo quam Christo. Cum enim mundus sit ei oppositus, quisquis se mundo conformat, à Christo, necesse est ut se disiungat. Nã si ipse dixit, *qui non est mecum contra me est, &* Luc. 11. *qui non colligit mecum, dispergit*, certè qui est Domin. 3. cum mundo, non est cum illo; Quid restat Quadrag. igitur quàm ut sit contra ipsum, ut supra visum est. Si autem contra ipsum, nonne & Christi desertor, nonne & transfuga dicendus erit? *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; Vos* Ioan. 8. *de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Vellesne hoc ipsum tibi diceret quod Judæis Christus?

II. PUNCTUM.

SED qui sectatur honores mundi, quos fugit Christus, magis se conformat mundo, quàm Christo.

Ne putes hic agi de honore regio, quem fugit Christus, sed de omni vano & mundano, qualis ab hominibus ordinatè exhibetur, & qualis à te inordinatè appetitur. In hoc autem præcipuè Christus Dominus se à mundo differre ostendit, ut contrà ac mundi leges ferunt, ipse ac sui potius contenderent de inferioti loco quam de primo. Nonne jam id toties consideràsti? nonne meministi, cùm facta Luc. 22. esset contentio inter discipulos, *Quis eorum videretur esse major, tùm dixit eis Iesus; Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*; VOS AUTEM NON SIC, *sed qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est sicut minister. Nam quis major est qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Quod & ipsum ante dixerat, ex alia occasione, pene 18. Matt. 26. iisdem verbis: *scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare.*

Quid clarius & apertiùs? Unde Apostolus tam sæpe & potenter: *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. MIHI autem* Gal. 1. *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi per* Ibid. 6. *quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. NVNC incipio Christi esse discipulus*, aiebat sanctus Martyr Ignatius, *nihil de his, quæ videntur desiderans, ut Iesum Christum inveniam.* Tibi è contra dicendum: Nunc desino Christi esse discipulus, illa desiderans, quæ videntur, ut mundum inveniam & mundanus fiam.

III. PUNCTUM.

QVisquis ergo sectatur honores mundi, quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum. Quia per illos honores aut illorum appetitum, mundo se conformat in ea parte vivendi, in qua præcipuè se suosque à mundo discrepare, & verbo & exemplo tam clarè docuit Christus, ut nihil toto in Evangelio sit clarius, & qui aliud sentiat, dicatur *palpare in meridie*: ut declaratur in 4. parte, Feria 3. hebdomadæ decimæ nonæ.

Iam verò cogita, quale sit illud; *transfugam & desertorem esse Christi!* melius esset si nunquam ejus fuisses, quam sic illum deserere. *Si enim*, ut ait sanctus Petrus, *refugientes co-* 2. Pet. 2. *inquinationes mundi in cognitione Domini nostri & salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.*

NVNQVID & vos vultis abire, dicebat Ioan. 6. Christus suis, quando eorum quidam abjerunt retrò, & jam non cum illo ambulabant? At verò Petrus, *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Hoc si credis & profiteris, credes quidquid Christus dixit, nec enim Filius Dei falsum potest dicere, hoc autem dixit, *Mundus me odit.* Credisne hoc? Ibid. 7. Vellesne verò Christum odisse? Aut te ergo mundo renuntiare oportet, aut Christo non credere, aut Christum habere odio. Quod vel audire nefas est. *Trium tibi datur optio, Elige* 2. Reg. 24 *unum quod volueris.*

HAC HEBDOMADE, considerandum venit quidquid Christus Dominus passus est, ex quo deductus fuit à Judæis ad Pilatum, usque ad eius condemnationem.

Veritatum finis præcipuus hic erit, ut discamus à Christo ferre constanter opprobria, in omni quidem occasione, sed in sex præsertim casibus, qui ab unoquoque mysterio passionis eruuntur.

FERIA SECUNDA.

CHRISTUS PILATO A IUdæis præsentatus, & accusatus.

Caperunt ipsum accusare, dicentes, hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Luc. 23.

VERITAS PRACTICA.

Qui sibi innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiæ injuriam facit.

RATIO EST, Quia suæ innocentiæ iniuriam facit, qui se eius fructu & meritis privat.
Sed qui sibi innocenti factam iniuriam nimis dolet, se suæ innocentiæ fructu & meritis privat.
Ergo & is suæ ipse innocentiæ iniuriam facit. Quod certè iniuriosum est & cavendum.

I. PUNCTUM.

Matt. 27. MANE *facto*, ait sanctus Evangelista, *consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi adversus Iesum, ut eum morti traderent.* Quale consilium! *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* Quale spectaculum propositum illi civitati, in qua non ita pridem tam gloriosè triumpharat! Quis concursus, quis sensus populi, cum maximè sic à principibus sacerdotum & senioribus Christus traderetur & accusaretur! Vide ut alii obstupescunt, audi ut alij fremunt, & ut omnes unanimi consensu in eum insurgunt! Sic pia quædam ex singulis circumstantiis reflexio fieri posset. Legi verò debent, quæ de hac apud Pilatum accusatione fusius referuntur ab Evangelistis, unde illud primum ad praxim revocandum est, quod spectat calumnias & iniurias famæ ac nomini nostro ab inimicis illatas, exemplo Christi Domini constanter ferendas. Et quia hoc maximè unumquemq; cruciat, quod ficta & falsa imponantur, hoc imprimis etiam unicuique sciendum & attentè considerandum est, *Quod qui sibi innocenti calumniam impositam aut iniuriam quovis modo factam nimis dolet & quæritur, suæ ipse innocentiæ iniuriam facit.*

Ratio est evidentissima, quia qui se ultro privat suæ innocentiæ fructu & meritis, non potest non dici, sibi suæque innocentiæ magnam inferre iniuriam. Quid est enim iniuria, & quod est eius damnum, nisi quædam iniusta detractio & sublatio boni alicuius, quod vel honorem spectet vel corporis aut vitæ commoda? unde tu si tibi bonum iniustè detrahis quod ab innocentia tua consequi poteras, nonne tu tibi perinde noces & iniuriam facis, ac si alius quivis bonum illud detraheret? Cur enim tibi putas iniuriam ab eo fieri, nisi quia, ut dictum est, tibi bonum tuum, bonum nomen, bonam famam, bonam sanitatis vel rei domesticæ commoditatem contra ius fasque detrahit? At tu si eandem in te iniustitiam committis, quid est, quod non tibi & innocentiæ tuæ injuriam ex æquo inferas? An forte quia tua res est, quia tua est innocentia: tu de illa detrahere, & te illius privare bonis & meritis tibi licitum credis?

Erras

Erras, & erroris tui gravitatem, quæ infra patebit clarius, sic damnavit Sapiens : *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum peccantem in animam suam quis justificabit? quis honorabit exhonorantem animam suam?* Itemque paulo post : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis, qui sibi invidet nihil est in illo nequius, & hæc redditio malitiæ illius.* Audisne nequitiam? Audis malitiam?

Eccles. 10

Ibid. 14.

II. PUNCTUM.

SED qui sibi innocenti, calumniam aut aliam illatam injuriam nimis dolet & quæritur, se suæ innocentiæ fructu & meritis privat.

Hic est enim innocentiæ læsæ fructus, hoc eius meritum, utgaudium afferat & honorem coram Deo & hominibus, ingentemque bonorum spiritualium & cœlestium in omnem æternitatem cumulum augeat; sive ex similitudine Christi patientis, sive ex conscientiæ testimonio, sive ex patientiæ solatio, sive ex ipsa Dei bonitate & providentia, qui protector est & pater innocentium: quæ certè quanta sint bona & commoda quis non videt? *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati sufferetis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis*

1. Pet. 2.

At verò qui nimis dolet & quæritur de illatis sibi injurijs, se privat jis bonis; quia non eam habet similitudinem cum Christo patiente, quæ gaudium affert & gloriam; non illud conscientiæ testimonium quo innocentes recreantur, non illud deniquein terris gratiæ aut in cœlis gloriæ meritum, quod soli virtuti redditur. Neque enim sufficit ad meritum, si innocens patiaris, nisi patientiam jungas innocentiæ, nam innocentia impatiens desinit esse innocentia quæ est expers totius vitij: & qui nolens invitusque patitur, tam longè est à vera virtute, quàm verum est nullam esse virtutem, ubi nulla voluntas, & nulla pietas. *Non coactè sed spontaneè secundum Deum. VÆ dissolutis corde qui non credunt Deo & ideo non protegentur ab eo. CASTIGABO te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi.* Poteratne apertius tibi loqui?

1. Pet. 5.

Eccles. 2.

Ier. 46.

III. PUNCTUM.

QUI sibi ergo innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiæ injuriam facit; Bonum enim subtrahit, quod afferret innocentia, si nimis non doleret innocens; Nam ubi est nimietas, Virtus deest quæ in medio sistit; Ubi autem Virtus deest, quid gratiæ & meriti colligas? At nonne hoc innocentiæ probrum est & injuria, sic eam suo privare fructu & merito? *Cur non recogitas dicans, cui laboro & fraudo animam meam bonis?* Cur te tui non miserer, dum gemendo factam injuriam, graviorem tibi facis? *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: Congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè repelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.*

Eccle 4.

Eccles. 30

Certè quando hæc sola esset ratio, quam affert Sapiens ad repellendam tristitiã, quod nulla sit eius utilitas, satis esset sedando animo: sed cùm præterea tot sint incommoda & detrimenta, quę à tali tristitia longè latèquè dimanant, quis nisi vecors & propè insanus se ab illa non expediat? Et quia putas tanto id tibi magis licitum fiere, quanto magis innocens pateris, Vide quam graviter erres & pecces, non modò te privando tuis bonis spiritualibus, quod per se grave est, & non ferendum; sed ipsam incusando Divinam Providentiam, quod te innocentem permittat pati, quasi soli Rei & Nocentes paterentur in hoc mundo!

Duplex hic error: & quod putes te ita innocentem, ut non meritò debeas aliquid pati; & quod licet esses innocens, non credas Deum permittere aliquando, ut innocentes affligantur. Contra verò utrumque sic Dominus apud Prophetam: *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinquéris; Non eris innocens, sed bibens bibes.*

Ier. 48.

Licet itaque sis innocens, quâ parte injuriam ab hominibus accipis, aliunde tamen cùm sis peccator, sic utrumque junge ad patientiam ut & cum Davide dicas, *perambulam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ:* Et cum Propheta: *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.*

Psal. 100.

Mich. 7.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de ejectis è Templo Venditoribus & Nummulariis. Ioan. 2.

VIDE quæ ad idem prope Evangelium superius producta sunt, Feria 3. hebdomadæ 1. Quadragesimæ, unde hûc etiam aptius propter flagellum, quo hic expressè dicitur Dominus ejecisse vendentes, transferri potest hæc Veritas, quæ habetur in 1. parte, Feria 2. hebdomadæ sextæ post Epiphaniam:

Quantò minùs murmuramus, aut quantò magis tacemus flagellanti à Deo, tantò altiùs altissimum eius Dominium prædicamus.

Huic adjungi possunt sequentes.

Nisi te subdas Deo, Deum tibi subdis.
In 1. parte, Die 12. Ianuarii.

Nisi probè paratus sis ad adversa, nec ad ipsa prospera benè paratus es.
In 1. parte, Feria 6. hebdomadæ 5. post Epiphaniam.

Cui nimis adhuc durũ videtur pati pro Christo, nimis etiam durum videtur, amare Christum.
In 1. parte, Dominica 4. Adventus, ubi & aliæ plures eiusmodi.

Hûc portò tota spectat hebdomada 2. Quadragæsimæ, & proximè sequens, quæ dicitur Passionis.

FERIA TERTIA.

CHRISTVS AB HERODE SPRETVS.

Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba. Luc. 3.

VERITAS PRACTICA.

Quẽ pro Christo sperni pudet, Christi pudet.

RATIO EST. Quia illum Christi pudet, qui præ pudore rejicit quæ Christus docuit, quæ libens tulit, & quæ ferenda voluit suo exemplo.

Sed quem pro Christo sperni pudet, præ pudore rejicit quæ Christus lubens tulit, & quæ ferenda voluit suo exemplo.

Ergo quem sperni pudet, Christi pudet: Quod certè est omni opprobrio probrosius.

I. PUNCTUM.

CUM Judæi accusantes Christum, mentionem fecissent de Galilæa, quæ erat regio à Judæa divisa, Pilatus audito hoc nomine *interrogavit si homo Galilæus esset, & ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.* Luc. 23.

Eò igitur adducitur Christus ligatus & stipatus satellitio publico, velut reus; Cogita quali cum ignominia, quali cum pudore & verecundia! *Herodes autem viso Iesu gavisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Hæc curiositas nihil fausti portendit. *Interrogabat autem eum multis sermonibus: At ipse nihil illi respondebat.*

Quid non poterat hîc dicere & facere Chri-

Christus ? quantam sui admirationem & venerationem conciliasset, si vel unum miraculum facere voluisset ? *At ipse nihil illi respondebat ! Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum.* Accusationes istæ quantumlibet acres & constantes sic insulsæ & nullæ visæ sunt Herodi ut noluerit Christum tanquam reum condemnare ; sed cum vidisset eum nec sibi nec accusatoribus ullo modo respondentem, condemnavit ut insanum & nihili hominem. *Sprevit autem eum Herodes cum exercitu suo*, ait sacer textus, *& illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.*

Quanta fuerit hæc illusio, quam stupendum illud, Sapientiam Dei velut stultitiam reputari, & quam excelso animo tale probrum pertulerit Christus, ut si quando affine opprobrium in aliquo ingenij vel animi tui defectu esset ferendum, statueret exemplũ constantiæ & magnitudinis in eo perferendo, tu ipse susius tecum perpende. Certè nisi hinc proficias, expavenda est Veritas, quæ inde elicitur, Aut enim te oportet cum Christo lætum & constantem simile probrum pati, si casus ferat ; *aut si te sperni pudet, Christi pudet.* Possesne hoc ferre probrum ? sed vide quàm necessariò tibi cadat.

Luc. 9. Cum certum sit ex Evangelio nonnullos erubescere Christum & illius pudere, nihil aliud esse hoc intelligitur, quàm præ pudore quodam rejicere, seu nonnisi invitos & reniten-tes admittere quæ Christus libens tulit, & quæ idcirco tulit, ut nos induceret suo exemplo ad illa ferenda. Sic intelligendus Apostolus, vel cum ait *se non erubescere Evangelium*, Rom. 1. vel cùm suo Timotheo præcipit, *ne erubescat testimonium Domini nostri neque se vinctum eius.* 2. Tim. 1. Idem enim est, ac si diceret, si forte contingat te irrideri, & contemni ab hominibus, quod de Christo crucifixo loquaris, vel quod Pauli vincti & captivi doctrinam & institutionem profitearis, patere libenter hæc probra ; ne te propterea Christi nec mei pudeat ; aut certè si naturalis quidam pudor sentitur, sic eum constanter sustine, ut ne propterea desistas Christum prædicare, & me eius Apostolum tuumq; Institutorem profiteri. Sic 1. Pet. 4. sanctus Petrus : *Nemo vestrum patiatur ut homicida, si autem ut Christianus non erubescat ; glorificet autem Deum in isto nomine* : Sic denique Luc. 9. Christus Dominus cum dixit, *qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.* O qui tùm sensus, quæ suspiria !

II. PUNCTUM.

SED quem pro Christo sperni pudet, præ pudore rejicit quæ Christus libens tulit, & qua ferenda voluit suo exemplo.

De illo enim agitur quem ita pudet irrisum & contemptum, ut graviter inde doleat, & propterea vel à bono, quod inchoarat, desistat, vel se miserum putet, & quæratur. Nam si solus esset pudoris sensus, nec se propterea quis ab inceptis removeret, sed constans in bono persisteret, tunc Virtus esset non vitrum : At verò cum quis vincitur illo pudore, & itá cedit probris, ut cedat exercendæ Charitati, Humilitati, Devotioni, aut alij, quam colebat, Virtuti, hic est propriè, quem pro Christo sperni pudet, & tùm manifestè reiicit, quę Christus tulit & quæ ferenda voluit suo exemplo, nempe hoc virtutis exercitium cum probro junctum, nempe hæc opprobria propter Christianæ cultum Virtutis illata, nempe humana judicia & verba, quibus nihili reputatur & illuditur.

Hoc est enim, quod Christus Dominus tulit, & quod idcirco tulit, ut nos suo animaret exemplo, suoque illo confirmaret documento quo dixit, *Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum, sufficit discipulo, ut sit sicut Magister eius, & servo sicut Dominus eius. Si patremfamilias Beelzebuth vocarunt, quanto magis domesticos eius* ? Adde, quod si paterfamilias tàm libenter probra tulit pro suis domesticis ; quanto magis domestici pro suo patrefamilias ? Tunc apparet qui sint ejus. Matt. 10. Ioan. 13. & 16.

III. PUNCTUM.

SIC igitur quem pro Christo sperni pudet, Christi pudet ; Quia videlicet eorum pudet, quæ Christus fecit & docuit, quod est erubescere Christum & Evangelium, quod est ipsum contemnere Christum Dominum, quasi non rectè fecerit & docuerit, quasi non sit rectum & glorioſum quod docuit, quasi non satis multa fecerit & passus sit, ut me hoc doceret vel moveret ad praxim. Quære à Domino, cur tale probrum sustinere voluit ab Herode, respondebit profectò se propterea sustinuisse

ut te suo instrueret exemplo ad simile quidpiam tolerandum, si quod tibi contingeret, seque ità judicasse hoc tam potens esse motivum, ut licet alioquin difficile sit homini probrum ferre, tamen propter istud exemplū, quod edidit, difficultas omnis sit perrumpenda. Jam verò si te interroget Christus, cur non utaris hoc exemplo, cur non ad imitationem Domini tui, libentius patiaris te sperni; quid respondebis, nisi quod non putas hoc sufficere ad te permovendum, non sentis te inde satis excitari nec persuaderi; quidquid egerit, quidquid passus sit contra appetitum naturalem, plus tamen semper valere appetitum tuum, quàm quod fecit & passus est; & idcirco te non posse ipsum imitari.

Hoc certè unum est, quod respondere possis, si verè velis respondere, aut quidquid dicas, hoc unum actio & vita tua loquitur. Hoc autem ira Christo respondere & loqui, quid est aliud, quàm ipsum spernere? Nam vel revera credis non esse sufficiens hoc Christi exemplum, ad te permovendum: vel non credis quod dicis, & fateris esse sufficiens. Alterutrum è duobus fatearis oportet: si primum, manifestè contemnis & condemnas eius judicium, quo judicavit satis se facere ad te excitandum; erravit si non erras. Quod si alterum produceis, te nempe non differri satis esse factum & plusquam satis à Domino; Quæro abs te, cur ergo non idem præstas, cur dicis te non inde satis esse permotum, cur denique nihil apud te valet eius exemplum? Quid respondere poteris, nisi quod, sive sit satis validum, sive non; nihil cures & movearis, quia sensus & mundus contrà repugnant, quibus magis defers quam Christo? At porro quid est Christum contemnere, nisi hoc sit? *Et vos inhonorastis me!* Ioan. 8.

Et certè, si attentius considerare velis, cur Herodes cum suo exercitu, curque modo etiam mundus spernat Christum, videbis te eâdem prorsus de causa contemnere ejus exemplum. Quid est, quod movit Herodem contra Christum? Quid est, quod mundanos excitat ad regupianda illa, quæ sunt Christi, nisi apparentia illa exterior, quæ est contraria humanis sensibus & communi ac usitato modo agendi inter homines? At nonne illud est, unde te pudet? si enim quod objicitur tibi probrum, tantum à pueris, ab insanis, aut simili hominum genere objiceretur, nec propterea desineres esse in existimatione & honore apud probatos quosq; viros, nonne jam cessaret & probrum & pudor? Quod ergo te illa commovent, inde est, quia honesti contrà homines sentiunt, contrà mundus repugnat, & sensus humanus; Ac proinde concludas necesse est, te non minus contēnere Christum hoc infami pudore, quàm ipse mundus suis aliis contemnendi modis, licet apertiores forte sint & magis expressi.

Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput. Nemo de bona sui opinione velit quidquā detractum: de Christo malit potius ut malè cogitetur, quàm de se. O humanæ mentis perversitatem! Quàm rectè monet Apostolus; *Nemo se seducat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus sit ut sit Sapiens: sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum; & iterum, Dominus novit cogitationes sapientiū quoniā vanæ sūt: nemo itaq; glorietur in hominibus.* Ps. 21. 1. Cor. 3.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Iam die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat. Ioan. 7.

VERITATES PRACTICÆ.

Mea doctrina non est mea.

Nulla re homo quantumvis gloriosa, gloriari potest.

In 1. parte, Feria 3. hebdomadæ 2. in Adventu: Hîc & aliæ similes.

Interrogatus quid primum in præceptis Christianæ religionis observandum, quid secundum, quid tertium? Responde Humiliratem.

In 4. parte, Feria 6. hebdomadæ 16.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina.

Si

Si non agis, quod velit Deus, hoc unum infame habes, quod respondeas: Nolo, non placet.
In 4. parte, Feria 5, hebdomadæ 18.

Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui.
In 2. parte, Feria 2. Pentecostes, Vbi quàm aptè ad Christi verba de facienda Dei voluntate, ad cognoscendum & plenius intelligendum, hæc Veritas referatur, patet explicatum.

NOLITE iudicare secundum faciem; sed iustum iudicium iudicate.
Apparet quàm sis ipse judicandus, qui de rebus ut apparent, judicas.
In 4. parte, Feria sexta hebdomadæ 18.

Mendaces filij hominum in stateris, si res non pendunt Cœli pretio.
In 3. parte, Die 21. Iunii.

FERIA QVARTA.

CHRISTVS BARRABÆ COMPARATVS, & postpositus.

Congregatis illis dixit Pilatus, quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum, qui dicitur Christus?
Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabam. Matth. 27.

VERITAS PRACTICA.

Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

RATIO EST. *Quia quò quis inferior est in ordine hominum, eò propius accedit ad Christum, qui est postremus illius ordinis.*
Sed quò quis propius accedit ad Christum, eò est superior seu maior in ordine, ubi Christus est primus, & qui Christi dicitur.
Ergò quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior & maior est in Christi ordine, qui quantò est præferendus alteri ordini, tantò expedit ex postremis huius esse, ut sis ex primis Christi Domini.

I. PUNCTUM.

QUOD singuli Evangelistæ referunt de hac ignominiosa Comparatione, sic in unum contextum digeri potest, cui considerando conformes affectus applicentur. *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum & magistratibus, & plebe, dixit ad illos; Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis: sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei: emendatū ergo illum dimittā.*

Per diem autem solemnem consueverat præses Matt. 27.
populo dimittere unum vinctum, quem voluis- Ioan. 18.
sent, habebat autem tunc vinctum insignem, qui Marc. 15.
dicebatur Barrabas, qui erat latro, & qui in seditione fecerat homicidium. Congregatis ergo illis dixit Pilatus; Quem vultis dimittam vobis? Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis ut peterent Barrabam, Iesum verò perderent. Respondens autem præses ait illis, Quē vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabam Dicit illis Pilatus, quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes, crucifigatur; Ait illis præses, quid enim mali fecit? at illi magis clamabāt dicētes, crucifigatur. Pilatus autē volēs populo satisfacere, dimisit illis Barrab.

Hæc ad verbum Evangelistæ, ubi expende, quod, quando sola fuisset comparatio cū tali viro, qui erat insignissimus eorum, qui tum vincti erant, non poterat non esse ignominio-

minioſiſſima Chriſto; quantò magis autem cum illi poſtpoſitus eſt & indignior judicatus, cui gratia præſtaretur! ô humana Iudicia!

Matt. 20. ô quam longè à divinis remota! *Erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.* Verè hoc uſurpari poteſt, quando agitur de præferentia inter homines: nam qui ſecundum æſtimationem humanam & mundanam ſunt primi, ſecundum divinam & æternam ſunt noviſſimi; ut è contra, qui ſunt noviſſimi ſecundum mundum, ſunt primi ſecundum Deum.

Quod ut melius intelligas, & accuratius propoſitam hic Veritatem expendas, propone tibi ob oculos mētis, omnes homines ſic uno ſingulatim ordine incedentes, ut qui eundo erunt primi, redeundo ſint poſtremi. Sit verò ille hominum ordo ita confectus, ut eundo unuſquiſque tantum præcedat aliis quantum habet ambitionis & mundanæ cupiditatis. Hujus ordinis primus & veluti Moderator eſto ille rebellis Angelus, *qui ſimilis voluit eſſe*

Iob 41. *Altiſſimo*, & qui propterea, *Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ dicitur.* Poſtremus autem Ille erit, *qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit*, ut non tantum eſſet homo, ſed &

Iſ. 53. inter omnes abjectus, *deſpectus: & noviſſimus virorum.* Hic eſt igitur ordo ſecundum mundum, prout hic intelligitur, in quo ne miteris poni Chriſtum, cum ſupponamus omnes homines eo comprehendi.

Verùm jam, pro reditu, concipiamus hunc ipſum ordinem ita converſum, ut qui poſtremi erant, fiant primi; ſitque ordinis ductor Chriſtus, ac proinde ordo Chriſti vocetur. Profectò hinc apertiſſimè patebit Veritas, ut quò quis inferior eſt in ordine hominum, eò ſit ſuperior ſeu major in Chriſti ordine: Quia quod eſt primo expendendum, quò quis eſt inferior in ordine hominum, eò propius ad Chriſtum accedat neceſſe eſt, quod Chriſtus ſit hujus ordinis ultimus, ac proinde quo quis eſt poſterior, eum contingat propius. Nonne eſt ita? quid clarius? Unde ergo cæcitas illa, qua nolumus ex poſtremis eſſe, cum nihil ſit amabilius quam prope Chriſtum eſſe, etiamſi nihil aliud conciperemus quam iſtam propinquitatem? Reſponde & erubeſcere.

II. PUNCTUM.

SED quò quis propius accedit ad Chriſtum, eò eſt major & ſuperior in ipſius Chriſti ordine.

Nam cum Chriſtus ſit ſui ordinis primus, quis non videt eò quemque aliis priorem ſeu ſuperiorem eſſe, quò prius illum ſequitur? *Dic* Matt. 20. *ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Nempe intelligebat illa Mater, quæ ſic Chriſto Domino loquebatur, tum filios ſuos fore aliis ſuperiores quò ei propius adhærerent. Hinc Chriſtus Dominus: *Si quis mihi miniſtrat, me* Ioan. 12. *ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus*, illo ſcilicet honore, ut quò mihi miniſtrat fidelius, mihi accedat propius; & qui mihi propius accedat, eò aliis glorioſius antecedat.

O avidum gloriæ pectus quò anhelas & fatigaris? Cur non ad Chriſtum curris, ubi eſt vera gloria? Non dolet Chriſtus quod quæras gloriam; ſed quod eam quæras, *quæ ab ho-* Ibid. 5. *minibus datur, non quæ à ſolo Deo eſt.*

III. PUNCTUM.

QVO quis igitur erit abjectior in hoc mundo, ſi ſuam abjectionem amet, & quo quis erit inferior in ordine hominum, ſi contemptum ſuum Chriſtianè ferat, eò erit major & glorioſior in Chriſti ordine; cùm ſic ad Chriſtum propius accedat, & in illo acceſſu ſit tota gloria. Hoc egregiè figuratum in antiquis illis Patribus, quorum natu minores prælati ſunt ſuis majoribus fratribus. Sic Iſaac major Iſmaele factus eſt: ſic Iacob major fratre ſuo Eſau; ſic Ioſeph major Rubeno: & Ephraim major Manaſſe: ſic David & alii in Scriptura memorantur ex inferioribus ſuperiores evaſiſſe, ut qui erant noviſſimi, fuerint primi.

Hoc verò eſt, quod apertiſſimè Chriſtus Matt. 18. Dominus in perſona parvulorum docuit, quos ad ſe venire juſſit, quos amplexus eſt, & miris modis ſibi conjunctiſſimos declaravit, ac tandem edixit eum fore majorem in regno & in ordine ſuo, qui eſſet virtute & animo, quod hi pueri erant ætate. Sic ipſe Chriſtus non aliter aſcendiſſe dicitur quam quia deſcendit. *Quod aſcendit*, inquit Apoſtolus, *quid* Epiſt. 4. *eſt niſi quia & deſcendit, primum in inferiores*

partes

Hebr. 2. *partes terræ.* Itemque alibi: *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Sic beatissima Virgo prius se ancillam dixit quàm esset mater, ut esset prima post Christum quæ se postremam fecerat. Sic sanctus Ioannes Baptista, priusquam diceretur major inter homines, se infimum dixit, & indignum, qui vilius exhiberet officium Luc. 3. Christo; *Non sum dignus*, inquiebat, *solvere corrigiam calceamentorum eius.*

Sic à primo ad ultimum, aut potius ab ultimo ad primum, agnosces ordinem gloriæ & honoris, ut quò quis se sponte demiserit, aut se aliunde humiliatum voluerit, eo magis exaltatus & sublimatus fuerit. *Gloriam præcedit humilitas*, ait Sapiens. Tu ergo qui quæris gloriam, quomodo non amas humilitatem, aut si humilitatem amas, quomodo fugis humiliationem, in quâ unâ probatur vera humilitas? Non sic Christus, non sic; qui se omnium infimo posthabitum vidit! *Beatus qui ubique te ducem habet Domine Iesu, non illum refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, & tota Divinitatis dextera percussus est. Nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ, sequamur te, per te, ad te, quia tu es Via, Veritas, & Vita: Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in præmio.* Sic aptè sanctus Bernardus. Pr. 15. Serm. 2. de Asc. Dom.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Cæco nato. Ioan. 9.

Vide in 4. parte, hebdomadam vicesimam, quæ tota de illo est per singulas Ferias.

FERIA QVINTA.

CHRISTVS FLAGELLATVS.

Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit. Ioan. 19.

VERITAS PRACTICA.

Quæ duo Infidelem à Christo avocant, dolor & ignominia; Fidelem ad Christum vocant.

SENSVS EST, Quod sicut Infideli nihil videtur miserius quàm ignominia simul & pœna, quæ in Christo præsertim apparent, & à quo proinde Ille avocatur: Sic fideli Christiano nihil est beatius quàm illa duo, propter quæ idcirco magis Christo adhæret.

RATIO est, quia propterea infideli nihil his miserius videtur quòd de rebus judicet per rationes humanas, secundum quas ita judicatur.

Sed fidelis Christianus non ita de rebus judicat, sed potius per rationes æternas, secundum quas nihil est beatius quàm ignominia & pœna fortiter tolerata.

Ergo sicut Infideli nihil illis miserius, sic fideli Christiano nihil beatius; & sicut ille inde à Christo recedit longiùs, sic idcirco fidelis accedit propius.

I. PUNCTUM.

CVM, ut ait sanctus Lucas, *Iudæi instarent contra Christum, vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, & invalescerent voces eorum:* Pilatus nondum quidem propterea contra conscientiam voluit innocentem damnare morte, sed contra omne jus damnavit virgis; Si enim est innocens, cur flagellabitur? Sic videlicet multi nollent eum lethaliter offendere, sed in levioribus quas putant, culpis, non verentur. *Tunc ergo*, inquit sanctus Ioannes, *apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Id est, jussit flagellari, vel ipse primus flagellum impegit. Luc. 23. Ioan. 19.

Cogita quàm crudele simul & ignominiosum

nioſum ſupplicium ! denudatur Agnus ille manſuetiſſimus & caſtiſſimus coram turba procaciſſima ; columnæ alligatur, parantur flagella cujuſcunque modi; Lictoribus ſpondentur præmia, hominem ut dilanient ; certatim in tenerrimum corpus contenditur ; ſanguis undique defluit, venæ diſſecantur, arteriæ comprimuntur, nervi franguntur, caro
Iſ. 3. tota diſſolvitur, oſſa ipſa conteruntur, *Iam non eſt ſpecies neque decor*, ut prædixit Iſaias, *& vidimus eum & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem ! & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quaſi leprosum, & percuſſum à Deo & humiliatum.* Hæc putatur fuiſſe intentio pilati, ut in miſerrimum, qui effici poſſet, ſtatum coniiceretur, quo ſatiari poſſent Judæi, & retardari ne ultra pergerent ad perendam ejus mortem. Sic ergo factum eſt ut juſſit præſes, quidquid humana & diabolica induſtria cogitari & fieri potuit ad dilacerandũ corpus, cogita in id totũ eſſe conflatum, & recogita quouſq; tandẽ crudelitatis devẽtũ ſit!

Quis verò tum boni Jeſu animus, quæ cogitationes, quæ patientia ! quæ magnanimitas, quæ de te intentiones! Nempe te in mente tum habebat, tua peccata expiabat, tibi remedia & exemplum parabat, ut ſi quando incideret ſimilis caſus ignominiæ cum pœna conjunctæ, diſceres quo animo ſufferenda. Habeto illi gratiam & pete lumen ad hanc eminentiſſimam totius Chriſtianæ profectionis Veritatem, quæ tibi nunc proponitur clarius cognoſcendam : *Qua duo ſcilicet, infidelẽ à Chriſto avocant, dolor & ignominia, quibus nihil miſerius reputat infidelis : illa ipſa duo Fidelem ad Chriſtum magis vocant, quibus nihil beatius & optabilius credit Chriſtianus.*

Quid eſt enim cur infidelis ita judicet ? nempe quia judicat ſecundum faciem, ſecundum apparentiam externam, ſecundum ſenſum naturalem, ſecundum rationes humanas, ſecundum præſentem vitam, in qua conſideratione non eſt dubium, quin talis ſtatus ſit omnium miſerrimus, quia nihil eſt, quod magis adverſetur carni & ſanguini, quæ eſt regula judicij, quod infidelis & carnalis format de rebus hujus mundi, ſicut ait ſanctus Auguſtinus : *In homine carnali tota regula intelligendi, eſt conſuetudo cernendi. Sed væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nonne tu ſic in multis judicas? Iſ. 5.

II. PUNCTUM.

SED fidelis Chriſtianus de rebus non ita iudicat, ſed potius per rationes Evangelicas & æternas à Chriſto Domino inſtitutas, ſecundum quas nihil gratius quàm ita pati.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, inquit Apoſtolus, poſtquam dixit, *in omnibus tribulationem patimur ſed non anguſtiamur : aporiamur, ſed non deſtituimur : perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur ; humiliamur ſed non confundimur : dejicimur, ſed non perimus : ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris ;* Et poſt pauca ; *propter quod non deficimus, ſed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis : non contemplantibus nobis quæ videntur. Quæ enim videntur tẽporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt Scimus enim quod ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* 2. Cor. 4.

Ex quibus verbis, tria habes ad rem noſtrã valde accommoda; primum qualis eſſet Chriſtianorum vita, de omnibus enim loquitur Chriſtianis viventibus. Secundum, qualis eorum animus in tam miſero vivendi genere, quàm fortis, quàm conſtans & alacer. Tertium denique eſt, unde pateretur tantâ conſtantiâ, nempe ex conſideratione æternorum, quibus promerendis ſicut nihil propius & aptius quàm pœna & ignominia, ſic iſtis doloribus conſtanter perferendis nihil potentius quàm æternorum conſideratio. Quiſquis enim ex hac Æternorum conſideratione res metitur, ſic ratiocinatur & judicat ; Media participant rationem finis, & eò magis participant quò certiora ſunt media ; Atqui finis noſter eſt beatitudo æterna, media autẽ, quæ propius & certius attingunt illum finem, ſunt ignominia & pœna ; ergo ipſa ſunt beata : ergo nihil beatius quam in ipſis conſtantem eſſe. Sic apertè Chriſtus Dominus & verbo

Vide in 1. parte, in festo sancti Andreæ.

verbo & exemplo; *Beati qui persecutionem patiuntur, Beati cum maledixerint vobis homines.* Nulla est pagina Evangelii quæ non id tonet; nulla Christi Domini actio quæ non id confirmet. Et in his adhuc nutas, adhuc dubitas, adhuc te miserum dicis, ubi Evangelium te beatum clamat! ubi est fides tua?

III. PUNCTUM.

Sicut ergo Infideli, qui res ex sensu tantum humano metitur, nihil apparet miserius quam ignominia simul ac pœna, & proinde à Christo retrahitur: sic è contra, fideli Christiano qui de rebus aliter judicat, ex regula scilicet æternorum, & ex Evangelio Christi, nihil credit illis beatius. Quia beatos faciunt seu disponunt proximè ad veram beatitudinem, quâ dispositione & statu nihil beatius in terris æstimari potest, ac proinde tanto magis ad Christum attrahitur qui totus in illis est. Unde enim pecunia, commoditates, honor, voluptas, & alia quæ naturali appetitu concupiscuntur, putantur esse bona, nisi quia beatos faciunt in hac vita? *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Cur nō igitur meliori jure ignominia & pœna in bonis censebuntur, cùm tam verè beatos faciant quam verè una est beatitudo æterna, quæ inde certius comparatur? Si verè beata posset esse hæc vita, seu si beatitudo vera hic esset, vera essent bona quæ beatam hanc vitam facerent: sed cùm nulla sit talis beatitudo, restat sola hic esse verè bona, quæ solum veram beatitudinem, id est æternam & cœlestem attingunt, donec ea perfruamur.

Cor. 4.

Ps. 144.

Si in hac vitâ tantum, inquit Apostolus, *in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; sed in æterna spes nostra sita est, unde & Beatiores sumus. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, ait idem, *non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*; Quasi diceret, ut explicat sanctus Bernardus, gloriamur in tribulatione sicut in ipsa gloria, quia in tribulatione spes gloriæ, imò & ipsa gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*: Vel si seminatur in gloria; surget in ignobilitate. *Mutaverunt gloriam suam!*

1. Cor. 15. Rom. 5. Serm. 17. in Ps. 90. 2. Cor. 15. Ps. 105.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Adolescente mortuo suscitato in Civitate Naim. Luc. 7.

Videri debet Dominica 15. post Pentecosten, quæ est prima quartæ partis, ubi hoc idem Evangelium proponitur, atque inde sex Veritates Practicæ colliguntur.

FERIA SEXTA.

CHRISTVS PER LVDIBRIVM, Rex & Homo dictus.

Ecce homo.
Ecce Rex vester. Ioan. 19.

VERITAS PRACTICA.

Sic prudenter cavendum, ne vituperetur Ministerium tuum; ut si nimis id caves, non satis caveas.

RATIO EST, Quia non satis caves, si cum offensione caveas.
Sed si nimis caves, non nisi cum offensione caves.

Ergo ne quid nimis, ne quid simul non satis sit: Ac proinde sic cavendum, ne vituperetur ministerium tuum, ut si nimis caves non satis caveas; & tu ipse magis illud vituperes.

I. PUNCTUM.

FLagellationem hæc proximè secuta sunt, quæ narrantur ab Evangelistis, *Tunc mili-* Matt. 27.

tes prasidis suscipientes Iesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis, posuerunt supra caput eius, & arundinem in dextera eius: & genuflexo ante eum, illudebāt ei dicentes. Ave Rex Iudæorum: & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Quæ quidem peracta sunt à militibus in prætorio, sive in interiori quadam domus parte, unde

Ioan. 19. ad se Pilatus Christum evocavit: *Et exiens iterum foras dicit Iudæis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam in eo invenio causam. Exivit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum, & dicit eis:* Ecce Homo. Ac post multos ultro citroque sermones, qui à sancto Ioanne referuntur, iterum dicit eis, Ecce Rex vester: *Illi autē clamabant, Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices, non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Ex quibus vides, quantam in sua potissimùm regali Dignitate Christus Dominus sit passus, ignominiam; & quale nobis exemplū dederit in simili opprobrio, si quod unquam contingat, tolerando. Dicitur autem simile opprobrium, quod Conditionis nostræ statum, seu Vocationem aut Officiū, & Ministerium particulare spectat, qualis esset Superioris domus, Sacerdotis, Concionatoris, Confessarii, Religiosi, aut Laici, & cujusvis Magistratus sive Dignitatis. Tum præcipuè sensibilis est ignominia, & eò minus ferenda videtur, quò minus personam nostram tangit quàm Statum sive Officium, in quo scilicet honorifice conservando, ad gloriam Dei, & proximi ædificationem nobis laborandū esse putamus, Atq; hinc fit ut, dum de illato probro dolemus & nimis satagimus, nobis palpemus, quasi simus tantum solliciti de honorificando ministerio, cùm revera de honore aut alio commodo nostro magis angamur. Quamobrem attentè tibi hæc consideranda

2. Cor. 6. Veritas: *Quod sic prudenter cavendum est ne vituperetur ministerium tuum, ut si nimis id caveas, non satis caveas.* Non enim satis caveas, si cum offensione caveas, ac propterea expressè dicitur ab Apostolo, *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*, ad quod ita obligaris ex officio, ut non

2. Tim. 2. liceat tibi te infamare cum scandalo. *Nā oportet esse Operarium inconfusibilem, & ita irreprehensibilem, ne quod offendiculum ponas Evangelio*, vel Divinæ providentiæ, quæ per te regit alios, nisi per te obsit, quo minus regantur. Obesset autem offensio, quā illis dares propter quam minus facile regerentur. *Væ mundo* Matt. 18.
à scandalis. Væ homini illi per quem scandalum 1. Tim. 4.
venit. Exemplum *esto fidelium. In omnibus* Tit. 2.
præbe te exemplum bonorum operum.

III. PUNCTUM.

SED, *si nimis caveres ne vituperetur ministerium tuum, non nisi cum offensione caveres.*

Illud enim *nimis* significat excessum aliquem, quo impatientiam, superbiam, æmulationem, invidiam, aut alium similem inordinatum affectum indicas, quo non minus offenduntur subditi, vel quivis sæculares, quàm alio depravato motu vel aperto vitio. *Nam* Eccles. 10.
odibilis est coram Deo & hominibus superbia: præcipuè verò in Sacerdotibus, in Prælatis, aut Superioribus cujuscunq; ordinis, quibus exprobratur, *Cur elevamini super populum Do-* Num. 16.
mini? multum erigimini filii Levi. Gloriam Osee 4.
eorum in ignominiam commutabo: Testimonium *perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiā. Ignorantes enim* Rom. 10.
justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Quæ Apostoli verba in hunc sensum commodè trahi possunt, ut si ex nimio illo affectu honorificandi ministerii tui; non possis ullum probrum aut injuriā pati, rectè dicatis ignorare Justitiam Dei, id est, Divinam Providentiam, qua factum est, ut probrum aliquod tibi inferretur, tum ad salutem & perfectionem tuam, si patienter illud feras: tum ad aliorum ædificationē, quæ ex patientia tua & humilitate tua relucebit. Unde idem Apostolus: *sive tribulamur pro ve-* 2. Cor. 1.
stra exhortatione & salute: Et postquam dixit, *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*, statim adjungit, *sed* 2. Cor. 6.
in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus &c. per arma justitiæ, à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces: sicut qui ignoti & cogniti: Quo quidem in statu, sicut illi plurimum ædificabant & promovebant suos ad cultum Dei, sic planè tu tuis vitiis oppositis scandalizas & offendis, si quos habes

subditos

Rom. 14. subditos vel spectatores tuæ superbiæ. *Noli cibo tuo*, noli superbia, noli impatientia tua, *illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Noli propter escam destruere opus Dei.*

III. PUNCTUM.

SIC prudenter ergo tibi cavendum est, ne vituperetur ministerium tuum, ut, si nimis id caveas, non satis caveas; & tu ipse illud magis vituperes & probrosum reddas per nimiam illam sollicitudinem, quæ mera est superbia seu ambitio, quàm si aliam dares offensionem. Hoc est, quod præsertim in Pharizæis carpebat Dominus, *Væ vobis quia diligitis primas cathedras. SED væ nobis miseris*, inquit S. Luc. 11. Hieronymus, *ad quos Pharizæorum vitia trãsierunt.* Præclarè verò sanctus Gregorius: Hom. 17. in 10. Luc *Nullum puto ac aliis maius præiudicium quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Nulla animarum lucra quarimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum.*

Non sic Christus, non sic Apostoli, quorum certè non minus intererat quàm tua refert, suam tueri authoritatem suumq; decus. *Sed tempus est acquirendi & tempus perdendi.* Eccl. 3. Quod videtur aliquando pro Christo perdi, melius suo rempore per Christum invenitur. Si quid pro suo munere respondendum: *Cum modestia & timore*, inquit S. Petrus, *conscien-* 1. Pet. 3. *tiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem: melius est enim benefacientes, si voluntas Dei velit, pati, quàm malefacientes, quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis:* de quo propterea dictum est: *ECCE HOMO*, Id est, exemplar omnium hominum, *ECCE REX VESTER*, cui scilicet subditi conformandi; Nunquam certè excellentius Rex & Homo Christus est dictus, quam cùm sic per ludibrium Rex & Homo dictus est, quia sic ipse subditus Deo Patri, nos sibi subjiciebat, nos illam docendo subjectionem, in qua tota est excellentia hominis qui alios regit.

Cave autem ne opere dicas, quod Judæi ore clamant: *Tolle, tolle, non habemus Regem nisi Cæsarem.* Tu verò, nisi Mundum aut appetitum. *Nos habemus legem*, inquiebant, *& secundum legem nostram debet mori*: Mentiebantur, sed mundus & appetitus habent legem, legem carnis, legem membrorum, secundum quam Christus debet in illo corde mori, quod ex illa lege vivit & movetur. *O* Eccles. 41 *mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

***Ad Evangelium, de Lazaro infirmo, mortuo, & suscitato.* Ioan. 11.**

DE his tribus Lazari statibus, proponuntur distinctæ Veritates, tribus primis Feriis hebdomadæ vicesimæ quintæ post Pentecosten, in quarta parte.

SABBATO.

CHRISTVS A PILATO EX Humano respectu condemnatus ad mortem.

***Pilatus volens populo satisfacere, tradidit Iesum flagellis cæsum ut crucifigeretur.* Marc. 15.**

VERITAS PRACTICA.

Humanus respectus, inhumanus Christi despectus.

RATIO supponit duo per se satis nota: primum, quod respectus humanus sit, quando consideratione personarum, quibus place-

re cupimus aut displicere timemus, omittimus vel committimus aliquid contra conscientiam.

Alterum est, quod hic respectus, tùm inhumanus censeri debeat esse Christi despectus, cùm ex communi omnium sensu tam iniqua est & iniusta personarum quibuscum Ipse Christus confertur & posthabetur acceptio; ut nulla sit in humanis iniquior. Quibus præsuppositis ut apertè manifestis, supereſt declarandum, quod in humano respectu talis reperiatur acceptio personarum. Sic autem declaratur:

PERSONARVM acceptio eò est iniquior, quò personæ de quibus agitur magis inter se differunt, & quò indignior illa est, quæ præfertur.

Sed in humanis non reperitur tanta differentia personarum seu talis indignitas eius personæ quæ præfertur, quàm in humano quovis respectu.

Ergo non est iniquior personarum acceptio quàm respectus humanus; ac proinde verè inhumanus est Christi despectus, & pluſquam caveri solet, cavendus.

I. PUNCTUM.

TAMETSI Judæorum improbitati sive importunitati potest attribui, quòd Pilatus innocentem Dominum condemnarit; tamen oportuit in illa importunitate aliquid interveniſſe, quo permotus fuerit ad hanc decernendam condemnationem, cui tã constanter restiterat. Nihil autem aliud apparet accidisse quàm timorem seu respectum humanum, quando scilicet illi dictum est à Judæis de Christo, quod Filium Dei se fecit
Ioan. 19. & Regem; *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Tunc enim auditis his sermonibus expressè refertur ab Evangelista, Pilatum magis timuisse, & statim sedisse pro tribunali, sententiam mortis laturum, ac tandem tradidisse Judæis Iesum, ut crucifigeretur. Timuit ergo ne si populo non satisfaceret, accusaretur apud Cæsarem & male audiret apud omnes quasi homo timidus, vel ignarus, vel parum studiosus imperij; sicque partim cupiditate complacendi Judæis, partim metu displicendi Romanis, miser ille contra suam conscientiam, *adiudicavit fieri petitionem eorum,* nec aliâ mortis sententia refertur, quam
Luc. 23. *quod Iesum tradidit voluntati eorum.*

Quæ certè fuit non modò iniquissima sed & crudelissima sententia, cùm libertas relicta fuerit inimicis de Christo statuendi quod vellent. O dira cupiditas complacendi hominibus! O crudelis metus displicendi! ô human respectus de illa cupiditate metuq; conflati, quam potentes estis & ad omne facinus perpetrandum parati! Ecce hoc unum potuit permovere hominem ad condemnandum Iesum! Quod neque Pharizæi suis calumniis, neque Pontifices aut Sacerdotum Principes Marci 15. suis prætentis legibus, neque populus universus suis clamoribus extorquere potuit, unus obtinet respectus humanus! Timuit Pilatus Cæsarem, voluit populo satisfacere, & statim Iesus permittitur crucifigi.

Sed quid dicetur bone Iesu, quid de te sentietur cum auditum fuerit te sententia Iudicis condemnatum! hactenus innocentia tua licet multis calumniis appetita, tibi tamen servata est; nec quisquam nisi malevolus te accusavit aut condemnavit; Iam verò cùm in Iudicio apud Præsidem discussa fuerit tua causa, & re cognita damnatus fueris, quis te innocentem credet? Nonne est magis quod timeas quam Pilatus? Audi quid Christus tibi respondeat, Audi quàm contemnat istos respectus humanos, & quàm velit eos à te contemni, hac tibi modo proposita Veritate: *Quod humanus respectus sit inhumanus Christi despectus.*

Neque verò id tantum intelligas de humano illo respectu, quo Dominus à Pilato est judicatus, sed de quovis alio, qui frequentissimus est inter homines, & qui tam crudelis & inhumanus est Christi despectus, quàm est inter humanas illa iniquissima & injustissima personarum acceptio, quibus in humano respectu comparatur & posthabetur Christus. Quomodo autem talis acceptio personarum reperiatur in humano respectu, ut in humanis non sit iniquior, hæc aperta demonstrat ratio; Quia ex communi sensu & omnium rectè sentientium judicio, eò est iniquior personarum acceptio, quo personæ, de quibus agitur sunt magis differentes, & quò earum una quæ præfertur, longè est indignior altera. Sic enim magis fit contra Charitatem, cõtra iustitiam particularem, & contra commune bonum totius ordinis, civitatis, Regni, vel Ecclesiæ: unde in sacris scripturis mirum quantum hæc iniustitia proscribatur. *Nulla Deut. 1. erit.*

Levit. 19. *erit distantia personarum, ita parvum audietis*
Luc. 2. *ut magnum. NON consideres personam pauperis,*
De his sanctus Thomas 1. 2. q. 63. *nec honores vultum potentis. SI personas accipitis, peccatum operamini, arguet à lege quasi*
2. Par. 19. *transgressores.* Nōne in hoc sæpe peccasti præferens ditiores pauperibus, & te ab aliis præferri volens? *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium sed Domini, & quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit.*

II. PUNCTUM.

SED in humanis, non reperitur tanta personarum distantia seu tanta earum indignitas, quæ præferuntur, quàm in humano respectu.

Cum enim, ut jam præmissum est, respectus humanus nihil sit aliud, quàm ex cupiditate placendi vel metu displicendi hominibus, aliquod Christianum opus omittere, vel oppositum malum committere; profectò hinc patet homines præferri Christo; hæ sunt videlicet personæ de quibus agitur, Christus ex una parte, qui præcipit bonum aut vetat malum; ex alia verò mundus sive homines, quibus placendi cupiditas vel metus displicendi avertunt ab illo bono tenendo, ut impellunt ad malum. At nonne est tanta istarū personarum distantia, quantain humanis alia reperiri non potest? nonne si mundus præfertur Deo, præfertur persona tam indigna quā longè indigna esse potest præ altera, quæ posthabetur? quæcunque enim alia fiat comparatio personarum, aut quæcunque earum sit distantia, vel unius ad aliam proportio, tota tamen illa differentia finita est, & suis terminis circumscripta, cum fiat comparatio inter homines, inter creaturas, quarum alia quantumcunque aliam dignitate excedat, excessus ille tamen est determinatus; at inter Deum & hominem nulla prorsus est proportio sed infinita quædam distantia, quæ efficit ut, cum per respectum humanum præferantur homines Christo & Deo, id præferatur alteri, quod tam longè est indignum ut nihil longius, nihil indignius cogitari possit. *Cui assimilastis*
Is. 46. *me, aut adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* ait Dominus apud Prophetam. Responde, & erubesce.

Quando esset mundus universus, quid ille est ad Deum, nisi quod ait Sapiens? *tanquam* Sap. 11.
momentum stater & sic est ante te orbis terrarum, Is. 40.
& tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram; Sic & Propheta: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum staterę reputata sunt.* At certè non intervenit in illo respectu humano mundus universus, non Angeli, non Beati, non ipsi etiam homines sanctiores, doctiores, sapientiores, non milliones hominum, non millia, non centum, vix decem, vix unus aut alter; mera est plerumq; Imaginatio, timor nocturnus; Et tamen hunc aut alterum præfers Christo! præfers Deo! O indignitatem! Quis ut Deus! Quid tibi videtur de Christo?

III. PUNCTUM.

NULLA est igitur in humanis iniquior personarum acceptio, quam respectus humanus, cùm nulla sit personarum tanta distantia & tanta indignitas, quanta inter Christum & homines, qui per humanum respectum præferuntur Christo; qua in præferentia, cum crudeliter & inhumanè despiciatur Christus, quid est humanus respectus nisi inhumanus Christi despectus? *Tu repulisti & despexisti* Ps. 88.
Christum tuum. SERVIERVNT creaturæ potius quam creatori, DEVM qui te genuit, Rom. 1.
dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui: Deu. 32.
an te illa creatura nutrit, an illa tuus finis est? an tua compensabit opera? an aderit in necessitate? an in extremo judicio judicabit: *Ubi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Videte quod ego sim solus, & non sit* Ibid.
alius Deus præter me. Eccles. 6.

His & similibus cum Dei gratia te exacue, Ibid. 42.
ut ne deinceps extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua. NE accipias personam ut delinquas. HÆC locutus sum vobis ut Ioan. 16.
non scandalizemini.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Ego sum lux mundi, &c. Ioan. 8.

VERITAS PRACTICA.

Dum lucet, ambulandum: ne tenebræ fiant.

In 1. parte, Die 5. Ianuarij.

DOMINICA PASSIONIS.

Vexilla Regis prodeunt.

SI qui horum Regis noſtri vexillorum, quæ modò apertius prodeunt, expreſſi colores pingi aut fingi animo poſſunt, Candor, & Rubor dicendi ſunt, juxta illud Canticorum, *Dilectus meus candidus & rubicundus*: Id eſt, ſimul eſt Innocens & Patiens. *Talis enim nobis decebat*, inquit Apoſtolus, *ut eſſet Pontifex ſanctus, immaculatus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cœlis factus.* Neque nos aliter ſua redemit paſſione, quam quia paſſus eſt Innocens ſeu innocenter, citra omnem culpam. Neque nobis aliter in Exemplar ad imitandum proponitur, quàm ut innocenter Patiens, & patienter Innocens; ut nos ita diſcamus pati.

Cant. 5.

Hebr. 7.

Quamobrem hodie ſimul ac de illius Paſſione memoria celebrior excitatur, de illius etiam innocentia ſingularis habetur mentio, verbáque ipſa quibus olim ipſe Dominus ſuâ apud Judæos vitæ probabat integritatem, nobis exhibentur: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Quaſi nobis aperta voce diceretur, non eſt ſatis Chriſtiano pati, niſi patiatur innocens & innocenter: ſicut nec illi ſufficit eſſe innocentem, niſi libenter pro Chriſto patiatur, & pro ſua etiam ſarta tecta conſervanda vitæ innocentia. Quod ſaluberrimum documentum, ut altius animis noſtris infigatur, ſic viſa eſt ante alias, hæc Practica Veritas proponenda:

Joan. 8.

Nemo cum Chriſto candidus, niſi ſit ſimul rubicundus.

Nemo effectus candidus, niſi ſit affectu rubicundus.

Nemo actu ſatis purus, niſi actum puritatis ſuo ſit paratus tueri ſanguine, contra quodvis peccatum.

RATIO EST, Quia nemo eſt actu ſatis purus, niſi dum actu reſiſtendum eſt occurrenti cuivis peccato ſic reſiſtat, aut ſic reſiſtere ſit paratus, quantum quidem cum Gratia poteſt & debet.

Sed nemo eſt ſic paratus quantum poteſt & debet, niſi ſit paratus ad effundendum propterea ſanguinem, ſi ſit opus.

Ergo nec actu eſt ſatis purus, niſi actum puritatis ſuo ſit paratus tueri ſanguine contra quodvis peccatum, quod idem eſt ac, Nemo cum Chriſto candidus niſi ſit ſimul rubicundus.

I. PUNCTUM.

DE ſingulari vitæ innocentia, quam dicunt Impeccabilitatem, & quam omnes ita de Chriſto prædicant ut nullo prorſus modo peccare potuerit, fuſius dici poſſet; Nec omittendum quantis vel adverſariorum omnium teſtimoniis comprobetur.

En proditor Judas palàm ſe peccaſſe confitetur tradens ſanguinem juſtum. En omnes ſubornati teſtes convincuntur falſi teſtimonii. Judex nullam in eo prorſus invenit mortis cauſam. Centurio & qui cum illo erant crucifigentes eum, revertuntur percutientes pectora ſua, & dicentes: Verè hic homo juſtus erat. Quid certius ad Innocentiam, quàm cũ inimici ſunt judices? Sic ſingulariter juſtus & ſanctus ſanctorum à Prophetis dicebatur Chriſtus, *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus, Juſtus noſter*, id eſt, qualem poteramus expetere, ut eſſet noſtra Redemptio, noſtrumque Exemplar ſanctitatis conſervandæ. Quod ut propius imitemur, ſic oportet cũ illo eſſe candidos, ut ſimul etiam cum illo ſimus rubicundi, neque enim aliter Candor ſine rubore ſervari poteſt. Nemo aliter candidus, id eſt, amans puritatis probari poteſt, niſi ſit rubicundus; id eſt, niſi ſit paratus ad effundendum potius ſanguinem, quàm ſui candorem animi vel minima peccati labe coinquinari ſinat.

Dan. 5.

Jer. 23.

Quod

Quod quia plurimum facit ad verius exprimendam in nobis Dominicæ Passionis Imaginem, idcirco paulo attentius in ea Veritate perpendenda nos immorari convenit. Sic itaque declaratur: Nemo verè dici potest candidus, nisi qui verè amat eam puritatem, quæ omni peccato repugnat: nemo verò dici potest hanc verè amare puritatem, nisi sit paratus illam tueri & peccato resistere, quantum quidem cum gratia potest & debet, nam talis amor puritatis est voluntas firma, constans, & efficax non peccandi, aut nisi talis sit voluntas, non est talis amor puritatis, qualis hic intelligitur. Quid est verò efficacem habere voluntatem non peccandi, nisi sic esse paratum peccato resistere, ut nihil eorū prorsus, quæ debes & quæ potes, omittas ad tale resistentiam? *Facto perficite quod velle cæpistis*, inquit Apostolus, *ut quemadmodū promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis*: Quasi diceret, facite quod potestis, ut verè ostendatis vos verè velle; nam qui dicit se velle facere aliquid, quod tamen non facit, quando potest & quando debet; vult & non vult, sicut piger, qui vult quidem finem sed non media, sine quibus non potest ille finis attingi: sic autem velle non est simpliciter & absolutè velle: non est vera voluntas sed velleitas, inquit sanctus Thomas, id est voluntatis simulatio & quædam veluti larva. *Va rursus duplici corde & labiis scelestis*, quæ videlicet sibi fingunt & dicunt velle, quod non volunt.

2. Cor. 8.

Ps. 15.

1. parte q. 19. a. 6.

Eccles. 2.

II. PUNCTUM.

Rubr. 12.

SED nisi quis sit paratus peccato resistere usque ad sanguinem, non est paratus ei resistere quantum potest, & quantum debet.

Sic apertè Apostolus, *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes; nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes*: quasi id manifestè diceret, nondum fecistis, quod debetis facere contra peccatum, nisi usque ad sanguinis effusionem, & ad ipsam usque mortem contra pugnetis. Hoc enim debetis facere pro Christo & pro animabus vestris, quod ipse Christus propterea fecit, nō quod mortem adire debeatis, sed si mortis subeundæ vel peccandi occasio se obtulerit: mors potius subeatur quam peccetur.

Atque hic est literalis & germanus sensus verborum Domini: *Qui non accipit crucē suam & sequitur me, non est me dignus: qui amat animam suam, perdet eam*: & similium Christi dictorum, quæ sic explicat sanctus Augustinus: *cum ergo causa articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut de hac vita emigrandum, quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere: Ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam.* Itane odisti? itane odiendo custodis animam? *fælices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.*

Matt. 10. Ioan. 12.

Tr. 51. in Ioan.

III. PUNCTUM.

NEMO igitur potest esse cum Christo candidus, nisi sit simul rubicundus, Quo sensu dictum est, neminem posse verè dici amare puritatem illā, quæ omni peccato repugnet, nisi sit ita paratus contra omne pugnare peccatum, ut nec sanguini parcat nec vitæ; quia hoc est solum verè velle, si, quòd debes, facias; hoc autem tam verè debes, quam verè Deum debes diligere super omnia, & ex toto corde tuo. *Qui diligitis Dominum odite malum. PRO iustitia agonizare pro anima tua: & usque ad mortem certa pro justitia. MELIVS est enim mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Sic cum casta Susanna dicendum esset in quacunque peccandi occasione. Quàm verò pauci tales! Sat quidem multi mortem, quæ procul abest, videntur non timere, qui tamen aliquod malum sensibile sic reformidant, ut peccare malint quam se illis pœnis exponere! Nec dicāt, quod si de fide ageretur non sibi parcerent; nam ubi de peccato vitando agitur, perinde quodammodo censeri debet quantum ad fugam peccati, sicut si de fide res esset. Nam & revera de fide est, subeunda potius quævis esse damna quàm peccato consentiendum: & cùm propterea paratus ad mortem animus ab unoquoque petitur, petitur simul paratus ad alia quævis, quæ sunt morte leviora. Quam in rem revocanda huc Veritas quæ in 1. parte, ubi de sanctis Martyribus, proponitur.

Ps. 94. Eccles. 4. Dan. 13.

Sicut ne pereat fides, perdenda est Martyrio vita naturalis: sic ne pereat fidelitas, perdenda est mortificatione vita sensualis.

A Cruce autem velut vexillo militari, mirum quantum excitari possis ad pugnandum contra repugnantes quosque naturæ corruptæ motus. Sic enim Fides, Ratio, & ipse Sensus simul concurrunt, unde *triplex ille funiculus efficitur, qui difficile rumpitur.* Fides quidem in Christo passo ad exemplar nostrum; Ratio autem, quod cũ Rex noster sit, qui nos præcedit in pugna, planè congruum est, ut eum propè sequamur; Sensus denique, cùm ipsa crux, & qui in ea pendet Christus, oculis ubique objiciatur, ut verè possimus *esse aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum*: quem & possimus audire dicentem nobis, quod Gedeon suis: *Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini.* Tu verò illi respondebis, quod Ethai ad Regem David; *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Adde & quod Gerson. *En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis, sequamur viriliter, nemo metuat terrores, simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à cruce.*

Ecclesi. 4. Hebr. 12. Iud. 7. 2. Reg. 15. L. 3. o. 56.

Videnda etiam esset hæc Veritas:

Expediret nullo die velle vivere, quàm non omni die velle cum Christo mori.

In 3. parte, Feria 5. hebdomadæ 2.

ALIÆ porrò Veritates, quæ ab Evangelio peti possint, hæ sunt, cohærenter ad præcipuas Evangelicæ narrationis partes.

QVIS ex vobis arguet me de peccato?

Nulla, nisi primaria, satis esse potest cura de peccatis evitandis.

In 4. parte, Dominica 18.

SI Veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

Si quid nos revocat à doctrina Christi, vel ob id maximè recipienda est.

In 1. parte, Feria 6. hebdomadæ 2. post Epiphaniam.

QVI ex Deo est, verba Dei audit.

Non est prius intelligendum ut credas, sed primò credendum est, ut possis intelligas.

In hac 2. parte, Feria 2. hebdomadæ 4. post Paschæ.

PROPTEREA vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Qui non audit, non audietur.

In 3. parte, Dominica undecima.

EGO dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.

Quò quis est mitior, eò & generosior.

In hac 2. parte, Feria 3. hebdomadæ 2. Quadragesimæ, ubi passim de contemptu sui, ac iniuriis sufferendis.

ET vos inhonorastis me.

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes comparentur, plus nostris vitiis inhonoratur Dominus, quàm nostris virtutibus honoretur.

In 4. parte, Sabbato hebdomadæ 19.

EGO non quæro gloriam meam; Est qui quærat & iudicet.

Hic erit verè maximus, qui verè est minimus.

In hac 2. parte Die 2. Aprilis. Et passim de Humilitate.

SI quis sermonem meum servaverit, usque ad mortem scilicet, *mortem non videbit in æternum.*

Cæteræ pugnant Virtutes, sola vincit Perseverantia.

In hac 2. parte, Feria 5. hebdomadæ 3. Quadragesimæ.

SI ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

Licet obtineres quod ambis, non esset contendendum: At verò licet contendas, non obtinebis.

In hac 2. parte, Sabbato Septuagesimæ, Vbi de contentione ad gloriam agitur.

Hæc

HAC HEBDOMADE, quæ dicitur Passionis, quidquid à prætorio Pilati, usque ad Crucifixionem in Calvaria monte, & ipsam crucis erectionem, gestum est, ita consideratur; ut in unaquaque consideratione aliquod fulgeat Crucis mysterium, id est, ex ipsa re nota & manifesta, quæ geritur, alia quædam latens gerenda eruatur, & inde ad praxim Veritates formentur.

FERIA SECVNDA.

CHRISTUS OBLATAM A JUDÆIS Crucem accipit.

Iesum tradidit voluntati eorum. Luc. 23.

VERITAS PRACTICA.

Non quæsitæ Cruces, sunt magis exquisitæ.

RATIO EST, quia cruces, quæ purius mortificant & alios crucis ferendæ fines melius inducunt, sunt magis exquisitæ.

Sed non quæsitæ cruces, crucis ferendæ fines melius inducunt.

Ergo sunt cruces magis exquisitæ: Ex qua conclusione nonnullæ aliæ Veritates Practicæ deducentur.

I. PUNCTUM.

CUm supplicium crucis non nisi Latronibus & Homicidis ex lege Judæorum decerneretur, quid est, quod Christo crucem parant, qui horum neutro crimine ab eis unquam fuit accusatus? Vix alia reddi causa potest, nisi quia hoc supplicii genus erat crudele, ignominiosum & lentum, sicque sperabant infensi ejus hostes, illum facilius posse proponere populo deridendum, cum maximè duo alii latrones simul essent crucifigendi: *Morte turpissima, inquiebant, condemnemus eum.* En ergo Dominus Jesus voluntati eorum traditus, non modò mortem non recusat, sed nec ipsum mortis genus, nec quantumlibet gravem & ponderosam Crucem, quam ejus imponunt humeris ad locum usque supplicii bajulandam.

Sap. 2.

Hìc hodie consistamus, & primum crucis mysteriũ evoluamus, quò erudimur ex multis crucibus, quæ nobis in hac vita sunt ferendæ, eas esse demum meliores, quæ Cruci Christo impositæ sunt similiores, seu quæ minus à nobis eliguntur. Hoc imprimis documentum est utile & perneccssarium iis omnibus, qui sese mortificationi dedunt; Facile quidem ferent, quas sibi eligunt & imponunt cruces, sed quæ aliunde occurrunt ferendæ, sive ab officio, sive à Superioribus, seu altercunque à Deo missis, minus libenter acceptant. Quamobrem, hæc attentè Veritas expendenda: *Non quæsitæ Cruces sunt magis exquisitæ*: Id est, sunt aliis præstantiores, sunt magis æstimandæ & libentius acceptandæ. Sap. 2.

Cur enim acceptandæ cruces? Quis eorum finis & quod tandem bonum? Certè qualecunque illud sit, per quas cruces illud bonum melius inducetur, meliores dicendæ sunt præ aliis omnibus, & magis exquisitæ cruces. Nã hæc est bonitas instrumenti, & excellentia cujuslibet medii ad aliquem finem, ut illum suum finem inducat; Unde quò efficacius illum inducet, eò erit excellentius medium & aptius instrumentum: ac proindè cum crucis ferendæ sit aliquis finis, sitque ipsa mortificatio quoddam instrumentum & medium ad perfectionem potiùs quam sit perfectio: manifestè profectò patet, quod, quæ cruces quæve mortificationes finem hunc generalem aut particularem melius inducent, sint cæteris

Rom. 8. cæteris præferendæ; *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* O quanti fructus in illa vita! ô quam pretiosæ cruces, unde illi fructus colligentur!

II. PUNCTUM.

SED Crucis ferendæ finem melius inducunt non quæsitæ Cruces.

Primò quidem cum per Crucem intelligatur quævis afflictio carnis aut spiritus, cumque hic universalis sit afflictionum finis, ut carnem & spiritum hominis subdant Deo: nunquam hæc subjectio sit purius quam per cruces non quæsitas, dummodo liberè acceptentur; quia libera illa crucis & afflictionis acceptatio, quæ ex necessitate fit, est purior & Deo gratior, quàm quæ ex mera nostra libertate & electione, quæ involuit semper aliquid
2. Cor. 7. naturale & proprium, quod est *inquinamentum spiritus*, à quo nos Apostolus monet esse mundandos ut *perficiamus sanctificationem in timore Dei.*

Deinde verò, si voluntas Dei pro fine spectari debet, ut certè debet: aut si voluntas illa divina requirit à nobis aliquid certi per Cruces & mortificationes nostras, ut profectò requirit, nonne per Cruces non quæsitas, certiores esse possumus de omni voluntate Dei, quàm per nostras quæsitas & à nobis solum
Isa. 1. electas? *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* hoc ipse Deus à nobis de nostris operibus quærit An verò æquè certò illi respondere posses, quod, quidquid ex teipso facis, idcirco facias quia vult, quàm quando ex regula tua facis, vel ex obedientia, vel ex necessitate patiendi, quæ est index & interpres Divinæ vo-
Ibid. 5. luntatis? *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, Nunquid tale est ieiunium quod elegi?*

Denique, si ad satisfactionem pro peccatis, si ad augmentum Gratiæ & Gloriæ, Cruces sunt institutæ, quis dubitet non quæsitas cruces ad illos magis præstare fines, quàm quæsitas: cùm nemo ignoret jejunium aut aliquod simile bonum opus ex obedientia susceptum, amplioris esse meriti, quàm aliud purè liberum & voluntarium? 1. Reg. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* Volebat certè holocausta, sed magis obedientiam.

III. PUNCTUM.

NON quæsitæ Cruces sunt igitur magis exquisitæ; Quia finem crucis ferendæ certius & excellentius inducunt, quàm quæsitæ; Atque hoc unum est, quod crucem unam exquisitam & excellentem præ alia facit, si excellentius finem suum inducat possitque verius quivis dici, *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* 1. Pet. 3.

Hinc porrò plures ad praxim deducuntur Veritates, quæ quidem eodem spectant omnes, ut pluris faciamus non quæsitas illas Cruces quam quæsitas; sed id variis exponunt modis, ut illa varietate permoti, quod quæritur facilius persuasum habeamus:

Qui quærit Crucem, nec oblatam accipit, non quærit veram Crucem.

Quia videlicet, vera Crux illa est quæ offertur.

Qui quærendo Crucem, se invenit: se inveniendo, perdit quod quærit.

Id est, qui profitetur studium mortificandi sui, nec tamen Cruces & mortificationes aliunde impositas & immissas tam libenter capit quam quæsitas, seipsum in sua Cruce quærit & invenit, sicque se inveniendo, perdit quod quærebat, nempe fructum & finem mortificandi sui: nam se quærere & invenire tam oppositum est verę mortificationi, quàm huius proprium est, nunquam se quærere. Unde illud aliud sequitur, quod est prorsus pudendum & exprobrandum:

Qui se in sua Cruce quærit, prævaricatorem se constituit.

Id est, simul ædificat quod destruit. Quærendo enim crucem, perversum sui amorem destruit, at se in sua Cruce quærendo, hunc ipsum sui amorem ædificat, quod est prævaricari, dicente Apostolo: *si quæ destruxi, iterum* Gal. 2. *ædifico, prævaricatorem me constituo.*

Postremò, fixum tarumque illud maneat, quod, quæ minus voluntariæ hactenus & minus nostræ fuerant Cruces seu mortificationes, magis deinceps voluntariæ sint oportet & nostræ; quia cùm sint magis conformes Divinæ voluntati & magis exquisitæ, nihil nobis debet esse tam voluntarium tamque nostrum,

nostrum, quam quod ita divinum est. *Origo & magnitudo patientiæ*, sive Crucis ferendæ, *Deo authore procedit*, inquit S. Cyprianus. *Diligendas res homini, quæ Deo carae est. Bonum quod amat Majestas Divina commendat.*

Tract. de bono Pat.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Quæretis me, & non invenietis. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Verbum Dei non redit vacuum, aut profit necesse est recipienti, vel obsit.

In 3. parte, Feria 2. hebdomadæ 8.

Qui divinam expellunt Sacramentorum gratiam, non minus fortè peccant, quam qui olim manna repulerunt

In 3. parte, Sabbato hebdomadæ 13. Et universim de neglectis Gratiis, pene tota est hebdomada 27. quartæ partis.

Si quis sitit, veniat ad me & bibat.

Qui vel uni Creaturæ nimis adhæret, duo mala facit, de quibus ipse Creator: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.

In 4. parte, Sabbato hebdomadæ 18. Vbi Evangelium exponitur.

FERIA TERTIA.

CHRISTVS IMPOSITAM TOLLIT Crucem: & depositam sinit Simoni post se tollendam.

Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. Ioan. 19.

Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, & imposuerunt illi Crucem portare post Iesum. Luc. 23.

VERITAS PRACTICA.

Qui sibi suas, solus, aptat Cruces, vix unquam aptas efficiet.

RATIO est, quia nulli aptæ Cruces dici possunt, nisi quæ sunt inter extrema temperatæ.

Sed qui sibi suas aptat Cruces, si solus aptat, vix erunt temperatæ.

Ergo vix unquam aptas efficiet; Ac proinde in illis voluntariis pœnitentiis & mortificationibus, alienopotius quam suo quisque fidat consilio.

I. PUNCTUM.

ADMIRABILE prorsus est, Christum Dominum neque sibi imposuisse Crucem, neque deposuisse; sed impositam à Judæis sustinuit & bajulavit, quantum quidem per vires naturales potuit; Quando verò ultrà nil potuit, tùm deficienti suffectus est Simon ille Cyreneus. quem anguriaverunt Judæi, ut tolleret Crucem eius.

Postquàm itaque nonnihil affectui & pietati dederis, considerando deplorandum illum statum, quo Christus Dominus à Pilati prætorio per universam urbem alligatus suæ Cruci, tractus est & immanissimè tractatus ab omnibus; Admirare Divinum illud consilium, quo sic imponi & deponi suam crucem Christus permisit, ut documentum hoc spirituale, & practicam Veritatem tantopere necessariam suo exemplo stabiliret, *Ne soli nobis nostras imponeremus Cruces*, sed quid-

quid spectat ad illam, quæ vocatur externa mortificatio sensuum, alieno potius quàm nostro temperaretur arbitrio. *Nam qui solus sibi suas aptat Cruces, vix unquam aptas efficiet.*

Ratio, quæ affertur, est aperta, quod scilicet illæ solæ sint aptæ Cruces, quæ sunt in medio positæ, quæ sunt inter extrema temperatæ, quæ neque excedunt, neque deficiunt, in quibus neque plus, neque minus quàm expediat, quantùm quidem temperati possunt, juxta hæc Scripturæ monita: *Ne declines ad dextram neque ad sinistram.* Prov. 4. *NOLI esse justus multum, neque plus sapias quàm necesse est, ne forte obstupescas.* Eccl. 7. Et postquam Apostolus obsecravit ut *exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, Rom. 12. statim adjungit, *Rationabile obsequium vestrum, ut probetis, quæ sit voluntas Dei. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* In Is. *NEC plus vel minus*, inquit sanctus Hieronymus, *sed omnia temperata: Et si à recta via paululum declinaveris, non interest utrum ad dextram vadas, an ad sinistram: cum verum iter amiseris.* Denique refert Cassianus communem antiquorum deserti Patrum fuisse sententiam, *nimietates ex utraque parte se tenentes, æqualiter improbandas.* Coll. 2. c. 16. Auderesne te his opponere; atque aliud à communi sensu sentire?

II. PUNCTUM.

SED cùm quis solus sibi suas aptat Cruces, vix erunt temperatæ: Vix se is continebit, quin aut in excessum aut in defectum sese proiiciat. Cùm enim ex una parte, mortificatio sit instrumentum aptissimum perfectionis acquirendæ; ex alia verò, sit exercitium naturæ corruptæ valdè odiosum & onerosum; quicunque suæ perfectionis cupidissimus est, cupiditate sua sæpe rapitur ultrà quàm debeat; & quod in sanctis & perfectis viris legitur factum, sibi, ni caveat, faciendum credet, *Quidam incauti*, ait Kempensis, *propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt; quia plus agere voluerunt quàm potuerunt, non pensantes suæ parvitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes quam rationis iudicium.* I. 3. c. 7.

Qui verò non ita fervent, aut qui etiam de suo profectu parùm solliciti sunt, quorum numerus est amplior, in defectum cadent, & vix audebunt aliquid, ne videlicet, ut sibi fingunt, majora bona impediant, illud etiam in ore frequentissimum habentes, non esse sitam in mortificatione perfectionem, liberum unicuique esse, ut assumat quid velit, sibi non videri aliud imponendum, satis aliundè laborare. O probrum, ô ignaviam. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. VOBIS dicimus, filiæ Sion*, ait sanctus Bernardus, *animæ sæculares, debiles, delicatæ, filiæ non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi, egredimini filiæ Sion, egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ.* Cant. 3. Serm. 1. In Epiph. Dom.

III. PUNCTUM.

QUI sibi ergo solus suas aptat Cruces, vix unquam aptas efficiet, si sibi solus aptat, quia vix unquam sic se temperabit, quin excedat aut deficiat: Et tamen illæ solæ sunt aptæ Cruces, quæ sunt inter excessum & defectum temperatæ. *Noli esse nimius ne forte offendas. NE dicas, quid est mihi opus & quæ erunt mihi ex hoc bona? ne dicas: sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor?* Quæ cum sint tam expressa in Scripturis, audet Divus Bernardus affirmare, quod, qui non vult alterius potius quàm suo regi consilio, *se sui magistrum facit, seque discipulum stulti constituit: & omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.* Eccles. 32. Ibid. 11.

Egregiè verò sanctus Gregorius ad illa Job 30. verba Job, *versa est in luctū cythara mea*: duo 20. Mor. hæc simul jungens, docet in abstinentia seu qualibet alia mortificatione corporis, moderationem esse adhibendam, & non à se sed ab aliis esse petendam. *Pensandum est*, inquit, *quod chorda in cythara, si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat; quia nimirum virtus abstinentiæ, aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valdè inordinata est, si corpus alteriùs plus quam valet. Per abstinentiam quippe, carnis vitia sunt extinguenda, non caro: & tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut ad culpam caro non superbiat, & tamen ad esse-*

ad affectum rectitudinis in operatione subsistat. Intueri inter hæc, egregium prædicatorem libet, quanta arte magisterii, fidelium animas velut in cythara chordas tensas, alias amplius tendendo extenuat, atque alias à tensione sua relaxando conservat. Aliis etenim dicit, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus Rom. 13. *& impudicitiis : Et rursus ait, mortificate* Coloss. 3. *membra vestra, quæ sunt super terram. Et* 1. Tim. 5. *tamen Prædicatori carissimo scribit dicens : Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Illas ergo chordas attenuando tendit, ne non tensa omni modo non sonent, hanc verò à tensione temperat, ne dum plus tenditur, minus sonet.*

In quibus sancti Papæ verbis non modò vides, quod vera mortificatio temperata esse debet, sed quod præcipuè videndum est, id apertè patet, quòd sit nostra potius ab alio temperanda quàm à nobis, cum ipse sanctus Timotheus quantumcunque sanctus & peritus, accipere debuerit ab Apostolo, sui regulam victus & temperantiæ normam. Tu verò, tu à te solo præsumeres audiendam tuæ temperaturam vitæ ! Tu quis es ? nunquid Timotheo sanctior aut sapientior ? Audi rursum Scripturas : *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit,* Prov. 1. id est, sic intelliget quomodo se tutò & securè possit gubernare, ut vix alioquin id ex se intelligat : Unde & ibidem paulò post : *Ne inimicaris prudentiæ tuæ, ne sis sapiens apud* Ibid. 3. *temetipsum.* Et iterum, *vidisti hominem sa-* Ibid. 16. *pientem sibi videri ? magis illo spem habebit insipiens,* qui se videlicet novit, & se ab alio regendum sinit. Tunc enim insipiens, qui sapienter ab alio regitur, sapientior est sapiente, qui se insipienter regit.

Vide in 1. parte hebdomadam tertiam post Epiphaniam, & præcipuè Feriam 4. & 5. Ubi hæc declaratur Veritas.

Grande malum propria voluntas, quæ se in bono bene faciendo non sinit dirigi.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, Dixerunt ad Iesum fratres eius transi hinc, & vade in Iudæam, &c. Ioan. 7.

VERITAS PRACTICA.

Humana consilia eò sæpè pejora quò meliora.

In 3. parte, Feria 5. hebdomadæ 14.

DIXIT eis Iesus : Tempus meum nondum advenit.

Sic est omni negotio tempus & opportunitas, ut nisi adsit tempus & opportunitas, vix ullum fiat negotium.

In 4. parte, Feria 4. hebdomadæ 18. ubi hoc enarratur Evangelium.

Et murmur multum erat de eo in turba.

CONTRA LINGUÆ INTEMPERANTIAM.

Quæ est regula Temperantiæ in edendo, eadem est in loquendo.

Vel sic.

Eadem est oris Temperantia in loquendo, quæ est in edendo.

In 3. parte, Feria 6. hebdomadæ 7.

AD SUMENDA, EX ÆQUO, DEXTRA VEL SINISTRA DE NOBIS DICTA.

Humana de nobis judicia sic sunt humanè audienda, ut non humanitùs audiantur.

Id est, non secundum humanum sensum, quo in dexteris nimis exultamus, & in sinistris nimis abjicimur.

In 4. parte, Feria 2. hebdomadæ 15.

Et cùm alii de Christo dicerent, quia bonus est, alii non, prout unusquisque sibi de illo fingebat; satis opportuna videtur etiam, quæ ibidem sequitur Veritas:

Nisi se quisquis Christo conformet, Christum sibi conformabit.

Id est, sic de Christo judicabit; quoad mores præcipuè, secundum suum sensum, & non secundum rei veritatem. Quod est valdè damnosum.

FERIA QVARTA.

CHRISTVS AD SE SEQUENTES, Et se plangentes conversus, futuras denuntiat pœnas non pœnitentibus.

Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23.

VERITATES PRACTICÆ.

Crux interdum quidem à corpore, sed nunquam ab animo deponenda.

SENSUS est de Cruce pœnitentiæ, sicut enim lignum aridum est omnis impœnitens; sic fructuosum lignum sunt verè pœnitentes. Est autem Crux pœnitentis seu pœnitentiæ dupler, una interior, exterior altera. Illa est dolor animi de peccato, ista est dolor corporis propterea castigandi. Quando itaque dicitur Crucem interdum posse deponi à corpore sed non ab animo, perinde est ac si dicas, dolorem corporis posse intermitti, sed non dolorem animi.

RATIO est manifesta, quia semper displicere debet peccatum commissum.

Sed si dolor animi desineret aut intermitteretur, tum etiam desineret displicere peccatum.

Ergo nunquam intermittendus ille dolor, nec ab animo Crux deponenda, sicut nec ipse Christus unquam deposuit.

I. PUNCTUM.

SEquebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum; Conversus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos: & collibus, operite nos; Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Ex his verbis elici possunt tres affectus; primus, Compassionis in Christum, ad imitationem illius turbæ & mulierum, quæ plangebant eum. Secundus, admirandæ & imitandæ pietatis ipsius Christi Domini, qui magis deplorat & deplorandam suadet futuram illorum miseriam, quàm suam propriam. Tertius, peramandæ & nunquã deponendæ Crucis nisi amore ipsius Crucis, ad exemplũ Christi, qui non alio animo à Cruce ferenda destitit, quàm ut in ea gravius pateretur & moreretur. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* O nunquam satis ponderata verba! Si Christus innocens ita passus est propter te, quid te convenit non modò propter illum sed propter teipsum pati? Quod si verò hic pati recusas, quas non debes expectare pœnas post mortem, tu qui nihil aliud es quam lignum aridum, *cuius consummatio in combustionem?*

Quamobrem seriò de amanda & colenda Cruce seu mortificatione continua cogitandum: quæ si tamen interdum quoad corpus remittitur, nunquam verò est animo deponenda, nunquam deponendus affectus sui corporis mortificandi, nunquam deponendũ studium sui animi reprimendi, nunquam denique.

nique dolor ille deponendus, qui semel conceptus est de peccato quondã admisso. Quo in triplici sensu proposita Veritas expẽdi posset, sed in postremo præcipuè de Cruce ac dolore interiori vitæ præteritæ, considerabitur.

Ps.50. *Peccatum meum contra me est semper*, inquit pœnitens, id est coram me, in mente mea, ut semper meminerim me peccasse, in corde meo, ut semper oderim & detester quod peccavi, in sensu meo, ut semper illud defleam, & amplius ab illo laver.

Nam præter innumeras, quæ inde proveniunt utilitates, certè illud certum & omnino necessarium, ut nunquã placeat, imò ut sem-

Eccles.17. per displiceat quidquid peccatum est. *Revertere ad Dominum*, inquit Scriptura, *& avertere ab injustitia tua, & nimis odito execrationem.* Quid est nimis odisse execrationem, nisi tam continuo & indesinenti odio peccatum prosequi, ut pene nimiũ videatur? Cur verò peccatum dicitur execratio, nisi quod semper sit ita execrandum, ut non secus ipsã execratio semper displiceat; Quod denique additur, *Cognosce justitias & judicia Dei*, quid est aliud, quàm indicare motivum potentissimum ad hoc perpetuandum execrationis præteritæ odium, nempe quod sic Deus illam semper execretur, sic execrandam jubet, & adeo tremenda sunt divina illius judicia, ut de peccato dimisso non sit etiam tremor deponendus. Sic

Mid.5. idem apertè Sapiens; *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.*

II. PUNCTUM.

SED Crux interior, seu animi dolor de peccato, si deponeretur aut intermitteretur, verendum esset, ne & ipsum peccatum displicere desineret.

Intermitti quidem potest dolor sensibilis, sed non ille qui dicitur appretiativus, & qui verus & proprius est dolor de peccato super omnia deploranda. Dicitur verò non intermitti, cùm pœnitentis animus ita est affectus & dispositus, ut, quoties excitatur peccati memoria, dolor renovetur: atque etiam ut crebrò dolor ille renovetur, sæpe sæpius peccati memoria excitetur. *Memoria memor ero, & tabescit in me anima mea.* Thren.3.

Hoc autem est omnino necessarium, ne peccatum placere incipiat, aut displicere desinat. Nam cum sit tam naturale & proclive homini, amore & complacentia ferri in objecta, quibus peccatum admissum inhærebat, ut nisi diligenter cum divina gratia prospicias, illuc rapiaris, & tibi placeat quod placere non potest sine peccato: certè non potest aliter diligẽtius nec tutius prospici quàm per illum dolorem continuum, qui directè opponitur tali complacentiæ, & voluntatem contra obfirmat. *Ego tanquam surdus non au-* Ps.37. *diebam, & sicut mutus non aperiens os suũ: quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper: quoniam iniquitatem meam annuntiabo & cogitabo pro peccato meo.* Quasi diceret, hoc est, quod me insensibilem reddit ad omnia quæ me provocant ad peccandum, quòd videlicet tùm nemineri olim me peccasse, & ita doleam de peccato, ut peccare displiceat.

Sic sanctus Augustinus jam conversus, cùm à sodalibus ad aliquid liberius actitandum forte moveretur, *Nolite*, inquit, *obsecro* L.1.de *vos geminare mihi miseriam: satis mihi sunt vul-* Ord. c.1. *nera mea, nolite obsecro.* Et post nonnulla: *Hic ubi plura ne dicerem, lachryma mihi modum imposuerunt.* Videsne quàm sit opportunus & necessarius ille dolor continuus, quem tanti Viri renovant, quoties periculum instat, ne in delictis veteribus sibi complaceant? *Hoc est* Is.30. *frenum in maxillis ponendum*, de quo passim Ez.29. Scripturæ, quo posito sicut facile retardamur à complacentia in peccatum: sic illo remoto facillimè in eandem provocamur & ruimus. *Omnes conversi sunt ad cursum suum*, inquit Ier.8. Ieremias, *quasi equus impetu vadens ad prælium*; Quia scilicet, ut ante dixerat, non dolent de peccato, aut dolorem semel conceptum non continuant.

III. PUNCTUM.

ET si ergo à corpore Crux interdum deponi possit, nunquam tamen ab animo. Ne si animus dolère desinat de peccato, peccatum displicere desinat. Quod certè nefas est & omni modo cavendum. *Fili, peccasti: non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. Quasi romph a bis acuta omnis iniquitas, plaga*

illius non est sanitas: Id est, non potest ita sanari, quin semper sanati possit perfectius, dolendo & gemendo propterea non tam timore pœnæ quam amore Dei, sicut de se ait sanctus Augustinus, *Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut dulcescat mihi dulcedo non fallax, dulcedo fœlix & secura.* L. 2. Confess. 2.

Atque ut idipsum unusquisque constanter observet, sic idem alibi: *Nunquam credat sufficere, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat: dolorem cum vita finiat: ubi dolor finitur, deficit pœnitentia: ubi deficit pœnitentia, & ibi venia. Vade & jam noli peccare: hoc est pœnitere: Hinc ergo semper doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat.* O quale gaudium sic semper posse dolere; sic verè posse dicere cum Psalmista, *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Fœlices gemitus, in quibus anni deficiunt: fœlices anni qui nonnisi deficiunt in dolore & in gemitibus. L. de vera & falsa pœnit. c. 13. Ps. 30.

Vide in 1. parte, Feria 3. hebdomadæ 4. post Epiphaniam, de rationabili solicitudine pro peccatis remissis.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus, loquor vobis & non creditis.* Ioan. 10.

Qui cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum, sed Deo consulit.
Quasi vellet Deum sibi solùm placentia respondere. In hac 2. parte, Feria 4. Pentecostes.

VOS non creditis, quia non estis ex ovibus meis.
Quæ causa est, cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis.
In hac 2. parte, Dominica Septuag. Vide & in 3. die 25. Iuni.

OVES meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me.
Sicut discursum mentis statim sequi debet affectus, ita & affectum effectus.
In 1. parte, die 29. Decembris.

Tantum abest, quod, qui sunt verè liberi, non se subjiciant: ut non sint aliter verè liberi, nisi se subjiciant.
In 4 parte, Sabbato hebdomadæ 15.

Sicut Imaginem aut faciem Christi, sic ejus vocem fidelis anima reveretur.
In 4. parte, Sabbato hebdomadæ 21. quæ pene tota est de hac similitudine pastoris & ovium, ex eisdem Christi verbis.

FERIA QVINTA.

QVATVOR DIMENSIONES CHRISTI Crucis & nostræ.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Matth. 27.
Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Ephes. 3.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Qui à Cruce, suas tollit Dimensiones, tollit à se suam Crucem.

RATIO EST, Quia qui tollit à se Crucem, quæ post Christum cuique ferenda est, tollit à se suam Crucem.

Sed qui à Cruce, suas tollit dimensiones, tollit à se Crucem, quæ post Christum ferenda est.

Ergo tollit à se suam Crucem; Ac proinde illi maledicto subjicitur, quod intentat Christus Dominus dicens? Qui non accipit Crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Matt. 10.

I. PUNCTUM.

COnscenso monte Calvariæ, Crux in terram demittitur, locus eminentior montis deligitur ubi illa infigatur; Clavi, funes, malleus, cæteraque instrumenta supplicii educuntur; Quid verò interim bonus Iesus? Stabat videlicet cum illis duobus nequam, qui simul ducti sunt ut interficerentur, stabat ligatus velut illi, apparebat nequâ & Reus velut illi, parabatur Cruci affigendus ut illi: sed tamē quàm longè ab illis alius esset, tu tecum ipse recogita. Credibile autem est & cogitatu piissimum, oculos tunc in Crucem humi jacentem habuisse defixos, atque illi tùm, quòd postea discipulus Andreas, animo etiam lætiori dixisse, *ô bona Crux diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens ad te venio;* Tum considerando singulas eius dimensiones sic à Patre dispositas, *Etiam pater! quia sic placitum fuit ante te;* Illam accepto sua in latitudine paratus pati quæcunque volueris; Illam amplector sua in longitudine, tamdiu passurus quàm permiseris; Illam suscipio, sua in sublimitate & profunditate, tam excelso & humili animo toleraturus omnia, quàm cognosco te velle à filio, & quàm filius tibi potest exhibere! Luc. 13. Matt. 11.

Hæ sunt quatuor Crucis Christi dimensiones, de quibus Apostolus, & in his refulgere dicitur Crucis mysterium, quia sic nostra Crux suas etiam debet habere dimensiones; aut non erit illa Crux, quam jubemur quotidie ferre post Christum, & in qua cum ipso affigendi sumus. *Quæ meritò ferri unicuique suadetur*, ait S. Leo, *quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur.* Hinc orta Veritas, *Quod qui à Cruce, suas tollit dimensiones, tollit à se suam Crucem.* Quia videlicet tollit illam Crucem, quæ est ferenda post Christum, & quam qui non accipit, non est Christo dignus, non potest dici Christum sequi neque Eius esse. Non enim omnes qui ferunt Crucem, Crucem ferunt post Christum, nec sequuntur illum. Sunt multæ Cruces inutiles, imò etiam sunt malæ Cruces & perversæ, quas quicunque portant, tam longè distant à Christo, quam à bonitate malitia, & à rectitudine perversitas. Luc. 9. Serm. 9. de Quadr.

Cruces inutiles sunt labor ille inutilis & cassa sollicitudo mentis, quâ laborat homo sub sole & quam ita deplorat Sapiens, ut penè totus sit Ecclesiastes in ea deploranda. Eccle. 7.

Malæ autem & perversæ, sunt illæ viæ difficiles quas impii ambulaverunt, & est via iniquitatis in qua lassati sunt, ut ipsi clamant in inferno. Quantumcunque enim vitium placeat, suas tamen habet molestias, & ipsa *est amabilitio Crux ambientium*, ut ait sanctus Bernardus. Quis autem sanus putet ambitiosum ferre suam Crucem post Christum Dominum? Cur ita porro, nisi quia non est illa Crux, quam post se ferendam jussit Christus: non est illa Crux qua sequimur Christum, non est illa Crux quæ nos Christi similes facit. Ac proinde sicut ille solus verè dici potest ferre suam Crucem, qui fert illam Crucem quam Christus ferendam voluit; sic planè, hanc qui non tollit, non tollit suam Crucem, seu quod idem est, tollit à se suam Crucem, non vult pati quantùm necesse est ad salutem aut ad certum perfectionis gradum quo à Christo vocatur, licet alia quædam patiatur. Non pœna, sed causa, & modus patiendi martyrem facit. Lib. 3. de Consid. c. 1. S. Augustin.

II. PUNCTUM.

SED *qui à Cruce, suas tollit dimensiones, tollit à se Crucem, quæ post Christum ferenda est.*

Tollit nempe similitudinem suæ Crucis cum Cruce Christi. Quæ ut manifestius pateant, expendendæ sunt accuratius illæ Crucis mysticæ dimensiones, & tibi applicandæ.

Latitudo Crucis est, quidquid ex divina ordinatione patiendum est; O quæ & quanta Christus in toto Corpore, in bonis, in honore, & uni-

& universim in omnibus! Itane verò tu omnia? Si quid desit quod non patiaris, tantùm de latitudine tuæ Crucis deest & tantum de ejus similitudine.

Longitudo Crucis est, tamdiu constanter pati omnia, quam durat occasio patiendi; sic Christus in Cruce per tres horas, sic ab horto ad Crucem: Imò sic à primo vitæ ortu usque ad mortem semper constantissime passus. Tu verò quàm facile resilis, quàm parùm duras patiendo, sicque non imples mensuram longitudinis! *Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam deest observantia pietatis, Totius est temporis Crucem ferre,* ait S. Leo. *Serm. 9. de Quadr.*

Sublimitas & profundum Crucis est Charitas & Humilitas simul juncta in animo patientis; Sic Christus ex ipsa Charitate, qua diligebat Patrem, diligebat Crucem, & in hac sublimi dilectione patiebatur. Tam profunda verò ejus humilitas, ut exinanitio jure dicatur, quo verbo nihil aptius est ad rem exprimendam. *Phil. 2.*

Adverte autem has duas Virtutes sic mutuò à se pendere, ut quò sublimior erit Charitas, eò sit profundior humilitas; & quo profundior humilitas, eo etiam crescere & apparere sublimiorem Charitatem; Unde tu, qui humilitate præsertim deficis, & nunquam te satis dignum tuis te pœnis judicas, quando aliunde quàm à te proveniunt, timere certè debes, ne debita etiam Charitate desis; Nam si, ut debes & ut potes cum Gratia, Deum diligeres, sic Eum doleres à te aliquando fuisse offensum, ut nunquam satis humiliari & pati posse crederes ad aliquam Divinæ Justitiæ satisfactionem exhibendam: dicereisque quod est in libro Iob, *peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* *Iob. 33.*

Ex quibus tandem patet, quod, qui à Cruce suas tollit dimensiones, tollit à se Crucem, quæ post Christum est ferenda, quia nõ Eum imitatur, neque sicut ille passus est patitur; quia non quantum, nec ex quanto vult Deus, aut quamdiu illi ordinatur; quod est manifestè deficere ab Imitatione & exemplo Christi, qui omnia plenissimè consummavit. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Christi.* *Phil. 3.*

III. PUNCTUM.

HArum ergo defectu dimensionum cùm sua Crux unicuique deficiat, quid sequitur, nisi *Qui à Cruce suas illas tollit dimensiones, tollit à se Crucem suam*; tollit à se decus suum, tollit à se salutis suæ tesseram, tollit à se omne bonum: *nam in Cruce totum Constat, & in moriendo totum jacet.* Vide illud Divinum caput libri primi de regia via sanctæ Crucis. Et licet nullus Sanctorum tam perfectè passus sit sicut Christus, satis tamen perfectè passi sunt, si suæ Crucis dimensiones cumulatè compleverint; Satis autem cumulatè compleverunt, si omnia sibi patienda, licet non quanta Christus, toleraverint, si tamdiu sustinuerint quàm sustinendum illis fuit, licet non tam diuturno tempore quàm ipsi Christo patiendum fuit; si denique ex toto corde suo, licet cor eorum non fuerit tam sublime aut humile quàm Cor Christi. Sic Apostolus mensuram suæ Crucis implevit, cùm illa passus est quæ Corinthiis commemorat: *Secundum mensuram, inquit, qua mensus est nobis Deus,* sic nos vellet *Imitatores sui esse, sicut ille est Christi.* Alioquin cave istud, *Tanta passi estis sine causa.* Itemque illud longè gravius, *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es, Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serva, & pœnitentiam age.* *L. 1. de Imit. Chr.* *2. Cor. 11.* *Ibid. 10.* *Gal. 3.* *Apoc. 3.*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de muliere peccatrice, seu Magdalena pœnitente. Luc. 7.

DE hac tam multæ suo loco producuntur Veritates Practicæ, ut sit longius hìc eas referre.

In 3. parte, Feria 4. hebdomada 7. & die 22. Iulii.

Adjungi verò possunt nonnullæ aliæ, quæ ad pœnitentiam & Conversionem spectant.

Licet omni peccatori sit necessariò pœniten-

dum,

dum, vix tamen ullus est, qui necessariam agat pœnitentiam.
In 1. parte. Dominica 4. Adventus.

Frustra te Christi miseret, nisi te tui prius misereat.
In hac 2. parte, Feria 4. hebdomadæ 1. Quadragesimæ,

Revocanti hominem Deo ab errore viæ suæ, non obtequi pejus est, quàm primò vocantem ne erraret, non sequi.
In eadem 2. parte, in fine, ubi de statibus.

Fortioris est animi non vinci à bonis blandientibus, quàm ipsa vincere mala terrentia.
In eadem 2. parte, Die 25. Aprilis.

Nisi Christo resisteres, sic te Christus in se, sicut panem consecratum, converteret.
In 3. parte, Sabbato hebdomadæ 1.

Qui sibi palpat quod non longè erret, periculosius sæpe errat, quàm qui aberrat lõgiùs.
In 3. parte. Dominica 3.

Hanc ad cæteras impudentiam impudicus adjicit, ut Deum orando irrideat.
In 3. parte, Sabbato hebdomadæ 6. Videri & potest in 1. parte, Feria 6. hebdomadæ 4. in Adventu.

Sicut à peccato, sic à peccati reliquiis, resurgendum.
In 4. parte, Dominica 15.

Nisi ab omni cupiditate voluntas, sicut ab omni errore intellectus verè convertatur, vix ulla est vera conversio.
In 4. parte, Feria 2. hebdomadæ 16.

FERIA SEXTA.

CHRISTVS CRVCI AFFIGITVR.

Ibi Crucifixerunt eum. Luc. 23.
Hoc scientes, quia vetus homo noster simul Crucifixus est. Rom. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quod petenti Christo juxta Crucem non negasses; hoc à te semper petit, hoc illi semper debes, hoc illi nunquam negandum.

SENSVS est præsertim de veteri homine simul crucifigendo, quod præsertim petiisset Christus, & quod ibi præsens non negasses unde concluditur nunquam ad illi negandum, & ad singulos veteris hominis actus reprimendos, tantùm valere Christi considerationem, quantùm valuisset illâ ipsâ horâ, quâ vidisses eum Cruci affixum.

RATIO est, quia idcirco, non negasses, quod Christus petiisset quia revera sic merebatur, & sic debebas non negare quod petebat.

Sed Christus hoc idem semper petit, hoc idem semper meretur, hoc illi semper debes.

Ergo & semper debes non negare, seu quod idem est, ergo id nunquam est negandum; quod certè potens est & efficax cum Divina Gratia ad continuam mortificationem exercendam.

I. PUNCTUM.

IBI Crucifixerunt eum, ait, S. Evangelista, quo uno dicto omnia comprehenduntur, quæ spectant ad hanc stupendam Crucifixionem. Expende singula cum affectu. Vide ut denudant Sacrum Christi Corpus, ut proiiciunt in supinam Crucem, ut extendunt eius membra in illum doloris lectum, ut manus & pedes summa vi protrahunt, donec attingant locum destinatum ubi affigantur. Audi malleorum ictus in clavos: Cerne clavorum violentiam in nervos, nervorum scissuras ac venarum in manibus pediquse, unde quatuor illa sanguinis flumina quæ totam irrigant terram. Attende & vide si est dolor sicut iste dolor. *Gen. 1.*

dolor. Quid tum bone Jesu! quid sentiebas? quid cogitabas? Fili, sic de te uno cogitabam quasi unus fuisses pro quo sic paterer; & hoc præcipuè cogitabam, ut me totum tibi tradere-
Is. 49. rem, quo amorem tuum mereri possem. Inscribebam te manibus meis per hos clavos qui tùm infigebantur Cruci, & per sanguinem qui inde profluebat, ut verum fieret quod dixit Propheta, *Non obliviscar tui; In manibus meis descripsi te.* Veni sequere me, Inspice exemplar quod tibi monstro, sic veterem hominem crucifige.

Ad hoc anime quid respondes? non est dubium, quòd si tum præsens adfuisses & hæc audivisses, nullum est mortificationis genus aut actus particularis, quin libentissimè subiisses, si se eius occasio obtulisset: nonne est ita? Responde. At quæso memineris, quando & quoties veteris hominis reprimendi seu naturalis appetitus coercendi occasio sese dabit. Scito te æquè obligatum modò & semper id reddere Christo, ac tum credidisses illi non negandum. Perinde modò debet valere eius Exemplum & Consideratio, atque tùm valuisset, si vidisses eum pendentem, & audisses à te postulantem talem mortificationis actum qui modò occurrit exercendus.

Quid est enim, cur illo tempore non illi denegasses, nisi quia judicasses id illum à te promereri quod postulat: id ita exigere sanguinem profluentem, id ita vel ab invito extorquere Crucem & tot cruciatus, quos tui gratia libenter suffert, ut si denegares, impietatis & crudelitatis notam non effugeres: nonne hæc una fuisset Ratio? Nam licet præsentia objecti multum potuisset ad commovendum sensum & animum, tamen negare non potes quin Ratio id persuasisset. Fatere ex animo,
1. Ioan. 3. & id effice quod S. Joannes Evangelista, *In conspectu eius suadebimus corda nostra.*

II. PUNCTUM.

Rom. 6. SED Christus hoc idem semper petit: *hoc idem semper meretur; hoc illi semper debes.* Hoc est enim quod ait Apostolus, *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est: Ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus pec-*
Gal. 5. *cato*; Et alibi, *qui sunt Christi, carnem suam*
Ibid. 2. *crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: Rursumque de seipso, *Christo confixus sum Cruci.* Quorum omnium verborum duplex est sensus, primus, quod sicut Christus corpus subire dedit affigendum Cruci, ita nos carnem sive eius appetitum inordinatum, qui dicitur vetus homo, tradamus spiritui Gratiæ, ita continendum, ut non magis se movere possit secundum suos motus naturales perversos, quàm corpus Cruci affixum. Hoc est facere secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, quando scilicet quod factū est in carne Christi, hoc in carnali appetitu fiet. Hic est primus sensus.

Secundus verò est, quod, quia Christus sic fecit, ideo nos idem etiam præstare oportet, id omnino meretur cum præcipuè idcirco sic voluerit crucifigi, ut disceremus sic crucifigendam & continendam carnem, sive id timore culpæ & pœnæ, ut dicebat David: *Con-* Ps. 118.
fige timore tuo carnes meas, sive id solo amore, Gal. 2.
ut Apostolus, *Christo confixus sum Cruci, vivo ego iam non ego, vivit verò in me Christus.*

AT quæso te, quandònam id Christus à nobis fieri postulat & quandònam meretur ut, quòd postulat, exequamur? An pro eo tātum tempore quo patiebatur, aut quo vidisses illum, dum pateretur? Nonne id ridiculum cogitatu, & impium dictu? nonne id modò & semper id postulat, id meretur, & id debemus, cùm adest occasio carnis reprimendæ? Nonne ad has occasiones confertur nobis gratia quam patiendo promeruit, si ficut de præsenti ne illud incutramus, quod severè & graviter ait Apostolus, *qui Filium Dei conculcaverit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit!* Hoc est videlicet conculcare filium Dei ac eius sanguinem, cùm eius præsentes Gratias, quæ non minoris valent quam eius sanguis, reiicimus: ne carnem affligamus, ne vel eius appetitui resistamus! ô probrum, ô ignominiam, *Qua utilitas in san-* Ps. 29.
guine meo? Quæ utilitas in exemplo meo?

III. PUNCTUM.

QUOD ergo petenti Christo iuxta Crucem non negasses, *hoc illi semper debes, hoc illi nunquam negandum est*: Quia id semper meretur sicut tùm merebatur: unde ad singulos veteris hominis actus reprimendos ita semper valere debet Exemplum Christi crucifixi, sicut si modò Cruci affigeretur, ac si præsens adesses huic spectaculo. *IESVS CHRISTVS heri* Hebr. 13.
& hodie

& hodie: Ipse & in sæcula. Nam cùm certum sit te tùm illi non negaturum fuisse hunc mortificationis actum qui occurrit, quia judicasses illum mereri; profectò neque etiam modò, neque quocunque petat tempore, negare unquam debes, quia sic judicare, sic credere, & sentire debes illum tam iniustè modò mereri quam quando passus est. Aut enim tùm nihil meritus est quod faceres, aut illud meruit quod modò faciendum est. Expende hoc: quid enim meruit ut faceres, nisi quod potes & debes facere? at quid est illud nisi quod occurrit faciendum? Hoc est scilicet, quod ex Cruce vidit, hoc est cui præstando Gratiam destinavit, & salutem affixit: sicut enim te non vidit nisi in ea differentia temporis, qua modò vivis, sic neque actum mortificationis, quem redderes, nisi quo tempore esset reddendus. Quamobrem si hunc negas, negas quod debes, aut negas te illi hoc debere, quæ est horrenda blasphemia, & quæ te aliquando eò deducet, ut neges te quidquam illi debere, aut fatearis te nolle quidquam reddere. Nam si non reddis, quod petit, quid reddes? Quidquid sit aliud, quod non petit, recusabit, & nihil reddes. *Munus non susci-* *Mal. 2.*
piam de manu vestra.

Etsi verò aliàtibi videantur præstanda, nihil est magis necessarium nihilque certius quod à te exigatur, quàm ille mortificationis actus, qui ad evitandam cordis inordinationem adhibendus est: sicut enim hanc inordinationem numquam potest probare Christus, ita non potest non petere, quod à te necesse est ut cum Gratia coerceatur. *Nemini* *Eccles. 15.*
mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi. Non ita de positivis aliis operibus certus esse potes; & verè illud mortificationi continuæ applicari potest, quod de præputiis Philistinorum dicebat Davidi Saul: *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum cen-* *1. Reg. 18.*
tum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis. Te sponsabat in Cruce Christus, & hæc a te, quæ dicta sunt, sponsalia postulabat, quæ si negas, vide Cui neges.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Iudæorum Concilio contra Dominum. Ioan. 11.

Quid nequius, quam quod excogitavit caro & sanguis: *Eccles.* 17.

Nempe de Iesu perdendo, ut supra explicatur in hac 2. parte, Feria 2. hebdomadæ infra Septuagesimam.

EXPEDIT vobis ut unus moriatur homo pro populo.

Non minùs expedit ad salutem, ut vetus homo moriatur in nobis, quàm ut novus Homo moreretur pro nobis.

In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 25.

Sicut à veteri lege, sic à veteri homine, unicuique Christiano est abstinendum.

In 1. parte, Sabbato hebdomadæ 5. post Epiphaniam. Vide & Dominicam infra Octavam Nativitatis Domini: & diem Circumcisionis.

Mortificatione potius tibi sunt omnia subtrahenda, quàm quid mortificationi detrahendum.

In 3. parte. 24. Augusti.

Quæ hac denique & sequenti die proponuntur Veritates, satis patet, quàm sint conformes superioribus, necnon quæ in parasceve seu Feria 6, hebdomadæ sanctæ.

SAB-

SABBATO

CHRISTUS IN CRUCE ILLUSUS.

Tunc Crucifixi sunt cum eo, duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris; prætereuntes autem blasphemabant eum. Matth. 27.

Rursum Crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Hebr. 6.

VERITAS PRACTICA.

Quod novo negatur Homini contra veterem; hoc veteri indulgetur contra novum.

RATIO EST, Quia quod novo negatur homini contra veterem, est aliquod mortificationis exercitium.

Atqui hoc negatum mortificationis exercitium, hoc ipsum est, quod contra novum hominem veteri indulgetur.

Ergo quod novo negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum. Quod certè ignominiosissimum est Christo Domino, qui rursum crucifigitur & illuditur in cordibus nostris, nisi vetus ipse homo sit in nobis plenè Crucifixus. Alteruter necessario crucifigendus.

I. PUNCTUM.

CHristo Cruci affixo, Crux erecta fuit in eminenti loco, ut spectaretur ab omnibus, & qui in ea pendebat, spectaculum fieret ac portentum ludibriis omnium & opprobriis expositum, sicut prædixerat David; *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis & moverunt caput,* & sicut referunt Evangelistæ; *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua & dicentes: vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum: si filius Dei es, descende de Cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant, Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credemus ei: confidit in Deo, liberet nunc eum si vult, dixit enim, quia filius Dei sum. IDIPSUM autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant & conviciabantur ei. ILLUDEBANT autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes; Si tu es Rex Iudæorum, salvum te fac.*

Ps. 21. & 68. Matt. 27. Marci 15. Luc. 23.

Hæc prorsus stupenda omnia & cum affectu revolvenda, sed quod etiam nunc sic illudatur Christus in cordibus nostris, nisi vetus homo sit planè crucifixus, non minus accuratè perpendendum. Hoc autem redditur manifestum discursu tam aperto, ut vix uno aut altero sit opus verbo ad ampliorem ejus declarationem: sicque fiet, ut, dum brevior erit propositæ Veritatis expositio, gravissimum illud probrum de illuso in cordibus nostris Christo, quod inde sequitur, attentius consideretur. Sic ergo habe: *Quod novo negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum.* Quid est enim contra veterem hominem nisi quod illi displicet & repugnat? quid est autem, quod illi displicet, nisi quod vocamus mortificationis exercitium? *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum: si pes, si manus; abscinde, amputa.* Matth. 5. Marci 9.

Hoc est, quod novus homo petit contra veterem, hoc est quod illi negatur, cùm scandalum pedis vel oculi non aufertur. Ah quoties id petitum! ah quoties id negatum! quoties voluit & noluisti!

II. PUNCTUM.

ATqui hoc ipsum est, quod contra novum hominem veteri indulgetur. Hoc ipsum scilicet, quòd oculus scandalizans non eruitur, quòd pes offensionis non abscinditur, quòd imperatus deniq; mortificationis actus non exercetur; hinc solum est, quod se contrà opponit homo vetus, contrarium apperit, oppositum postulat, & hoc illi indulgetur, *Dilexerunt enim gloriam hominũ magis quàm gloriã Dei. Voluptatum amatores magis quam Dei.* Ioan. 12. 2. Tim. 3.

III. PUN-

III. PUNCTUM.

Hom. 32. in Evang.

QVod novo igitur negatur homini contra veterem, hoc veteri indulgetur contra novum. NOVVS homo, inquit S. Gregorius, *vita nostra veteri in vitiis enutrita contrarietatem oppositit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? sed cœlestis Medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.*

At verò contrà semper vetus reluctatur: sit pugna de nobis in nobis inter utrumque hominem, uter alteri cedat aut imperet. Alterutri prorsus obsequendum. Illi sunt duo Domini, quibus nemo servire potest, *Aut enim unum, odio habebit, & alterum diliget: aut unũ sustinebit, & alterum contemnet.* Sicut itaque quando mortificatione constringitur vetus homo, is dicitur crucifigi, quia sic comprimuntur ejus actus, ut nihil agat, perinde ac Crucifixus: sic planè nisi sic constringatur & crucifigatur, quid sequitur nisi oppositum? quid sequitur nisi quod novus ipse homo cum actibus suis comprimatur, compressus nihil agat, nihil agens sit veluti Cruci affixus? *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me: me vos configitis gens tota*, dicit Dominus per Prophetam.

Matth. 6.

Mal. 3.

Atque hoc ipsum est, quod alia similitudine dicitur exspoliari veterem hominem & indui novum. Unde quemadmodum hoc ipso quòd unus exspoliatur, alter induitur: ita prorsus si unus laxetur & liber agat in nobis, alter crucifigatur necesse est.

Ephes. 4. Colass. 3.

Iam verò quàm sit grave & injuriosum Christo Domino sic in te constringi & crucifigi, ut nihil spirituale agat, cogaturque per tuam libertatem, cui sese accommodat, cedere æmulo, atque illum intueri dominantem tui, dominantem animo & corpori tuo, tuos moventem affectus, excitantem actus, & omnia sensualis vitæ opera tecum operantem, poterisne id cogitare & pati? Nonne tu ipse es, qui quotidiana precatione sic illum advocas, *Dirigere & sanctificare, regere & gubernare, dignare Domine Deus Rex cœli & terræ, hodie corda & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum.* Dum verò præsens adest te directurus, dum tibi dicit, *Ecce adsum quoniam invocasti me*, veni, sequere me; Tu contrà quasi diceres, quis es tu ut sequar te! Sequar cogitationes cordis mei, & ibo in adventionibus meis. Quid est irridere, quid est illudere nisi hoc sit? *Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.*

Is. 58.

Ier. 20.

Itane semper illudes & non illudéris? *Ipse deludet illusores. Si fueris illusor, solus portabis malum.* Attende diligentius & cum D. Bernardo sic exardesce in teipsum: *Exurgat Deus & cadat armatus iste, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui, amator mundi, servus Diaboli. Quid tibi videtur? Si recte sentis, mecum dices, reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere: sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est salus & vita.*

Prov. 3. Ibid. 9.

In Meditationibus. Medit. ultima.

Evangelium Feriæ Ioannis 12. solennem ingressum Domini Iesu in Civitatem Ierusalem repræsentat, de quo jam supra, semel & iterum; cras verò plenius & opportunius.

HAC SANCTA HEBDOMADA, de septem Verbis Domini in Cruce prolatis agitur, unde discamus perfectam in omni genere Renuntiationem, quæ plurimum facit, ad veram sanctitatem, his præsertim sacris diebus, comparandam.

DOMINICA PALMARVM.

DE ILLVSTRI PALMA ET Triumpho quem Christus Dominus refert ex inimicis, & qui exprimitur primo Verbo in Cruce prolato.

Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23.
Cùm audissent, quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt Ramos Palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Ioan. 12.

VERITAS PRACTICA.

Illustrior de Inimicis Palma est, mori pro eis ne moriantur; quàm ipsis perditis triumphare.

RATIO EST, Quia Charitatis illustrior est triumphus quàm vindictæ vel fortitudinis.
Sed moriendo pro Inimicis, ne moriantur, Charitatis est triumphus: De ipsis verò perditis, vel vindictæ vel fortitudinis triumphus est.
Ergo Illustrior de Inimicis Palma & triumphus est, mori pro eis ne moriantur, quàm ipsis perditis triumphare.

I. PUNCTUM.

DE celeberrimo ingressu Domini in Civitatem Ierusalem habetur in 4. parte, hebdomada integra quæ est 24. seligenturque nonnulla pòst ampliores discursus. Hìc modo sufficiat pauca hæc breviter capita, mente percurrere, quibus ad primæ Veritatis propositæ Considerationem fiat progressus. Primum, quòd inter alias causas cur sic magnifice Dominus voluerit ingredi Civitatem, hæc una fuit, ut indicaret se de inimicis triumphare.

Secundum, quod de ipsis triumphat non solum esurgendo post mortem, sed moriendo & orando pro ipsis in Cruce, ne pereant.

Tertium, quàm luculentè hunc pietatis affectum expresserit in primo, quod protulit, verbo, *PATER dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Quartum, quanta in hoc Verbo seu in pietatis affectu per verbum expresso, quàmque perfecta reluceat Renuntiatio Juris illius, quod habebat Christus, reposcendi vindictam de Inimicis, necnon de ipsis vindicatis & perditis triumphandi.

Quintum denique, ut ad similem tam generosæ Renuntiationis Imitationem & praxim excitemur, quam sit verum, quod *Illustrior de Inimicis Palma sit mori vel pati pro ipsis, ne moriantur & pereant, quàm de ipsis perditis triumphare; aut alio quovis ulcisci modo.*

Ratio, quæ à Charitate petitur, est insignis ad affectum permovendum, & ad intellectum illustrandum. Quid enim nobilius, quid generosius, & quid sublimius Charitate triumphante? Undecunque enim aliter de inimicis triumphes, sive à prudentia, sive à Justitia, sive à fortitudine, eò semper erit inferior triumphus, quò hæ virtutes sunt Charitate inferiores. Et quidem si nuda & simplici Charitate nihil est excellentius, quantò magis ipsa est excellentissima, dum triumphat? Sic enim seipsam quodammodo altius evehit, si quid sit altius, quò evehi possit: Unde

de Apostolus, cum de Charitate ad cætera
1 Cor. 12. dona & gratias comparata differeret, *Adhuc excellentiorem*, inquit, *viam vobis demonstro.* Dicite quidlibet, adhuc aliquid excellentius dicam.

II. PUNCTUM.

ATQUI sic pati sic orare & mori pro inimicis, ne pereant, est actus & triumphus Charitatis.

Quod sit actus, patet evidenter: Quod verò ille actus Charitatis, sit eiusdem triumphus, intelligi potest pluribus modis: Primò, quod damnosiores nostri inimici nempe Caro, Mundus & Dæmon sic superentur & triumphentur; sicut enim valde naturale est, valde conforme mundo & valde gratum Dæmoni vindicare se de inimicis, & ad vindictam reposcendam maximè invitemur ab his tribus nostræ salutis hostibus: sic cùm resistimus tentationi, cùm non obstante natu-
1 Pet. 3. rali inclinatione, *non maledictum pro maledicto, sed è contra benedictionem*, ex Charitate reddimus, profectò victoria est & triumphus Charitatis de illis hostibus. Secundò potest intelligi de illis ipsis Inimicis, quos Charitate nobis vincimus, quos nobis devincimus, eos emollientes & inflectentes; Vel quos vincimus Deo, eis gratias obtinentes, quibus resipiscant & salventur; sic dicitur, *lucratus eris*
Matt. 18. Luc. 1. *fratrem tuum: SALVABIS animam eius à morte, & operies multitudinem peccatorum.* Vel denique vincimus inimicos ipso actu Charitatis, quem pro eis exercemus, & singularis obedientiæ, quam reddimus præceptis vel Consiliis Christi, Domini, unde est illud ce-
Prov. 21. lebre Sapientis dictum; *Vir obediens loquetur victoriam*; Qua enim ratione hic Charitatis actus est superior meritis & dignitate, illa Inimicorum potentia seu violentia, quam in nos exercent; eâdem nos superiores & victores eorum sumus; ac proinde de eis triumphamus.

Sed prius animè, de te triumphes necesse est: vincendus ille affectus, qui te ad vindictam inclinat, atque ut vincatur certius, con-
Apoc. 6. stanter est impugnandus. *Sic exit vincens ut vinceret.* Vindica me Domine, non de meis Inimicis, sed de meipso.

III. PUNCTUM.

SIC ergo patet, illustriorem illam esse palmam & triumphum, qui de inimicis agi possit, quando pro eis potiùs patimur & oramus, exemplo Christi, quàm si eos ultione accepta perderemus, ne quid inulti ab eis patiamur. Quia Charitas longè semper excellentius Bonum est quocunque alio, quod ex vindicta vel ex prætento Jure reposcendæ reparationis læsi honoris vel injuriæ acceptæ provenire possit. *Super omnia, Charitatem habete*: Unde aptè S. Coloss. 3. Augustinus, *Charitas est verissima, plenissima, L. 3. de perfectissimaque Iustitia.* Et hæc certè consi- nat. & deratio plurimum valere debet ad illam Chari- gr. c. 42. tatem exercendam; nam quid quærimus in vindicta reposcenda? hoc unum nempe ut malum avertamus, vel bonum aliquod procuremus; sed nullum est tam grave malum, quam si Charitatem perdas, aut nullum tale bonum quam eius actus & exercitium: ac proinde cedant illi omnia necesse est, aut negandum, Charitate nihil esse majus & excellentius, quod tuta fide & Conscientia cogitari non potest.

O quam verè & sapienter Sapiens, *Honor* Prov. 20. *est homini, qui separat se à Contentionibus.* Non dixit pax est homini, gratia est homini, salus, benedictio aut alia singula bona, quæ referre poterat, sed honor est homini, quia de honore magis dubitant homines, num sit in illa Charitate servata, & idcirco nos certos & securos esse voluit, ut si honorem quærimus, Charitatem potius quam vindictam cogitemus. Non potest enim non esse valde honorificum coram Deo & coram hominibus rectè sentientibus, cùm majus bonum minori præferimus, aut dum prospicimus ne minus malum majore malo redimatur. Etenim quis non eum stultum judicet & derideat, qui propter calceum breviorem, sibi pedem resecaret? Sic planè ille insanit, & meritò est deridendus, qui propter temporale aliquod bonum, Caritatem violet, quæ tale est bonum
ut *Charitas Deus sit, & Deus Charitas.* O bo- 1. Ioan. 4. num super omne bonum. Dic ergo ex corde cum Christo, *Pater, Ignosce illis*; & mihi simul cum illis, si quid contra hanc Veritatem peccavi.

Huic affines videri possunt quæ sequuntur.

Ihjurias,

Injuriam infert Gratiæ maximam, qui proferenda injuria non certat fortiter.
In 1. parte. In die S. Stephani.

Injuriosum est Christo, si nulli quidem velis inferre injuriam, nolis autem illatam ferre.
In 1. parte. Die 16. Ianuarii.

Læsi amoris ira quò est suavior, eò potentior.
Qui ruina gaudet inimici, ruinam eius in se trahit.
In 2. parte, Feria 6. & Sabbato hebdomadæ 3. Quadragesimæ.

Quidquid acquiras æmulando, plus perdis quàm acquiras.
In 2. parte, Feria 5. hebdomadæ 1. post Octavam Paschæ.

Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam.
In 3. parte, Feria 2. & 3. hebdomadæ 4.

Si semel sunt condonandæ injuriæ, sunt semper condonandæ.
In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 18.

Quidquid profers ne parcas aliis, contra te profers ne parcat tibi Deus.
In 4. parte, Dominica 21.

QUÆ de hodierno Ingressu & Triumpho Domini possent alia memorari, atque inde Veritates ad praxim educi, hæc sunt in primis, ex Evangelica narratione.

INVENIETIS *asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite. & adducite mihi.* Matth. 21. videndus textus.
Quod magis confert ad faciendam ritè Confessionem minus efficitur, nisi cum Sacerdote priùs conferatur.
In 1. parte, Feria 3. hebdomadæ 3. post Epiphaniam.

DICITE *quia Dominus his opus habet.* Ibidem.
Sic nempe dicendum, in quibus omnibus nos velit Deus, nam,
Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debemus.
In 1. parte. Die 4. Ianuarii.

ECCE *Rex tuus venit tibi mansuetus,* Ibidem.
Non nisi subjectis Christo concupiscentiis, Rex Christus re agnoscitur.
Non à magno regno, Rex magnus, Christus ita est prædicandus, quam a Magno Rege, magnum eius regnum.
In 1. parte. Die 6. Ianuarii.

Quam in se attrahit Gratiam, qui se Deo libens offert, eandem sibi detrahit, qui, quod offert, non reddit.
In 1. parte, Feria 3. hebdomadæ 1. Adventu, ad stabiliendam veræ virtutis firmitatem.

PLURIMA *autem turba straverunt vestimenta sua in via: Alii autem cædebant ramos de arboribus.*
Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David &c. Matth. 21.
Tria simul hæ turbæ conjungunt, quæ sunt ad veram Devotionem valde observanda; Nempe affectum, voces & opera, quæ ad tres corporis partes spectant, Cor, linguam & manus; Unde hæc manat Veritas:
Nisi Cor, lingua, & manus, ad Devotionem simul conspirent, ipsa exspirabit Devotio.
Ratio fundatur in natura veræ Devotionis, quæ nos totos ita Deo reddit, ut nisi totos reddat, non sit vera; non reddit autem totos, nisi tres illæ conspirent partes, ut explicatur fusius in 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 26.

ET *ut appropinquavit, videns Civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu.* Luc. 19.
Nisi Cor tuum moveatur ad verba Christi lachrymantis, Cor illud est de quo Sapiens, *Cor durum habebit malè in novissimo.* Eccles. 3.
In 3. parte, Dominica 9. Vbi hæc alia subjungitur.

Si te cognovisses, hoc in te flendum nosses, quod deflet Christus.
ET verò ad conciliandas hoc sacro tempore, vel quandocunque Divino placuerit Spiritui,

Spiritui, salutares lachrymas, plurimùm valere potest hæc Divi Augustini, de lachrymis sententia, meritòque debet inter Veritates Practicas, sic recenseri & expendi, ut authoritati dicentis, accedat dicti ratio.

Ser. 11. ad fra. in Er.

Lachryma, Passionis Christi Vicaria.

ID EST.

Vices quodammodo gerit Passionis Christi, dum in animis nostris id operatur, quod est præcipuum Passionis Christi opus.

Ratio est, quia præcipuum Passionis Christi opus, est remissio peccatorum, ipso dicente Domino: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes. *Tanquam scilicet hoc sit eius proximum, & præcipuum opus.*

Luc. 24.

Sed Lachryma, sic Domino cooperante, hanc in animis nostris remissionem peccatorum operatur.

Ita omnes Patres, variis quidem loquendi modis, sed idem prorsus significantibus.

Sunt, qui lachrymam comparent cum herba illa fullonum, quæ miram habet vim ad eluendas quascunque sordes; & de qua est mentio apud Prophetam Malachiam. Sic S. Augustinus, *hæc*, inquit, *lachryma, est herba cœlestis illius fullonis, qua vestes servorum suorum deturpatas, à sorde quotidie purgat.* Sunt qui dicant esse velut Spongiam qua litteratura quævis deletur. *In codice*, inquit sanctus Joannes Chrysostomus, *scripta sunt peccata tua; Spongia peccatorum tuorum Lachryma tua sunt. effunde Lachrymas & poteris ea delere.* Rursumque alibi sub alia similitudine: *In sæcularibus*, inquit, *iudiciis, quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris & lugeas, non tamen effugies flendo supplicium: Hic verò si toto corde ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam, veniamque consecutus es.*

Mal. 3.
Ser. 11. ad Fratres de Eremo.
In Ps. 50.
Hom. 6. in Matth.

Sunt qui dicant esse velut naufragium aut velut etiam illud diluvium, quo totus est orbis expiatus. *Lachryma*, inquit Petrus Cellensis, *est naufragium vitiorum, portusque naufragatorum.* Sanctus autem Hieronymus ad illum Psalmi Versum: *Veruntamen in diluvio aquarum multarum, &c. VIDE*, inquit, *quanta magnitudo sit fletuum ut diluvio comparentur*; Quod non tantum dicit propter abundantiam, sed propter efficaciam. Quo in sensu iidem dicunt Lachrymis nostris Dæmonem magis uri quàm suis flammis, & ipsum inferorum ignem nostris extingui fletibus.

L. de Pan. c. 12.
Ps. 31.

Quid quod sanctus Leo non dubitat affirmare lachrymas à Divo Petro fusas esse velut baptismum? *Fœlices*, inquit, *lachryma tua, quæ ad diluendam culpam negationis, Virtutem sacri habuerunt baptismatis.* Et quidem, *iterabilis*, ait sanctus Bernardus, ut non semel tantum, sicut Sacramentum Baptismi, sed sæpius hoc Sacro lachrymarum Baptismate possimus ablui. Poteratne dici expressius aliquid ad propositæ Veritatis fidem illustrandam? Quid enim Baptismo efficacius ad omnes peccatorum maculas eluendas? Et quia Martyrium, Baptismus Sanguinis est, qui hoc commune habet cum aquarum Baptismo, ut nihil in peccato relinquat non plenè ablutum & detersum, idcirco etiam audet Divus Chrysostomus cum isto martyrio conferre lachrymas. *Dicam*, inquit, *tibi quid valeant lachryma, attende diligentius. Quid martyribus maius animam suam ponunt pro amico suo? Grandis gloria Martyrum: Martyres effundunt sanguinem: peccatores effundunt lachrymas. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, & delevit peccata sua.* Tũ de Divo Petro. *Nunquid sanguinem fudit? Nonne amare fudit lachrymas, & abstersit peccatum suum, & recepit pristinam dignitatem?*

Serm. 9. de Pass.
In octava Paschæ.
In Psalmum 50.

Ex quibus & aliis Sanctorum Patrum dictis sicut apertè patet in veris lachrymis, remissionem peccatorum contineri, sic planè liquet quam verè lachryma sit Passionis Christi Vicaria, cùm id operetur in nobis, quod est præcipuum Passionis Christi opus.

Quamobrem cùm nihil modò sit opportunius quàm & recolendo simul salutis nostræ mysteria, & remittendis vacare peccatis, sic utrumque simul jungendum est, ut & sacræ memoriæ Passionis, lachrymas exciret; & excitatæ lachrymæ memoriam passi Domini renovent & virtutem eius communicent. Sic Christus ipse Dominus utrumque junxit, ut manifestè ait Apostolus, *qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Possent alia quæcunq; peteres, denegari, sed petentibus veniã lachrymis nunquam

Hebr. 5.
Serm. 6. de Cœna Dom.

nunquam negatur. *Non supervacuæ mendicant lachrymæ veniam*, ait sanctus Cyprianus, *nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, spiritum sanctum non dubito aspirantem; Cum intueor flentem, sentio ignoscentem.*

Serm. 46. de pœnit. Petri.

Quod quidem tam proprium est & singulare lachrymis, ut etiamsi expressam non peterent peccatorum veniam, veniam tamen obtinerent: ut egregiè prosequitur sanctus Ambrosius. *Lachrymæ*, inquit, *tacitæ quodammodo preces sunt. Veniam non postulant & merentur. Causam non dicunt & misericordiam consequuntur. Vtiliores lachrymarum preces sunt quàm Sermonum. Sermo enim interdum non totum profert negotium; lachryma semper totum prodit affectum.*

Vide in 3. parte, Feria 4. hebdomadæ 3. *Beati qui lugent.*

AD VERBA porrò supradicta, *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.*

Vel ad ista: *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi:* & quæ sequuntur Lucæ 19.

Posset adjungi vel conjunctim cum superioribus, vel separatim, hæc Veritas, ad perfectæ praxim Emendationis, plurimum efficax cum Divina Gratia.

Hoc Sacrum tempus Crisis est æternitatis.

Vel sic expressius.

Hi Sacri dies non minus diligenter sunt observandi pro salute animæ, quàm dies Critici pro sanitate corporis.

SIC Ecclesia suo in officio, dum Passionis tempus inchoat.

Isti sunt dies, quos observare debetis, temporibus suis.

RATIO EST, Quia idcirco pro sanitate corporis observantur quidam dies, dicti Critici, quòd ex illis indicium plerumque fiat, vel indicium capiatur de statu sanitatis.

Sed hi sacri dies, hi sunt ex quibus capi possit indicium pro salute animæ, id est, prout modò quisque geret, inde sperandum vel timendum erit pro æterno salutis animæ statu.

Ergo hi sacri dies non minus diligenter sunt observandi pro salute animæ, quàm dies Critici pro sanitate corporis, imò tanto id diligentius, quanto corporis sanitati salus animæ præstat.

I. PUNCTUM.

PRIMA propositio posset explicari paulo latius ex ipsa, quæ in morbis præsertim febrilibus apparet, experientia; dum certis quibusdam diebus, nempe septimo, decimo quarto, vicesimo primo & similibus, Natura morbi seu status morbidi, se apertius prodit: fit pugna quædam in corpore, vires inter naturales, & morbi malignitatem; Contendit Corpus in seipsum pro seipso, dum latentes in se morbi causas expellere nititur, & se domestico liberare hoste. Quod si quidem fœliciter ei succedat; si exudet, si copiosè, si toto corpore, si vi naturali non arte exqūisita; tùm prosperæ valetudinis certa spes capitur. Aut si è contra, corpus rigeat, vel in sudatiunculam, ut vocant, laboriosè dissolvatur; tunc metuendum est corpori, tunc periculosa vis morbi est & damnosa pernicies; Inde videlicet indicia capiuntur, inde judicia, sive prognostica & præjudicia; Unde ista naturalis pugna dicitur *Crisis*, quasi judicium, & dies quibus illa solet accidere, *dies Critici*, quasi decisivi, decretorii, aut velut *arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi*; Sicalli loquuntur qui de his scribunt. O si tam periti essemus in animæ morbis vel cognoscendis vel sanandis! *Omne Is. 1. caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Hæc primò dicuntur de morbis nostris, tum de Christi vulneribus, quæ sunt morborum remedia, si vellemus ea nobis apponere. *Nec minorem febrem amoris esse dixerim quàm caloris*, ait sanctus Ambrosius, *febris nostra in Lucam avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, ambitio, iracundia*, & quotquot insunt vitia, tot sunt ægritudines animi; suntque animæ certa pernicies, nisi prospiciat; qua de re fusius, multis in locis.

III. PUNCTUM.

SED hi sacri dies, hi sunt ex quibus, suo quodam modò, capi possint indicia pro salute

lute animæ, sicut dictum est pro sanitate corporis.

Nempe his diebus, talis pugna fit inter syndæresim & libidinem, inter Divinam Bonitatem & humanam perversitatem, inter Christi Gratiam & nostra vitia, ut prout cuique pugna successerit, de futuro salutis statu præiudicari possit. Cùm enim hoc præsertim tempore repræsentetur nobis Christus velut ipse trans in tormentis, & expirans in Cruce. Cùm sit ex præcepto sacra celebranda Communio, cùm paranda Confessio, cùm alia Religionis instituta, modò sint accuratius excolenda, quis dubitet tùm munificentissimum Dominum sua largius effusurum dona? suas abundantius communicaturum gratias? Quis nisi planè perditus & desperatus non sentiat singulares animi motus in amorem pietatis & in peccati odium? Quis non deploret suam intemperantiam, suam ferocitatem, suam libidinem, ac reliqua sua vitia.

Et horum quidem motuum communis sensus est, at longè dispar effectus: nam qui vocantis Dei Gratiæ respondet, neq; tantùm à peccato, sed etiam ab amore perverso, qui peccati radix est, penitus discedat; magnam sanè spem consequendæ salutis præbet, meritóque in eorum est numero, de quibus dicitur à Propheta: *In tribulatione sua manè consurgent ad me: Venite & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos, percutiet & curabit nos, Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu eius.* Sic ille, sic Spiritus ipse Sanctus prædicens & denuntians futuram ex his motibus quorundam animæ prospetam valetudinem & perpetuam beatitatem. *Osee 6.*

At contrà: Si solis in animi motibus hæreat cujusquam pietas, si nõ ultra in tale peccati odium se protendat, ut jam omnino nolit peccare, si sacris feriis absolutis, ad pristinũ redire cogitet genium, nec de arctiori deliberet disciplina, qua se deinceps contineat; tunc planè oppositum formatur judiciũ, tunc cavendus ei denuntiatur interitus, & certa impendens pernicies. Audi enim, quid sequitur in eodem Prophetæ loco: *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Propter hoc dolavi in Prophetis; occidi eos in verbis oris mei: & judicia tua, quasi lux egredientur;* Id est; Ex his tuis gestis tam clarè judicari potest, quid de te futurum sit, quàm est ipsa lux clara & aperta. Cur porro? quia quo tempore formare debebas solidam pietatem, quæ te ab omni deinceps peccato avocaret, tu contentus nonnullis quibusdã piis motibus non ultra processisti, sicque tua devotio transactis festis transiit, & velut nubes aut ros matutinus de repente soluta est; Hoc est ad æternam salutem valdè sinistrum & infaustũ. Quid enim tibi salvando potentius, quam quod suggeritur his diebus? Quid validius ad compungendam quantumvis duram Conscientiam, quàm *vivus ille sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad divisionem animæ ac spiritus?* Quãdònam verò sermo ille divinus subministratur abundantius, quam hoc tempore, vel efficacius, quàm cum de Christo patiente disseritur? At nonne hoc est, quod modò exhibetur? Nonne ad hoc idcirco singulariter à Domino. Concionatores quique excitantur, acuuntur, dolantur, & pene occiduntur, ut per Christi patientis & morientis viscera, te à peccato revocent, & in stabilem salutis viam te adducant? Nonne tu ipse vides, quam sit id æquũ & debitum? Et tamen paulò post perinde ac si ludicra & ficta essent hæc omnia, tam facili propensione liberiorem repetis vivendi licẽtiam! Actum est de te, periisti, aut certè tam certò periclitaris, quàm verè apta & opportuna erant omnia, quibus in veritate, à mundanis tenebris ad Lucem Evangelicam & verè Christianam virtutem converteris. *Hebr. 4.*

Hoc nempe velut quoddam extremum remedium, extremis nostris malis divina providit Sapientia, ut per Christi vitam & mortem resipiscerem us, *Verebuntur,* inquiebat, *filium meum*; Nil ultra superest, hoc si non sanaris remedio, *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, curationum utilitas non est tibi. IMMVNDITIA tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis.* Quibus enim opportunius modis? *Quid tibi faciam,* ait Deus, quid tibi ultrà conferam, quid à me expectes aliud, quam ut te novis illustrem luminibus, ad cernendũ apertius, quid sit peccatum, quid peccatrix anima, quid peccatis involuta, qualis est tua; vel te novis accendam ardoribus ad audendum *Matt. 21. Ier. 30. Ezech. 24*

Ibid.

dum melioris vitæ propositum? En quod intendo his diebus, en quod præsto, quod satago: *Probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Tu propterea tamen nihilo factus melior, in eadem perduras mente: *& in omnibus his, ait Dominus, non est reversa in toto corde suo, sed in mendacio!* nec putares inde capi damnationis tuæ tremenda præjudicia! O te insensatum si non id sentis! Audi rursum, quid de te Judex tuus pronuntiet: *VÆ eis, quoniam recesserunt à me, vastabuntur quia prævaricati sunt in me; & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Ego erudivi eos & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus*; Id est, arcus qui non rectè dimittit sagittam in scopum, vel cujus sagitta retorquetur in ipsum sagittarium: quasi diceretur, sed ad necem ipsi designant, sua in se tela convertunt & arma, suis se bonis deteriores faciunt. *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hæc recta & probata judicandi ratio, de periculo animæ, cum lucem perinde habet ac tenebras, cum diem illum, in quo lucebant ei Veritates saluberrimæ, quibus sanari poterat, sic elabi sinit, ut perinde post in tenebris ambulet, ac si lumen non vidisset.

Mal. 3.

Ierem. 3.

Osee 7.

Ioan. 3.

III. PUNCTUM.

HI sunt igitur dies, quos observare debemus. Hi sunt dies non minus diligenter observandi pro salute animæ quàm dies Critici pro sanitate corporis. Quia non minus ex his de animæ, quam ex aliis de corporis periculoso statu judicari potest, si salutem non operetur, detestando ut oportet non solum omne peccatum, sed rem ipsam, quæ est causa peccati, ut sæpe dictum est. *Dies tribulationis, & correptionis & blasphemiæ, dies hæc, quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi.* Non est partus, nisi verè id efficias, quod concipis & promittis te facturum. Quo verò die id promittis, manifesta dies est tribulationis ac correptionis; & quia non promittis seriò, aut nō satis fideliter exequeris, rectè dies etiā blasphemiæ dicitur, & dies decretorius, dies Criticus quo judicari potest; te in summo versari periculo; tibi valdè à te timendum.

Is. 37.

Nonne hoc ipsum est, quod in Iudæis plorabat Dominus, *quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi!* dies nempe ista, qua sic gloriosè Christus ingressus est Civitatem, qua sic commoti sunt Cives, ut eum quasi Regem agnoscerent, dies eorum erat Criticus, si nempe perstitissent in illo pio affectu, si eius sequi consilia, si parere mandatis voluissent, si peccata deponere sicut laudatus ille Zachæus: hanc ipsam Domini vocem audissent & benedictionem accepissent, *Salus huic domui.* salus huic Civiti, salus unicuique converso: sed quia mox à seipsis defecerunt, quia nihil de peccatis deponendis cogitarunt, idcirco mutata, in maledictionem benedictione, nihil aliud audiunt quam futuras impendentes pœnas, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ!*

Luc. 19.

Notanda hæc singulariter verba, quibus confirmat Dominus, quod jam à nobis dictū est, esse certum tempus, quo inter alia de salutis negotio præsertim agitur, in quo agnoscendo & observando tempore nisi simus sagaces & seduli, peribit temporis Gratia, quæ nullo unquam alio forsan occurret. Unde & ipse Dominus: *Venient dies, quando desideretis videre unum diem filii hominis, & non videbitis.* Et rursum: *Cum videritis nubem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit. Et cùm austrum flantem, dicitis quia æstus erit, & fit. Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à vobis ipsis non judicatis, quod justum est?*

Luc. 17.

Ib. 12.

Quod & multo ante per Prophetam illis exprobrarat, adducta similitudine volucrum: *Milvus*, inquit, *in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini!* Judicium scilicet, quo Dominus de anima judicat; Judicium quod ipsa debet anima de Domino judicare, sed alio plane diverso sensu, nempe agnoscendo tempus, quo sibi ab illo Gratiæ conferuntur, agnoscendo suam in his accipiendis & usurpandis fidelitatem, agnoscendo suum periculum nisi fideliter obsequatur, unde idcirco tam sæpe & graviter Apostolus: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis, ait enim, tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Ier. 8.

2. Cor. 6. Is. 49.

Ecce:

Ecce nunc verè dies, in quibus ad salutem operandam non minus Gratia singularis nos adjuvat, quam natura corpus ægroti statis illis diebus, ut dictum est, ad sanitatem comparandam. Sic itaque cum Gratia singulariter operemur, atque hoc in primis penitus animo persuasum habeamus, totam illam operam nostram in hoc præcipuè positam esse, ut peccatum deponamus, & certum quoddam peccatum, quod uniuscujusque morbus est gravior, & mortis æternæ futura est causa, nisi seriò deponatur.

Hoc intelligendum, hoc inculcandum, hoc importunè & opportunè repetendum, non in jejuniis, non in precibus, non in peregrinationibus aut aliis quibusvis operibus ita positam esse operam, quæ à nobis exigitur, ad sanitatem animæ cum præsenti gratia recuperandam, sicut in peccato expellendo. Non est noster morbus, non orare his diebus, aut etiam non confiteri: sed hæc est tota mali labes, non mutare vitam aut non avocare animum ab illis rebus & objectis, quæ nos in peccatum solent inducere. Hoc est quod spectat parata Gratia, hoc est quò nos trahit, hoc est quò nos illam sequi possimus. Jejunaverunt Ninivitæ, saccis operti sunt, & multis se dederunt lamentis; at nullo tamen istorum operum placatus dicitur Deus, sed tantum mutatione vitæ. *Vidit Deus opera eorum*, inquit Sacer textus, *at quanam opera*, quærit sanctus Chrysostomus, *quod jejunaverunt? quod saccum induerunt? nihil horum, sed hæc omnia tacens intulit. Quoniam conversus est quisque à viis suis malis. Cernis quod non jejunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio.*

Hoc est firmum quod dicunt propositum, quo sic muniri debet nostra Confessio, ut tam salubris sit futura, quam firmum fuerit & solidum hoc emendandæ vitæ propositum.

Angetur fortasse animus, laborabit in dissolvendis vinculis, quibus mundo tenetur, timebit famæ, pœnas metuet, & anxia futuri solicitudine retardabitur, sed nihil horum vereatur, nec faciat animam suam, id est, animalem illam partem, quæ rationi & gratiæ se opponit, non faciat inquam pretiosiorem quam se. Hæc est Chrisis, hæc est pugna, hæc agonia, quam ipse Dominus subire voluit, ut nobis esset exemplo sic pugnandi & vincendi. Nonne sic Dominus in horto timere voluit, nonne in agonia & sudor fluxit sanguineus? Sed timorem vicit nostræ salutis amor. Nos tùm sibi præsentes fecit, & nostri gratia nihil duri, nil asperit recusavit. *Act.* 20.

Sic deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem & Consummatorem Iesum; ut fusius Feria sequenti sexta. Concludat verò, aut alio quo voles loco, discursum hunc illustret & accendat Divi Bernardi suavis ac potens adhortatio: *Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde quærite Dominum, & odite malum: pœnitentes non verbo tantùm & lingua, sed spiritu & veritate. Quia verò non satis cecidisse piget hominem, ut videtur, qui adhuc manere disponit in lubrico: aut errasse, qui ducem non quærit*; SIT VERÆ COMPUNCTIONIS INDICIUM, OPPORTUNITATIS FUGA, SUBTRACTIO OCCASIONIS. *Alioquin timendum valde, ne dies ista, si quidem & ipsa posita est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, reprobet vos, vel tanquam manifestè alienos à Christo, Christo non communicantes, vel tanquam socios Iudæ, in quem intravit Satanas post buccellam.* Hebr. 12. Serm. 1. de Resurr. Dom.

FERIA SECUNDA.

DE SECUNDO CHRISTI DOMINI Verbo.

Amen, dico tibi, Hodie mecum eris in Paradyso. Luc. 23.

ET DE EA RENVNTIATIONIS SPECIE, QVÆ SPECTAT USUM SUÆ POTESTATIS.

VERITAS PRACTICA.

Impietatis genus eſt pietatis Cultoribus nimis commune: plura quàm poſſint, velle facere: & quæ poſſint, non facere.

RATIO, cur hoc ſit impietatis genus, hæc eſt inter alias, quòd velle aliud quàm velit Deus, ſub prætextu quodam pietatis, impietatis eſt quoddam genus.

Sed hoc volunt, qui plura quàm poſſunt volunt, & quæ poſſunt, non faciunt.

Ergo id impietatis genus eſt; Quod quàm ſit nimis commune pietatis Cultoribus, tu ipſe ex teipſo intelliges, ſi te attentè proſpexeris.

I. PUNCTUM.

QUam diverſus utriuſque latronis ſimul cum Chriſto pendentis ſtatus! Quàm longè alia mens, alia verba & alius eorum vitæ exitus, qui forte eadem vitæ principia ſeu idem vivendi genus ſectati fuerant! ô Divina Judicia! Ac primò quidem videtur ſimul blaſphemaſſe in Chriſtum cum Judæis, ſic enim apertè ſanctus Matthæus: *Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Itemque ſanctus Marcus, *& qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Cum verò unus eorum inſolentius blaſphemaret dicens: *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac teipſum & nos*; Tum factum eſt, quod Sanctus Lucas refert, *Reſpondens autem alter, increpebat eum dicens, neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es; & nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus; Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyſo.*

Matt. 27. Marci 15. Luc. 23.

Quæ omnia longiori conſideratione digniſſima, ſed & illud in primis, quod non eſt ita forte obvium & vulgare, Conſidera, quàm rectum agendi modum ſervet Chriſtus, circa hos duos latrones, quàm juſtum & temperatum ſuæ poteſtatis uſum exerceat. Ecce enim, qui tam profuſus eſt erga unum, ut ſtatim atque locutus eſt, paradyſum promittat; Alteri tam parum liberalis videtur, ut vix ad ejus Converſionem aliquid poſſit aut velit.

Si tantùm poteſt erga unum, ut de latrone Confeſſorem & Beatum repente faciat, cur non illam potentiam in alium æquè exerceat? Ne plura curioſius anime perſcruteris; Illud unum admirare, quod ſuppoſito utriuſque diverſo ſtatu, ſic Chriſtus utrique poteſtatem ſuam accommodat, ut quod videret in uno ſe debitè poſſe, liberaliſſimè faciat; quod autem ſpectaret in alio ſe non æquè poſſe, non appetat ultrà facere quam quod poteſt; vellet quidem utrumque converti, ſi Deus ita vellet, ſed quia Deus non ita vult de utroque abſolutè; neque etiam ipſe vult aliter quam quod Deus.

O perfectum Renuntiationis exemplar, contra quod tam multi peccant, quàm multi ſunt pietatis Cultores, qui plura quàm poſſint velint facere: & quæ tamen poſſunt non faciant. Non eſt hæc pietas, non eſt hic pietatis cultus ſed impietatis quoddam genus valde execrandum.

Ratio eſt obvia & familiaris; Quid eſt enim impietas, niſi aliter de Deo ſentire, aut aliter ei velle ſervire, quam ipſe velit & ordinet? *Vidi*, inquit Sapiens, *ſub ſole, loco iudicii impietatem, & loco Iuſtitiæ Iniquitatem*; Id eſt, vidi res aliter geri ab hominibus, quàm æquitas & juſtitia poſtularent, quod eſt impiũ & iniquum, ſeu contra Deum, & homines. Atque hoc quidem magis contra Deum eſt & magis impium, quando ſit ſub prætextu pietatis & æquitatis: neque enim, ut ait ſanctus Auguſtinus, ſimulata æquitas eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia & iniquitas eſt & ſimulatio. *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.*

Eccl. 3. In Pſ. 63. Iſ. 3.

II. PUNCTUM.

SED qui plura quàm poſſint, volunt, circa cultum Dei; & quæ poſſunt non faciunt, volunt aliter Deo ſervire, quàm ipſe velit.

Nam cùm poteſtas bene agendi ſit à Deo, ſicut poteſtas Regendi, certè quando datur aut negatur alicui poteſtas, datur index & interpres quædam Divinæ voluntatis circa illud

Rom. 13.

sud agendum, cuius est data vel negata potestas; sicut enim quando quis debet & potest agere, signum est Deũ velle ut agat; sic quando non potest, manifestum est iudiciũ, quod
1.Cor. 10. Deus nolit. *Fidelis Deus*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Itemque alibi, *Quemadmodum promptus*
2.Cor. 8. *est animus voluntatis, ita sit & perficiendi, ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secun-*
1.Cor. 3. *dum id quod non habet*; id est, hoc tantum ab unoquoque requiritur, quod ipse potest, non quod non potest, *unicuique sicut Dominus dedit*, ait expressè Idem.

Quamobrem liquidè patet, quod, qui plura, quam possint, volunt pro Deo facere, volunt quod non vult Deus, qui nihil ab unoquoque vult, nisi quod quisque possit. Et cum non faciunt quod possunt & debent, nolunt quod vult ab eis Deus, qui dedit posse quæ præcepit. Ac proinde quis non videt eos aliter atque aliter velle servire Deo quam ipse velit? Et quidem tam obstinatè volunt, ut nõ semel duntaxat Divinæ repugnent voluntati, negando quæ ipse vult; sed rursum eidem repugnant, cum illud etiam velint, quod non vult Deus; quasi melius norint, quid sit acceptum & gloriosum Deo, quàm ipse Deus
Iob. 13. norit, *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo judicare nitimini? aut placebit ei, quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis?* Sic aptè Iob.

III. PUNCTUM.

IMpietatis ergo genus est, pietatis cultoribus valde cavendum, cùm plura volunt quàm possint facere; & quæ possunt non faciunt. Sic enim aliter Deo servire volunt quam ipse velit, quod est omnino impium. *Nunquid vult* 1.Reg. 15. *Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* Saltem, si illi, quod possunt, facerent, forte desiderium illud plura faciendi quàm possunt, non esset malum: sed cum non faciant quod possunt, & quod sciunt se debere facere: profectò quidquid appetunt plus quam possunt, non propter Deum appetunt, cui si servire & magis placere vellent ex animo, non illud negligenter omitterent quod possunt. *Quid vocatis me, Do-* Luc. 6. *mine, Domine, & non facitis quæ dico?* quasi diceret, quid à me plura petitis, cum non ea faciatis quæ scitis?

Vide hic in quo deficias: quàm multa possis cum Gratia, quæ non facis! quàm falsò & fraudulentè sub quadam specie pietatis plura desideres quæ non habes! Renuntia his vanis desideriis, Accepta tam libenter privationem negatæ potestatis, quàm libenter datæ usum exercebis: paratus esto ad majora per fidelem minorum curam, & diligentem officii tui administrationem; *Sic omni habenti dabitur & abundabit.* Ibid. 14. Denique *labora sicut bonus miles Christi Iesu.* 2. Tim. 2. Bonus miles non sibi locum dat pugnæ, sed datum servat, & dum in illo servando pugnat & laborat, meretur palmam & locum insigniorem.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Cœna in Bethania, ante sex dies Paschæ. Ioan. 12.

De hac Cœna, & de odoriferis Magdalenæ unguentis, In 4. parte, Feria 3. hebdomadæ 26.

Verùm si quid aliud à Domini Verbis hîc expositis considerandum aut dicendum velles, hac sancta hebdomada, consultius foret illud ex internis Christi doloribus supra declaratis, vel ex aliquo passionis morali mysterio desumere; semper id spectando, ut cùm, tibi tùm aliis, emendatiorem vitam persuadeas.

FERIA

FERIA TERTIA.

DE TERTIO CHRISTI VERBO.

Mulier, ecce Filius tuus.
Ecce mater tua.

ET DE PERFECTA RENUNTIATIONE IN ORDINATI AFFECTUS ERGA PARENTES, AUT ALIAS PERSONAS CARAS.

VERITAS PRACTICA.

Qui nimis suos diligit, non satis diligit.

RATIO EST, quia qui nimis suos diligit, naturali tantum affectu eos diligit.
Sed qui naturali tantum affectu suos diligit, non satis diligit.
Ergo qui nimis suos diligit, non satis diligere dicendus est, & facit injuriam Deo, sibi & suis.

I. PUNCTUM.

Ioan. 19. STABANT autem, inquit sanctus Joannes, *juxta Crucem Iesu, Mater eius & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem & Discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ; MVLIER, ECCE FILIVS TVVS. Deinde dicit Discipulo, ECCE MATER TVA. Et ex illa hora, accepit eam Discipulus in sua.*

Quali cum sensu pietatis, compassionis, cæterorumque affectuum tùm dolentissimæ Matris, & carissimi Discipuli erga pendentem Iesum; tum pendentis Iesu erga suos dilectissimos, hæc gesta dictaque fuerint, fusè habetur in Meditatione vernacula, tuque ipse facile contemplari potes. Expendendum verò illud ad praxim, quàm perfectam Renuntiationis affectuum formam proposuerit Dominus, circa parentes aut alias personas nobis caras. Cùm enim ex alterutro æquè peccati possit, ut non satis vel nimis eos diligamus; sic ille temperavit affectum suum, seu affectus sui effectum, ut nec defuerit pietati, neque nimis affectui indulserit. Certè nisi temperasset naturalem suum affectum, non permisisset matrem illic adesse præsentem, & tantum pati, quantũ talis Mater in tali morte Unigeniti pati potest. Verum quia sic illi & nobis expediebat, ut quos dolores fugerat patiens Filium, eos sustineret parturiens illic quodammodo genus humanum: idcirco permisit eam interesse suæ morti & sese mutuis compatientis animi vulneribus simul exulcerare.

Neque verò se ita continuit aut humano affectui renuntiavit, quin eam benignè intuitus, & solando allocutus, & omni pietatis officio fuerit prosecutus. En ut fidelissimè suo Discipulo illam commendat, Itemque Discipulum matri! *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua.* O tela pietatis ardentissima! Perge aliquamdiu in his affectibus; ac deinde ad propositam Veritatem delabere: Est enim Consideratione dignissima & ad praxim opportunissima; Nam ita simul extrema jungit & temperat, ut, quod in illis est vitiosum extirpet; & quod est officii seu perfectionis, persuadeat.

Sic ergo habe, *quod si nimis tuos diligis non satis diligis;* Etenim nimia illa dilectio non nisi naturalis est & humana, nam si esset supernaturalis & divina non esset inordinata nec nimia, cùm Divina Charitas sit ordinata aut non sit Divina; superest igitur quod sit tantũ humana & naturalis affectio, quæ ordinatè nimis sensibilis est, & in excessum vergens.

Talis erat amor illius patris, cui Deus exprobravit; *magis honorasti filios tuos quam me.* 1. Reg. 2. Num tibi idem exprobrare posset? & num tibi hæc exprobratio satis dura videtur?

II. PUNCTUM.

SED qui naturali tantùm affectu suos diligit, non satis diligit.

Nam

Nam cùm supernaturalis affectus sit multo præstantior naturali, sive ejus originem, sive finem & terminum, seu modum diligẽdi spectes; Certè qui non diligit suos illo affectu supernaturali, non satis diligit; quandoquidẽ illis negat amorem præcipuum & excellentiorem; At verò qui suos colit naturali tãtum affectu, eò minus illos supernaturali diligit quo naturalis est nimius: nam sua illa nimietate tantum detrahit de supernaturali, quantum excedit rationabilem & Christianum diligendi modum. Si naturalis esset temperatus & subditus supernaturali, se quidem mutuò compaterentur, seseq; invicem confoverent: sed cùm naturalis est nimius, sibi ordinariè subjicit supernaturalem, ejusq; actus & operationes ita impedit, ut non supernaturali sed naturali tantum affectu suos diligat, qui nimis diligit: ac proinde non satis diligat. Hinc aptè S. Petrus Chrysologus: *Amarat nimietas quod poterat condire mensura.* Et apertè Chri-
Matth. 5. stus Dominus. *Nonne publicani, nonne & Ethnici hoc faciunt?* O impiam pietatem, quæ divina commutat humanis, & supernaturalia naturalibus! dumque suis minora effandit, negat majora.

III. PUNCTUM.

Qui nimis igitur suos diligit non satis diligit; Quia non eos diligit præstantiori dilectione, quæ ipsa Charitas est, ubi nec plus nec minus reperitur, dicente sponsa de sponso in Canticis, *Ordinavit in me Charitatem:* unde
Cant. 2. sanctus Augustinus. *Amor ipse ordinate amandus est, quo benè amamus, quod amandum est, ut*
Lib. de Civit. 22. *sit in nobis virtus qua vivitur bene.* Atque hinc liquet, quod alii sancti Patres dicunt de odio, quo jubemur à Christo parentes prosequi, nempe ex illo odio procreari verum amorem, cum enim odium idcirco tantum præcipiatur, ut recedat nimietatem affectus naturalis, eaque temperata sinatur agere Charitas: profectò eò major erit amor quo majus odium, id est, eo magis operabitur Divina Charitas, quò minus affectus naturalis eam impediet, & sic ex odio amor, sicut ex amore odium; ut præclare inter alios sanctus Gregorius; *Quia sic propinquos sicut nosmetipsos odio habere præcipimur, dicamus temperata eos discretionis arte, & convenienter diligere, & salubriter odio habere; quatenus sic sciat per amorem odium surgere, ut valeamus eos verius per odium amare.* L. 7. Mor. c. 14.

Alioquin certè qui non ita per odium suos amat, non levem facit injuriam Deo, sibi & suis. Deo quidem, quod Deum minus amat qui aliquid præter eum amat, quod nõ propter eum amat. Ille autem affectus naturalis, qui est nimius, nõ est secundum Deum neque propter Deum, cùm ut resecetur, præcipiat Deus odium. Sibi autem etiam nocet, cùm ex illa inordinatione præcipui affectus, qui est amor, cæteræ affectiones depraventur; & virtutes, Devotio, Caritas, Castitas, Pauperras, aliæque innumeræ non leve detrimentum accipiant. Suis denique etiam malè providet, cùm supernaturalem eis amorem denegat & Divinos inde effluẽtes effectus; Etenim quid affini, quid amico, parenti aut cuicunq; personæ comparare possis utilius, quam si divina illis impetres beneficia? Quandòquam verò efficacius impetrabis, nisi cum ex vera & Divina Charitate rogabis? Putasne valituras illius preces, qui suos inordinatè diligit, apud eum, qui toties dixit; *Si quis venit ad me & nõ odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animã suam, non potest meus esse Discipulus?* Et hoc illis subtracto beneficio, quod maximũ à te sperare possent, nonne illis injuriam facis? Et nonne minus eos amas quantò nimis amas? Advertite igitur diligenter, & discite à Christo tuos diligere qui è Cruce nos docuit perfectã hanc Renuntiationis formam: *tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis*, ait S. Augustinus, ubi agit de hoc tertio Christi verbo. Luc. 14. Matt. 10. S. August. Tr. 129. in Ioannem.

Vide in 3. parte, Feria 3. hebdomadæ 5. ubi hæc declaratur Veritas: *Solum pietatis genus est in re saluti adversa, suis esse crudelem.*

FERIA QVARTA.

DE QUARTO CHRISTI VERBO.

Deus meus, Deus meus? *Vt quid dereliquisti me?* Matth. 27.

ET DE VOLUNTARIA RENUNTIATIONE CUJUSLIBET SENSIBILIS CONSOLATIONIS.

VERITAS PRACTICA.

Beatius est carere omni sensibili Consolatione, quàm ea abundare.

RATIO EST, quia beatius est magis dare Deo quam accipere.
Sed qui caret omni sensibili consolatione, dat Deo, quantum homo dici potest illi dare.
Ergo beatius est magis eâ carere quàm abundare.

I. PUNCTUM.

UT melius intelligatur, quomodo Christus potuit esse derelictus à Patre, considerandi sunt quinque modi quibus illi erat unitus. Primus per Unionem hypostaticam; Secundus per Visionem beatificam; Tertius per Gratiam Sanctificantem; Quartus per Charitatem actualem seu perfectam voluntatum conformitatem; Quintus denique per assistentiam, quâ cum justis præcipuè Deus adest eos protegendo, confortando sensibiliter, aut aliis modis consolando; Sic ipse toties promittit in scripturis; *Cum transieris per aquam tecum ero, & flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, Noli timere, quia ego tecum sum.* Isa. 43.

Atque hoc quinto solùm modo derelinqui potuit à Patre Christus & à seipso, non autem primis quatuor modis; Sic autem derelictus est, ut nullâ prorsus consolatione sensibili aut aliâ demum ratione, tum extremos, quos patiebatur dolores voluerit mitigare; sed purè & plenè si verit suum corpus atque inferiorem etiam animæ partem pati, quantum naturaliter ex vi tormentorum & omnibus aliis circumstantiis dolorem augentibus dolere & pati poterat. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi & non est substantia*, dicebat David in ejus persona. Sed & nobilis est Psalmus ordine vigesimus primus ac totus de passione Christi, qui ab hoc versu incipit, quem Christus Dominus claraâ voce pronuntiavit: *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti*; Et ut quidam existimant, continuavit, ibi loquendo de delictis suis quasi nos ipsi per eum loqueremur. Quod si tantùm prima illa verba protulit, quæ videntur querimoniam continere: *Vox ista non querela sed doctrina est*, inquit sanctus Leo, expressio scilicet doloris maximi & vehementissimi cruciatus: ut intelligeremus, quò usque peccati pœna devenerit; atque ad eam patientiam ejus exemplo vehementius excitaremur, nulla ut prorsus consolatione sensibili, dolores nostros leniri vellemus. Psal. 68.

Non est grave humanum contemnere solatium cum adest divinum, ait optimè Author libri de Imit. Christi, *Magnum est & valde magnum tam humano quam Divino posse carere solatio, & pro honore Dei libenter exilium cordi velle sustinere, & in nullo seipsum quærere.* Hoc est scilicet totum esse Dei, quo quidem statu nihil præstantius; & hac consideratione nihil efficacius ad illum statum vel desiderandum vel libenter recipiendum, quando sic Deus ordinarit. L. 2. c. 9.

Sic ergò attentè considera quod habet Veritas; *Beatius esse magis carere omni consolatione sensibili quam ea abundare*; *Nam*, ut ait Apostolus, *oportet meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quàm accipere.* Quod universim & absolutè dictum de omni genere doni, magis adhuc videtur verum de donis quæ Deo fiunt; nam ut optimè & fusissimè ait S. Joannes Chrysostomus, beatius est debitorem habere Deum, quam novis nos debitis apud eum constringere; Cum jam enim tam multa illi debeamus, eumque ex tot capitibus seu nominibus mereatur à nobis coli, certè nihil amanti Deum accidere potest beatius, quam si eum qualicunque beneficio demereri aut si fieri possit debitorem habere valeat. Hoc Beatissimæ Virgini tanquam singulare aliquod privilegium à sancto quodam Patre prædicatur, *Eius quæ debitorem habes Eum cui nos debemus Metreuniversi.* Nonne ergo tibi, Anima, gloriosum & beatum erit si quid simile tibi dici potest! Act. 20. Cor. de Purif.

Euge quæ debitorem eum habes cui tam multa debes! Da quantum dare potes Deo, & hac beatitudine potieris.

II. PUN-

II. PUNCTUM.

SEd qui caret omni sensibili consolatione, dat Deo, quantum homo dici potest illi dare.

Suppono duo debent ad declarationem hujus propositionis; Primum est, sermonem esse de homine, qui se profiteatur Dei & virtutis Cultorem. Alterum, quod libenter talis in obsequio Dei, carere velit omni prorsus sensibili consolatione; Quibus præsuppositis, apertè patet tùm illum hominem dare Deo, quantum illi à nobis dari potest; Nam quid ultra cogitari potest, quod à servo detur, si, postquam Domino suo quam potuit cumulatè ministrarit, nihil prorsus pretii, nihil mercedis, ne quidem cibum reposcat, imò se beatum putet si gratis illi serviat, vel si etiam malè tractetur à Domino, nihil de servitio suo remittat, imò eo magis augeat usque ad mortem, quo pejus tractatur.

Certè si servus aliquis invitus & nolens eo miseriarum redigeretur, vix esset ulla miserior servitus, ut patet in Israelitis sic Pharaoni servientibus in Ægypto; sed si servus aut filius sic Domino vel patri libens volensque serviret, profectò non esset, quò servitus seu quò donum inferioris ad superiorem extendi posset ulterius aut altius promoveri. *Die noctuque æstu urebar & gelu.* Vide quæ plura de se dicebat Iacob in hanc sententiam. Cum ergo hic Dei cultor sit ita liberalis in Deum, ut post omnia ritè persoluta, nihil prorsus nisi angores & tædia velit recipere, quid supereſt, quod dare possit Deo? Neque enim tantùm illi reddit obsequia debita, verùm & illud maximè tradit, quod maximè desiderare posset, nempe ut se gratum esse Deo suo sentiret; quo quidem sensu & desiderio dum se libenter privat, & se servum inutilem in veritate pronuntiat, se ita omnibus & seipso privat, ut verè is sit, qui pauper & nudus spiritu dicatur, & qui cum Prophe-

Gen. 31.

ta dicat, *Quia unicus & pauper sum ego.* NEMO *tamen isto ditior, nemo potentior, nemo liberior qui se & omnia relinquere scit, & ad infimum se ponere.* Vide libri secundi caput undecimum: & in 3. parte, in fine, ubi de voto paupertatis: ac in 4. Feria 6. & Sabbato hebdomadæ 17.

Ps. 24.

L. 2. de Imit. Chr. c. 11.

III. PUNCTUM.

BEatius est igitur magis carere omni sensibili consolatione, quam ea abundare, cum sit dare Deo beatius quam recipere, per illam autem carentiam humani solatii, Deo detur quam liberalissimè dari potest.

Exigua quidem res est, & in quibuslibet donis nostris sentiendum cum Davide, & dicendum Deo, *Tua est Domine magnificentia & potentia, tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus debemus tibi. Omnis hæc copia quam paravimus, de manu tua est, & tua sunt omnia.*

1. Par. 29.

Sed, ut optimè etiam ait sanctus Bernardus, *cùm id totum dedit homo quod potest, certè liberalior esse non potest, & ipsius est Divinæ magnificentiæ, sua id acceptatione magnum facere, quod suo alioquin pretio nullum aut valde modicum esset.*

Serm. de Quad. debito.

Iam verò vide accuratius, quæ tuæ sint partes circa hanc Veritatem, quis animus, quis vitæ status? Si quid desit solatii, tene beatum putas? tene beatiorem aliis qui redundant bonis? Et unde ergo illa murmura, illi languores, illæ invidiæ, quando te miserum præ aliis & infœliciorem putas? Non aliunde est quam quod mala pateris quæ non illi patiuntur, vel bona non habes quæ ipsi possident; At ecce, beatius est mala omnia perpeti & bonis carere omnibus, quam abundare: Quomodo ergo te miserum dicis? *Dixisti, væ misero mihi! & tu quæris tibi grandia! Noli quærere. NOLI turbari. NOLI æmulari in eo qui prosperatur.*

Ier. 45. Tob. 10. Ps. 36.

FERIA QVINTA.

DE QUINTO CHRISTI VERBO.

Sitio, Ioan. 19.

ET DE INTERNA RENUNTIATIONE DESIDERII CUJUSLIBET INORDINATI, ETIAM SPIRITUALIS.

VERITAS PRACTICA.

Sic pia etiam desideria debent esse ardentia & temperata, ut qua ratione sunt ardentia, eadem sint & temperata.

RATIO cur desiderium naturale debeat esse temperatum satis patet; Cur autem & quomodo ipsa etiam pia desideria, quæ debent esse ardentissima, possint & debeant esse temperata.

RATIO EST, quod idcirco vehementia & ardentia esse debent, quia res, quæ desideratur, sic merito suo exigit desiderari.

Atqui eadem ipsa res postulat ut temperatè desideretur.

Ergo qua ratione debent esse ardentia; debent esse & temperata.

I. PUNCTUM.

TRiplex hîc Christi Domini sitis considerari potest, Corporalis, Spiritualis & Sacramentalis. Corporalis quâ revera corpus multum laborat: Spiritualis qua Christi animus ardenter sitiebat salutem animarum; Sacramentalis quâ modò existens, in sanctissimo Sacramento, quod hac sacra instituit die, vehementer desiderat sibi uniri animam.

In hac triplici autem siti, perfectæ Renuntiationis speciem nobis exhibuit, quâ non modò appetitus naturalis cohibeatur, sed & ipsa meliora & maximè pia desideria ita temperentur, ut non desinant esse ardentia, & ita semper ardeant ut simul sint temperata. Vide enim primò, ut nullus ei sitienti aquam subministrat, imò eum felle & aceto potât, quod certè est crudelitatis genus acerbissimum. Deinde considera quàm pauci salventur cum tamen omnes salvari desideret; & in illa paucitate salvandorum, nec plurium nec aliorum quàm reipsa salvi fiant, salutem obtineat: Unde mirum, quantopere desiderio suo renuntiet. Denique quàm multò etiam pauciores vehementissimum ejus desiderium expleant, quo sibi omnes in Communione sui Corporis & Sanguinis uniri vellet, quamque patienter & temperatè ferat illam sitim seu rei desideratæ privationem. Sic disce renuntiare non modò appetitui naturali, in iis quæ spectant necessitates corporis, sed in ipsis etiam spiritualibus desideriis, quæ sic debent esse ardentia, ut sint simul temperata.

Ratio cur ardere & fervere debeant, hæc refertur, quòd res spirituales, quæ desiderantur, id merito suo exigant, ut non quolibet desiderio sed vehementi & excitato concupiscantur: sic enim ipse Christus Dominus beatos dicit, qui *esuriunt & sitiunt Justitiam, quia ipsi saturabuntur*, quasi diceret, nisi sic esuriant & sitiant non saturabuntur; quia reipsa perfectio & quæcunque ad eam conferunt, sunt ita supernaturalia, sublimia & excelsa ut nisi eorum sit vehemens desiderium, vix attingantur. Adde quod cùm exquisita sint & pretiosissima Dei dona, ad quæ ipse nos disponit suis antecedentibus gratiis; ordinaria hæc dispositio fit per illa desideria, quæ quo sunt acriora, eo capaciorem recipiendorum Dei munerum redditur animus; unde sanctus Bernardus, *qui esurit, esuriat amplius; qui desiderat, abundantius adhuc desideret, quoniã quantumcunque desiderare potuerit, tantum est accepturus.* Sanctus item Augustinus, *desiderium eorum differtur ut crescat, crescit ut capiat: Non enim parum aliquid daturus est Deus desideranti, aut parùm exercendus est ad capacitatem tanti boni.*

Matth. 5.

Serm. 1. in Festo Omn.

In Ps 83.

II. PUNCTUM.

ATqui eadem ipsa res postulat, ut temperatè desideretur, seu ut desideria illa temperẽtur.

Non ita quidem ut non sint semper ardentia & vehementia, sed ut ardor sit temperatus, hoc sensu, quod quidquid spirituale & Divinum desideratur, nõ aliter desideretur, quàm ut purè Deus videt nobis expedire ad suam Gloriam, & Voluntatis suæ Beneplacitum adimplendum. *Secundum propositum voluntatis suæ*, inquit Apostolus, *in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Atque ita, ut vides, ardor & vehementia desiderii non tollitur, quia semper Dei voluntas ejusque gloria, nec non nostra perfectio, vehementissimè desideranda sunt; sed modus adhibetur & in modo temperamẽtum includitur, quatenus scilicet Deo ipsi videbitur,

Ephes. 1.

cum

cum reverà nulla sit cujusquam perfectio, nec ulla Dei gloria, nisi sic temperatè & conformiter ad Divinam ejus voluntatem ordinentur, quæ ponit mensuras & gradus uniuscujusque statui & perfectioni. *Secundum mensuram regulæ, quæ mensus est nobis Deus. SECVNDVM operationem, in mensuram cujusque membri.*

2. Cor. 10. Ephes. 4.

Unde manifestè patet, rem ipsam, quæ postulat ut desideria ferveant, exigere etiam ut temperentur; quia ipsa est Divina voluntas in omnibus desideriis proposita, & ardenter quidem desideranda ut fiat: sed temperatè simul desideranda, ut ne aliter fiat quam ipse Deus ordinet. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrũ Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se, per Iesum Christum.* Hoc est scilicet desiderium temperatè ardens, & ardenter temperatum.

Hebr. 13.

III. PUNCTUM.

Apparet ergo evidenter, quàm necessariò duo illa, quæ videntur repugnare, sint simul conjungenda; & quàm adeò non unum destruat aliud, ut potius sese mutuò stabiliant, & velut duo rivi ex eodẽ fonte scaturientes, qui simul coeant & irrigent uberius terram cordis arentem & sitientem: *sicut rivi aquarum in siti*, ait Propheta. Horum verò duorum defectum in nostris desideriis manifestè arguit sanctus Iacobus: *Concupiscitis & non habetis: & non habetis propter quod non postulatis. Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Quod enim ait, *non postulari*, defectus ardoris est; quod verò addit *malè peti, ut quod petitur in concupiscentiis insumatur*, ardoris excessus est, & defectus temperamenti, quod Sapiens sapienter suggerit, primò inquiens, *Animæ vestræ sitiunt vehementer*: tum subiiciens: *suscipiat anima vestra disciplinam*: id est addiscat & servet modum formandi sui desiderii. Vide propterea librum tertium de Imitatione Christi capite undecimo, tricesimo octavo & tricesimo nono: ubi de his copiosè. Expende hæc inter alia; *Desideria te sæpe accendunt & vehementer impellunt, sed considera an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis. Si ego sum in causa, bene contentus eris quomodocunque ordinavero; si autem de proprio quæsitu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit & gravat. Committe mihi semper causam tuam, ego bene disponam in tempore suo. Expecta ordinationem meam, & senties inde profectum. Non est minimum in minimis seipsum relinquere. Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius, & homo abnegatus valdè liber est & securus.*

Is. 32.

Iac. 4.

Eccles. 51.

Plura de desideriis vide in 1. parte, Feria 5. hebdomadæ 1. Adventus. In 2. parte, tota hebdomada Ascensionis Domini, & Sabbato vigiliæ Pentecostes. In 3. parte, Feria 5. hebdomadæ 3. In 4. parte, hebdomada 24. & alibi passim.

De Cœna vero Domini, & de Sanctissimo Sacramento, seu etiam de Communione, Vide in 1. parte Dominica 4. Adventus & Sabbato hebdomadæ 3. post Epiphaniam. In 2. parte, Feria 5. Septuagesimæ, & Feria 6. hebdomadæ 4. post Pascha. In 3. parte, totis duabus primis hebdomadis: necnon Feria 5. 6. & Sabbato hebdomadæ 13.

FERIA SEXTA.
QVÆ PARASCEVE DICITVR.
DE SEXTO CHRISTI VERBO.

Consummatum est. Ioan. 19.

ET DE ABSOLUTA RENUNTIATIONE OMNIUM QUÆ SUPERSUNT IN HAC VITA, UT CONSUMMEMUR CUM CHRISTO.

VERITAS PRACTICA.

Aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.

RATIO est, quia nisi eorum omnium, quæ aguntur hodie, finem assequaris, nihil à te actum existimari prudenter potest.

Sed eorum finem non assequeris, nisi sic semper perseveres.

Ergo aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.

I. PUNCTUM.

SIC piis affectibus indulgendum, ut quod eſt præcipuum ad abſolutam Renuntiationem non omittatur. Ad utrumque autem plurimum valet attenta Conſideratio expirantis in Cruce Chriſti, & ſic omnia conſummantis. *CONSVMMATVM EST*, inquit, *& inclinato capite, tradidit ſpiritum.* O verbum penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus! *Conſummatum eſt!* nempe illud omne quod in mandatis à Patre habebat, nihil planè omiſſum; *Opus conſummavi quod dediſti mihi Pater.* O verè *Conſummatorem Ieſum!* Sed quo tandem modo, quo labore, quo pretio? Audi anima, hoc iterum audi, *Conſummatum eſt*, id omne ſcilicet quo erat homo Chriſtus, en totum Corpus lacerum, totus profuſus Sanguis, totum exhauſtum robur, totæ diffluxere vires, totus vitalis humor exaruit; En Cor exſuccum, en vita deficit, en totius hominis diſſolutio, dum inclinato capite tradidit ſpiritum!

Ioan. 19. Hebr. 4. Ioan. 17. Hebr. 12.

Obſtupeſcite cœli ſuper hoc & porta eius deſolamini vehementer, quam meritò ſol obſcuratur, terra movetur, petræ ſcinduntur, & monumenta aperiuntur! Proh Deus immortalis! tantine valet ſalus unius animæ, ut pro mea ſalute Anima Chriſti, tã crudeli morte ſeparanda fuerit à ſuo corpore! Quid hic ſatis dignum cogitem! aut potius quid nimis indignum cogito, dum contemplor non me minori valere pretio quàm valet Sanguis & Vita Chriſti! Nonne ſatius erat me perire quàm talem vitam! aut certè ſi aliter viſum Chriſto, ſi maluit ſe perire quàm me; egone me poſt tot impenſas perdam! Certè Conſummatum eſt quantum ex parte Chriſti quidquid ad ſalutem ſpectat, ſed mea etiam ex parte, quod ſupereſt conſummandum eſt. *Vna enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, inquit Apoſtolus. Quid porro eſt illud, quod ſupereſt, niſi quod ait idem; *Vt qui vivunt iam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt?* Hæc eſt Chriſti morientis intentio, hic finis eorum omnium, quæ in ejus memoriam hodie tanto aguntur apparatu. Unde ex omnibus ad praxim hodie conſiderandis, hæc una potiſſimũ perpendi debet Veritas, *Aut nihil hodie ages, aut ſic ſemper ages.*

Lev. 2. Hebr. 10. 2. Cor. 5.

Expende illud Apoſtoli *iam* id eſt, deinceps, ſemper, continuo, & ita conſtanter, ut ſi non ita ſemper, nihil fiat. Cum enim in omni negotio ita ſemper ſpectetur finis, ut omnia ad eum dirigantur, & nihil actum putetur, niſi finis propoſitus attingatur; certè id multò magis in eo, quod agimus, negotio, ſpectandus eſt ille finis, qui nobis hodie proponitur in recolenda morte Chriſti Jeſu, & qui non poteſt non eſſe excellentiſſimus pro quo tam multa impenduntur. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa*, inquit Apoſtolus, quaſi diceret, quidquid paſſi fueritis, niſi illud, propter quod paſſi eſtis, retineatis, fruſtra paſſi eſtis. Itemque paulo poſt in hunc eundem ſenſum: *Timeo de vobis, ne ſine cauſa laboraverim in vobis*: Si ſcilicet illud, propter quod laboravi, vobis depereat, ſine cauſa laboravi; nec tantum mihi dolori eſt laboraſſe, quantum mihi erit, nihil meo labore profuiſſe. Sic tibi à Chriſto moriente dictum puta.

Gal. 4. Ibid.

II. PUNCTUM.

SED *finem tibi propoſitum non aſſequeris, niſi ſic ſemper perſeveres.*

Jam dictum eſt ex Apoſtolo hunc finem eſſe, *ut qui vivunt, iam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Et quidem hodie ſic Chriſto vivere non recuſas; Quanti de illo ſenſus, quam crebri & frequentes in eum animi tui motus! quam libenter propter ipſum te privas multis, & omnia tua in eum unum refers! Velleſne hodie permittere aliquid ſenſualiter? Velleſne vel leve peccatum admittere? Velleſne illum vel leviter offendere, quẽ vides pro te morientem? Certè nolles, nonne id affirmares? Hoc eſt videlicet illi vivere & tibi mori, hoc eſt, quod ait Apoſtolus: *Vt qui vivunt iam non ſibi vivant*, id eſt, nullos vitæ actus propter ſe, propter commoditatem, propter delectationem & honorem producant: ſed omnia cogitata, omnia verba, omnia facta, omne illud tandem, quod vivunt, ad illum referant, qui pro ipſis mortuus eſt, ut ſic ſibi mori diſcant & ipſi vivere. Nonne id æquum? Certè ſic judicas hodie, ſic hodie profiteris. At quamdiu ſic vivendum putabis? quamdiu ſic tibi nihil, & illi omnia? An tantum hodie, ut fieri ſolet, vel aliquot poſt diebus? Hoc eſt, quod tibi modò dicitur,

tur, hoc est, quod seriò expendendum, nisi sic semper perseveres in illa puritate vitæ propter Christum degendæ sicut hodie vivēdum nosti, non assequeris finem tibi propositum, quia sic semper Christo vivendum, & nunquam tibi. *Non estis vestri: Empti enim estis pretio magno.* 1. Cor. 6.

Non est quidem semper jejunandum aut orandum sicut hodie, sed quantum spectat ad eam vitæ puritatem & innocentiam, quæ omne prorsus peccatum & sensualem motū ablegat, tanta est obligatio sic in singulos dies vivendi, quanta est hodie. Ac proinde nisi sic deinceps vivere constitutum habeas, finem hodiernum non attingis. Quasi verò in unum duntaxat diem tale Christi promeritū constringatur! Mors non est divisibilis: Quisquis est mortuus, aut omnino & in omne tēpus est mortuus, aut nullo modo est mortuus; sicque cùm finis intentus sit planè mori nobis, nisi sic semper mortui simus, finis non obtinetur. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* O votis omnibus optanda mors, quæ in talem vitam, qualis est vita Jesu, commutatur! 2. Cor. 4.

III. PUNCTUM.

ERGO *aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.* Nisi enim assequaris finem, vidisti, quod nihil agas; & nisi perseveres, aut certè deliberatum omnino habeas cum Dei Gratia perseverare in illa vitæ puritate, quæ non sua sed Christum quærit, non assequeris finem propositum. Quid ergo superest nisi alterutrum ex his duobus, aut te nihil hodie agere, aut si quid bene agis, sic semper agendum? Licet enim ieiunes quantumvis strictissimè, licet plores & mediteris tota die, cùm tamen ista omnia non sint finis propositus, nihil agis. Quod si puriori quidem & sanctiori vitæ simul studeas, nec tamen hoc studium continues, nihil item agis: quia in continuando per totam vitam studio, totum est positum. *Vt qui vivunt*, inquit, *iam non sibi vivant*, hoc est, quamdiu deinceps vivent vita naturali, non vivant vita sensuali. Non aliis finitur terminis hæc mors vitæ sensualis quàm ipsius vitæ naturalis; & potius optandum non vivere vita naturali quam non mori vita sensuali; dicendumque cum Apostolo: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Phil. 1.

Non est nostrum statuere de vitæ naturalis diuturnitate: sed planè nostrum est cum Divina Gratia, quod quam diuturna hæc erit vita, tamdiu mors illa duret, qua debes hodie mori, aut illa pretiosa in conspectu Domini morte non morieris, sicque nihil ages, quia hoc maximè est agendum, ut sis de illis, quibus dicitur, *Mortui estis & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Itane verò nihil ages hodie pro tuo Christo? Nihil ex eius morte referes? Nihil ex hac Meditatione? nihil ex audita passione, nihil ex tot lamentis, tot planctibus & ceremoniis? Planè nihil, nisi hodie tibi moriaris, & nisi quod hodie inchoaris, sic usque ad mortem compleas & consūmes cum Christo Jesu. *Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum.* Vide in 3. parte, Feria 5. hebd. 2. Ubi hæc habetur Veritas: Coloss. 3. Hebr. 12.

Satius esset nullo die velle vivere, quàm non omni die velle cum Christo mori.

IN EADEM DIE PARASCEVES.

AD ILLUD IDEM APOSTOLI:

Qui vivunt iam non sibi vivant. 2. Cor. 5.

VEL IN ILLUD EJUSDEM,

Non estis vestri, empti estis enim pretio magno. 2. Cor. 6.

VERITAS PRACTICA.

Nihil est in vitæ nostræ usu minus nostrum, quàm ipse vitæ usus.

SENSVS & Ratio est, quod nihil minus est usurpandum tanquam suum, quam quod magis est alterius; nihilque magis alterius, quam quod alter vel potiori iure postulat, vel aquiori negat se invito usurpari.

Sic hu-

Sed nihil est, quod sit magis alterius quàm vita nostra usus: nihil est quod magis sit Christi, nihil quod æquiori iure acquiri possit, quam quo vitam nostram acquisivit; nihil denique quod æquius negari possit, quam quod negat se invito vitam nostram à nobis usurpari.

Ergo nihil est in toto vita nostra usu minus nostrum, quàm ipse vita nostra usus. Unde evidentius apparebit, quàm sit verè dictum ab Apostolo: ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.

I. PUNCTUM.

CUM cuiuslibet rei atque operis sit maximè spectandus finis, tanto id verius est, quantò vel opus est magis eximium, vel finis est sublimior: *Prima causarum omnium,* inquit sanctus Thomas, *est finalis, quæ si subtrahatur, necesse est alias subtrahi.* 1.2.q.1.2 Atque ut nullum est opus excellentius Redemptione nostrâ, nullusque finis eo sublimior, quem Redemptor noster sibi nobisque proposuit, certè in his nostris exercitiis diligentius inspectandus est ille finis. Et cùm sine dubio quantum ad profectum nostrum spectat, non sit alius convenientior, quam ut nobis planè mortui, Christo soli vivamus: in hoc insistamus necesse est, hoc premamus, hoc urgeamus, sive potius, ut cum Apostolo loquar, sinamus nos à Charitate urgeri & premi: *æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* 2. Cor. 5. Quod & alibi iisdem pene verbis dixit; *Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur, sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Rom. 14.

Videsne tanquam finem mortis Domini, & designari dominatum Christi, & talem dominatum in vivos, qualem habet in mortuos, id est, perinde ac si ipsi viventes essent mortui, vel perinde ac alii mortui, planè ac perfectè Christo subjacent, nullo modo reluctantes. Illud autem, quod ait Apostolus, *urgeri & æstimari*, illud ipsum est, quod sanctus Joannes ait: *In conspectu eius suadebimus corda nostra*, id est, convincemus tam firmâ solidâque ratione, ut si quid forte humanum Divinæ Charitati & gratiæ, qua nobis Christo vivendum est, sese opponat, ratione illa revincatur, *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, sicut ait Apostolus. 2. Cor. 10.

Talis est autem Veritas, quæ iam nobis expendenda proponitur; persuadet planè & convincit intellectum quantumcunque repugnantem, ut non modò speculativè, quod dicitur, agnoscamus nos non esse nostros, nostram non esse vivendi rationem, nostram non esse vitam, nobis non esse vivendum, sed re ipsa & practicè, nostri non simus, nobis non vivamus. Quis enim nostrum vel unum vitæ actum velit usurpare, si intelligat nihil minus esse nostrum, nihil minus usurpandum quam illum vitæ actum? Sic autem omnino est, sic universim de uno quolibet vitæ actu intelligendus Apostolus: *Non estis vestri*, sic proposita Veritas hoc evidenter in ipsis exhibet terminis: aut si quid fortè est minus evidens, sic apertè declaratur.

Nihil est minus usurpandum tanquam suum, quam quod magis est alterius, nihilque magis alterius, quàm quod alter vel potiori iure possidet, vel æquiori negat se invito usurpari.

Tria dicuntur in hac propositione, quorum primum nullam prorsus habet difficultatem. Quid enim clarius, quam illud non esse nostrum quod est alterius, qui nolit esse nostrum. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum*, ait Apostolus, ubi ea, quæ sunt aliorum, manifestè opponit iis, quæ unicuique propria sunt. Secundum est, nihil tam spectare ad alterum, quam quod potiori jure suum fecit. Sunt enim varia possidendæ rei jura, & ex his alia sunt aliis potiora seu strictiora. Captivus magis est Domini sui quam spontaneus servus, & filius magis est Patris, quam captivus Domini sui. Possunt captivi se omni captivitatis debito solvere, at non sic omnino filij, quin semper filius debeat Patri quod est & vivit. Unde apè Sapiens: *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris nè obliviscaris, memento, quod nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi.* Ad Philip. 2. Eccli. 7.

Tertium

Tertium denique additur: *Quod aquiori jure rem suam se invito nolit usurpari.* Nam sic etiam varia potest considerari juris æquitas, quæ tam diversa est, ut in quo peccarent aliqui, si vellent sua sibi subtrahi, peccarent alii si nollent. Peccaret fortè pauper paterfamilias, si familiæ suæ damno, non repugnaret diviti rapienti sua: peccaret verò dives, si pauperi summa in egestate constituto, sua sibi eripienti non consentiret. *Panis est famelici quem tenes*, inquit sanctus Basilius, *nudi tunica quam tu in conclavi conservas*; O si hoc attenderent divites, quàm verè *plorarent ululantes in miseriis quæ ipsis advenient*, quòd hæc nolint attendere. O fœlices religiosi quibus ne quid deesset quod darent, sua omnia reliquerunt.

Hom. 6. ad divitum avarum. Luc. 5.

II. PUNCTUM.

Sed nihil est magis alterius quàm vitæ nostra usus, nihil est quod magis sit Christi, nihil est quod potiori jure acquiri possit, quàm quo vitam nostram acquisivit, nihil denique quod aquiori negari possit, quàm quod negat se invito vitam nostram usurpari posse.

Tria hic etiam distinctè nobis & fusius quàm alia sunt explananda. Primum est, quòd multa quidem sunt jura quibus Dei sumus. Jus est Creationis, Conservationis, & Finis ultimi, quæ nos totos sic addicunt Deo, ut unicuique nostrum jure merito possit dicere quod Israëli: *Meus es tu.* Sed aptè sanctus Bernardus: *Pro his ita sum amans te quantum possum, sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis, sic omnino amorem nostrum facilè vindicat totum sibi; hoc inquam est, quod nostram devotionem, & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius:* Quasi diceret, tàm naturali, tam claro & aperto jure emptionis id sibi vindicat, ut quantumcunque velle videremur illi juri resistere, vel contra quidquam opponere; vix possemus, vix vellemus; sic enim anima propter hoc redemptionis beneficium, suis tribus facultatibus, intellectu, voluntate & memoria, constringitur quodammodo, & suavi quadam violentia trahitur ad cedendum illi emptionis juri, & ad se totam propterea concedendam, ut quod in aliis titulis & beneficiis cogitari poterat, nullas à Deo, propterea, factas expensas. In hoc plurimum valeat, quia certè multum de suo Redemptor noster expendit & effudit.

Isai 43. Serm. 20. in Cant.

Sic pergens sanctus Bernardus. *Multum quippe*, inquit, *in eo laboravit Salvator, nec in omni mundi fabrica, tantum fatigationis Author assumpsit. Ille denique dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt; At verò in hoc, & in dictis suis sustinuit contradicentes & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores.* *ibid.*

Et alibi: *Quis dignè penset quanta fuerit humilitatis, Mansuetudinis, Dignationis, Dominum Majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicet aliquis: Non valuit opus suum reparare Creator absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis, occasionem ultra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multa dilectionis hominem debitorem teneret commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus devotum esse fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo Authoris gravamine vel labore. Si quidem dixit, & factus sum, quemadmodum & universa. Quid magnum est, quàmlibet magna, si verbi facilitate donaveris? Sic beneficium Creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat, idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstructum est ôs loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modò pro te ô homo, dispendium fecit: de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, & de Dei filio, hominis filius fieri non despexit. Memento jam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at verè per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit justinens!* *Serm. 11. in Cant.*

Et rursum alio in loco: *Quod si totum*, inquit, *me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, & refecto tali modo? Nec enim tam facile refectus quàm factus: nam qui me semel & tantum dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantum dura sed & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ* *Tract. de dilig. Deo.*

retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit: in secundo se; & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se?

In quibus Sancti Patris verbis, aliud est, quod secundo hic loco attentius est nobis expendendum, ad illius juris potentiam apertius declarandam. Non enim me tantum sibi emit, quod multum est, sed ut me sibi emeret, ut me totum sibi compararet se Ipse totum dedit, quod certè in hac materia, ubi de nobis totis tradendis agitur, vel maximè considerandum est. *Nam*, ut ajebat S. Bernardus, inde apparet, me *bis illi debere meipsum*; nempe & quod me mihi reddiderit, & quòd se propterea dederit; In quo postremo dato, si attentè perpendatur, tantò est aliquid amplius altero, quanto Ipse, qui se totum dedit Christus, major me est. Sicut enim Nolanus ille, quem captivum sanctus Paulinus Episcopus, se donando, redemit, longè illi devinctior fuit quàm alii, quos Idem Sanctus sua pecunia redemerat: sic planè nos Christo Domino, qui nos Se ipso toto dato, redemit. Nam in tota Christi Passione, hoc est potissimum, quod attendamus & ponderemus, *Christum* scilicet *sese totum dedisse*, nihil prorsus sibi reservasse, nihil bonorum temporalium, nihil honoris terreni, nihil sanguinis, nihil vitæ: sed omnia prorsus omnia consummata: unde si quid Judæi contra ipsum perpetrârunt; non aliunde est, quàm quòd se illis permisit, quàm quòd se nobis dedit. *Hæc est*, inquiebat, *hora vestra, & potestas tenebrarum*: qua quidem potestate sibi facta si ad graviora infligenda tormenta voluissent abuti, passus illa fuisset Christus, quia se totum illis tradiderat, ut se mihi totum hoc jure donationis vendicaret. *Luc. 22.*

Atque ut magis etiam appareat, quanta sit illa donatio, præter dignitatem Personæ se donantis, quod in donatione præcipuum & maximè considerandum venit, *ut ex animo fiat*, hoc certè habet insigniter hæc donatio, Nam nulla unquam Charitas par ejus Charitati extitit, nullum unquam donum tam voluntarium, tam liberum, tam liberale, tam internum, & tam ex omni parte absolutum. *Oblatus est, quia Ipse voluit.* *Is. 53.*

Adde, quod si ad beneficii magnitudinem spectari solet vel malum à quo quis eripitur, vel bonum quod confertur, vel numerus & multitudo beneficiorum disparium, vel ejusdem multoties repetita collatio, quando vel etiam minus is meretur, cui gratia toties redonatur; Quid horum non reperitur in hoc beneficio Redemptionis, & in quovis gradu tam sublimi, ut ultrà quò procedatur, cogitari non possit? Quale enim istud est malum, dira Inferorum æternitas, unde sunt eruti, qui sunt redempti? Quale illud bonum, sempiterna beatitudo quò sunt iidem vocati? Quam crebrò & frequenter verò beneficium immerenti renovatur? Quoties videlicet se homo mortali culpa coinquinat! Tùm enim peccator iterum revocandus ab inferis, tùm rursus aperiendi sunt illi cœli, quos noxa lethalis clauserat: tùm quasi etjam fundendus Christo sanguis; tùm Christo quasi est moriendum, quia mortis ejus meritum ita est necessarium ad resipiscentiam peccatoris, ut nisi meritum esset inexhaustum, oporteret toties Christum pati, quoties venia remittitur peccatori.

Qua quidem in multiplicitate beneficii, non solum apparet Bonitas Benefactoris, sed & malitia & indignitas peccatoris, qui post acceptum etiam beneficium suo Benefactori tam ingratum se præbet, ut illum rursus crucifigat, sicut in sequenti discursu patebit clarius: Quòd enim modò hæc commemorentur, eò tantum spectant ut demonstretur quale sit inde jus Christi Redemptoris in nos, quod tam multis, & tam strictis simul conflatis constat nominibus.

Et ne in contentionem aut dubium aliquod cuipiam tale jus vocari possit, hoc tertium est exponendum, quòd sic à Patre jus illud est confirmatum, & à Filio acceptatum, ut Pater in Filii manus nos omnes posuerit, & Filius nullos tanquam suos agnoscat, quin solenni Sacramento se ita illi addicant, ut sibi planè mortui velint esse, sicut ipse pro ipsis est mortuus. Hæc nempe vera est baptismi significatio, hæc nota Sacramenti virtus & institutio, hæc germana ratio, cur baptizati corpus immergatur in aquam. *An ignoratis*, inquit Apostolus, *quòd quicunque baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem.* Id est, sicut ille mortuus, & sepultus fuit, ut nos sibi redimeret, ita nos redempti profitemur nos omnibus mori, ut ipsi soli vivamus. At verò licet *Ioan. 13.* *Rom. 6.*

postea

postea baptisati nihil cogitantes de tali jure & debito, prorsus sibi, non Christo vivant, non solvuntur tamen propterea suo debito, sed semper eo manent obstricti. Neque ulla vis hominum, nulla ætas temporum, aut nulla potestas etiam Dæmonum, characterem in baptismo impressum, quo tale debitum designatur, obliterare poterit.

Quin addo, nec ipsum posse Christum se hoc tam debito jure abdicare, sicut non potest non esse Christus: Hoc est enim illi jam proprium, & ut vocant, essentiale, ut quamdiu erit Christus, erit in illo jure, atque in illa juris exigendi voluntate. Quamobrem plagas in suo servavit corpore, quasi suæ testes potestatis & juris: quasi signaculum & sigillum, quo ratum fixum in omnem æternitatem sibi jus illud retineat: quasi agat ex syngrapha cum hominibus; *Vos mihi has intulistis plagas, & eas libens accepi, ut vos redimerem; mei estis, meos vos repeto, jus negare meum non potestis, ecce vestrum debitum: en tabula obsignata, en monimenta authentica, en omni testimonio majora signa.* Quid contra potest objici? O quam justè in cœlo illi canitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

L. 2. cur Deus homo. c. 20.

Apoc. 5.

III. PUNCTUM.

Nihil est igitur in vita nostra usu minus nostrum, quàm ipse vitæ usus, quia nihil est, quod sit magis alterius, nempe Christi, qui jure emptionis nos ita totos sibi vendicat, ut nullus possit nec velit Christianus de illo jure contendere; non enim humano tantùm intellectui lux aperta infunditur ut tale jus videatur, sed voluntati simul flamma injicitur, ut se velit illi subjicere. Quid enim ad omnem animorum inflexionem potentius, *quid misericordius intelligi valet*, inquit sanctus Anselmus, *quàm peccatori æternis tormentis deputato, & unde se redimat non habenti, Deus pater dicat, accipe unigenitum meum, & da pro te; Ipse filius, tolle me, & redime te.* Quasi hoc dicunt, quando nos ad Christianam fidem vocant & trahunt.

Sanctus verò Bernardus, descendens ad ipsam Veritatis Praxim: *Servite*, inquit, *Domino in timore, ut sine timore quandoque de manu inimicorum vestrorum liberati, serviamus illi. Servite in spe, quoniam fidelis est in promissis. Servite ex merito, quia multus in meritis est. Nam etsi cætera taceam, hoc solo vertè non immeritò vitam sibi vendicat nostram, quòd pro ea præbuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est. Cui enim justius vivam, quàm ei, qui si non moreretur, ego non viverem? Cui commodius quàm promittenti vitam æternam! Cui magis ex necessitate, quàm flammas perpetuas minitanti; sed servio voluntarie, quia Charitas libertatem donat. Charitas scilicet vel qua me diligit, vel qua ipsum diligo.* O quàm pauci sic illi serviunt, sic illum diligunt, cum sic tamen omnes illum diligere teneantur.

Ps. 143.

Nec recordaris, inquis, non venit in mentem talis Christi memoria. Res occurrentes nos aliò inde abripiunt, & sibi nos conglutinant. Verè ita est, hæc est ingratitudo nostra. Hæc insensibilitas animi circa Liberatorem nostrum. Hoc est quod animæ in primis exprobrat: *Oblita es Dei Salvatoris tui, & fortis adjutoris non es recordata.* Quasi diceret, ne te in res externas excuses, quidquid sit quod occurrat, si mei velles recordari, satis potens sum ad pervincenda omnia; tantùm mei recordare, recordare mei juris, recordare tui debiti. Isai. 17.

Hoc est quod modò versandum est in animo, & tot modis revolvendum, quibus infigi queat memoriæ, ad omnem vitæ actum & usum, ut deinceps nullum nobis usurpemus; vel in substantia, nihil aliud facientes quàm quod velit Deus; vel in modo vel in fine, non aliter nec alio fine, quàm ut ipsi placeamus.

Sic cogitemus de unoquoque vitæ nostræ actu, sicut de re aliena, quam nobis usurpare nollemus, ne furti, ne sacrilegii nos reos reddemus. Nihil iniquius quàm defraudare operarium mercede sua, quod eò iniquius est, quò quis operarius majorem operam, majoresve expensas tùm pecuniæ, tùm corporis, tùm animi & si quas alias, ad opus collocârit; talis tum defraudatio recensetur inter ea peccata quæ clamant apud Deum, ut expressè habet sanctus Jacobus: *Ecce merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* Sic enim nihil erat debitum justius, sic nihil est negatum injustius. Jac. 5.

Hæc eſt ſcilicet defraudatio, hæc eſt iniquitas, quæ contra Chriſtum committitur, quando actus vitæ contra ejus voluntatem uſurpatur; nam defraudatur ſua mercede, privatur ſuo debitò, pro quo emendo tot expenſas dedit, quot fluxerunt ab ejus corpore guttæ; *Vt quid perditio hæc? REDDE uxorem meam Michol, quam deſpondi mihi centum proputiis Philiſthinorum.* Hoc ſcilicet Davidi nomine, cara erat in primis iſta uxor, quod tanto illam pretio ſibi emiſſet. Sic quando eſt allata ei aqua de ciſterna Bethemitica, quam valde ſitiebat; ut audivit tres illos milites, à quibus allata eſt, manifeſtum vitæ periculum adiiſſe: *Noluit bibere,* inquit Scriptura, *ſed libavit eam Domino, dicens: Propitius mihi Dominus ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Singularis ille vitæ tuæ actus quem exerces, & particularis gratia quæ præſens adeſt, ut illam exerceas, eſt velut illa aqua, non hominum vitæ periculo, ſed ipſius Dei vitæ pretio tibi comparata: Et tu illam bibes! tu illam exhauries! tu illam tibi libabis non Domino! Cave id etiam atque etiam.

2. Reg. 3.

ibid 23.

Matt. 27. Hoc unum hodie pietatis & religioſi cultus oſtenderunt Judæi, quod cùm Judas retuliſſet argenteos ad Sacerdotes: *Non licet,* inquit, *eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.* Sic planè tibi dicendum de unoquoque vitæ actu: non licet mittere in profanum, in naturalem, in humanum aut alium quemvis uſum, præterquam Spiritualem, & Divinum, *quia pretium Sanguinis eſt,* & illius ipſius Sanguinis pretium, cujus erant illi argentei. An tu minoris illum facies ſanguinem, quàm tùm Judæi ſic loquentes? An tu minus judicabis, quidquid illo eſt emptum pretio, non eſſe profanandum, non eſſe in alios aſſumendum uſus, quàm pietatis & Charitatis? *quia pretium Sanguinis eſt.*

Act. 2.

O qualis ille Sanguis! ô quale illud pretium! ô quale hinc motivum vitæ totius in Chriſtum referendæ, cùm nulla ſit pars vitæ nulluſque ejus uſus, de quo non poſſit dici, *pretium Sanguinis eſt, & pretium Divini Sanguinis.* Hoc niſi Sanguine, hoc niſi pretio Sanguinis, hoc niſi motivo movearis ad totam Chriſto fundendam vitam, Sanguis ille dicetur à te contemni, à te conculcari & pollui. De te dicetur, quod ait Sapiens de audace; *quoniam quaſi nihil eſt ante illum Sanguis,* id eſt, tam parum movetur effuſo proximi ſanguine, quaſi nihil illi eſſet vita proximi. Non ſic velles eſſe audax circa humanum ſanguinem: cur non vereberis id audere circa Divinum?

Hebr. 10. v. 27. Eccleſ. 8.

EODEM DIE,

AD HÆC SANCTI PETRI VERBA:

Ieſum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, affigentes interemiſtis, Act. 2.

VEL AD ISTA SANCTI PAULI:

Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes, Hebr. 6.

VERITAS PRACTICA.

Gravius eſt Chriſto pati à peccato, quàm pro peccato.

Ergo & gravius eſt Chriſto pati à peccato, quàm pro peccato. Quod præſertim hodie intelligendum eſt à peccatore.

Ratio inter alias & qua cæteras omnes complectitur, hæc eſt, quod quidquid grave fuit Chriſto, cùm pro peccato pateretur, reducitur ad hæc tria, contemptum, pœnam & mortem.

Sed hæc tria Chriſtus à peccato gravius patitur.

I. PUNCTUM.

PRimus Evangelicus Concionator, Sanctus Petrus, in prima Concione quam habuit ad Judæos, cùm quædam de CHRISTO Domino ad intellectus inſtructionem præmiſiſſet, cùm ad per-

Serm. 18

movendas ipsorum voluntates dixisse narratur in Actis Apostolorum: *Viri Israelitæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis & signis per manus iniquorum affigentes interemistis.* Act. 2. Sit nonnullis interjectis concludens, *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis. His autem auditis,* inquit Sacer Historicus: *compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos, pœnitentiam* inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi: & aliis verbis plurimis exhortabatur eos dicens: Salvamini à generatione ista prava.*

Hoc est videlicet concionari, sic de Christo Crucifixo dicere ut audientes compungantur corde, & dicant, *quid faciemus?* Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum: & istud est aptissimum producendi talis fructus medium, si quis se peccato suo Christum interemisse agnoscat. Hoc est, quod sanctus Paulus ad eosdem Judæos, in peccata post baptismum lapsos, scribens aggreditur, cùm eos docet nihil minus per peccatum suum effeciss, quàm quando Christum crucifixerant, imò & aliquid gravius; *Rursum,* inquit, *crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Magna vis in illa voce *rursum,* quasi diceret, Grave quidem illud fuit, cùm primò Filium Dei crucifixistis, sed longè gravius cum eundem Dei filium per peccata vestra cruci rursum affixistis. Quod quidem patet quam sit gravius, ex eo quod difficilius remittitur: Sic namque præmiserat; *Impossibile est enim,* id est, valde difficile post multos in peccatum lapsus, *rursum renovari ad pœnitentiam.* O quis intelligat hanc peccati graviratem! ò quis eam intelligens non compungatur de præteritis! & futuris diligenter non præcaveat!

Eò directè spectat proposita Veritas, quæ est tota sancti Augustini, ut jam supra monuimus: sic enim in quodam sermone Christum peccatori loquentem inducit his verbis; *Cur me graviori tuorum criminum cruci quàm illa, in qua quondam pependeram, affixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum Crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus, mortem tuam ociosurus, ascendi.* Serm. 181. Quod de sola Cruce non tantum est intelligendum, sed de universa passione, quæ nomine Crucis & Crucifixionis, frequentius exprimitur, quia pars est passionis Christi præcipua.

Cùm autem multæ reddi possent rationes, cur sic dicatur gravius esse Christo pati, rursùm à peccato, quàm cum passus est primùm pro peccato; tum ista inter alias modò refertur, quæ universam passionis seriem brevi compendio complectitur, nempe omnia revocando ad triplex caput, *CONTEMPTVM CHRISTI, POENAM, & MORTEM.* Quæ quidem tria distinctè Dominus designavit cum de passione sua disserens dixit, *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint occident eum.* Luc. 18. Sicut enim illusiones & sputa contemptum, sic flagellatio pœnam, & occisio mortem manifestè designant.

Tribus portò modis tota Declaratio potest institui; Primus, quo narretur uno veluti puncto & una discursus continuatione, quàm grave fuerit Christo Domino in his tribus pati. Deinde ad secundum punctum, quàm gravius illi modo sit hæc eadem tria pati à peccato quoties peccatur. Alius est, quo à singulari qualibet parte narrationis historicæ fit moralis reflexio ad eandem contemptus vel pœnæ speciem, quæ reperitur in peccato. Tertius denique cæteris præferendus, quo singillatim de contemptu, de pœna & de morte, sic tribus punctis disseritur, ut primò simul videatur quam gravis fuerit ille contemptus quem pro peccato passus est Christus; tum deinde quàm gravior ille sit quem modò à peccato patitur. Sicque consequenti secundo puncto ac tertio de pœna & de morte.

In quibus enarrandis illud etiam advertendum, quod, quæ hic brevitatis causa leviter attinguntur, videri possunt in antecedentibus supra hebdomadis, ubi de singulis unoquoque die, mysteriis. Interserendi sunt etiam nonnulli affectus in ipso historicæ narrationis decursu, antequam ad moralem, de peccato, expositionem deveniatur.

Quibus ita præmonitis: Primum, quod e tribus universæ passionis suæ capitibus Christus commemorat, est Contemptus;

Tradetur, inquit, *gentibus & illudetur*. Cum autem variæ fuerint hujus contemptus ſpecies, tum ſeptem potiſſimæ ſeliguntur, ad quas aliæ referri poſſunt.

Prima eſt illa Traditio de qua loquebatur Dominus, quæ triplex conſideranda eſt, & unaquæque multùm probroſa. Prima eſt Judæ proditoris, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam*! Chriſtum vendi tamquam mancipium! vendi ab uno è ſuis præcipuis diſcipulis, & vendi ſuis inimicis, quo ſolebant mancipia vendi pretio! Tam grave id Chriſto fuit, ut cùm de hac traditione primùm ſuis Apoſtolis mentionem faceret, totus inhorruerit, *turbatus eſt ſpiritu*, ait Evangeliſta, *& proteſtatus eſt, & dixit: amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*. Alia verò traditio eſt, cum illum Judæi tradiderunt Pilato, qui propterea Chriſto dicebat, *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi*. Quod certè ad augendum Chriſto probrum excogitarunt, quia Judæi tam inviſi erant Gentibus, ut quos à Judæis Gentiles in ſua poteſtate haberent, miris illuſionum modis divexarent, quæ in religionis contemptum redundabant, blaſphemantes contra verum Deum qui à Judæis colebatur; Hinc regius Pſaltes, & in ejus perſona Dominus, *Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me*. Cum autem Pilatus adjudicavit fieri petitionem Judæorum, & Jeſum tradidit voluntati eorum, tertia quædam eſt traditio quæ probris omnibus viam aperuit, hinc nempe ortum crucis opprobrium; neque enim ex ulla lege ſua, poterant Judæi Dominum cruci affigere. Crux latronum erat ſupplicium, at nunquam Chriſtus latrocinii fuit accuſatus, cur ergo fuit crucifixus una cum latronibus? quia ſcilicet hoc genus mortis erat probroſius, & quia *traditus illis erat Ieſus*, ut pro ſua voluntate probris illum afficerent. *Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum tota die*.

Matth. 26

Ioan. 13.

Ibid. 18.

Pſ. 68.
Rom. 15.
Luc. 23.

Thren. 3.

Secunda Contemptus ſpecies, cùm tanquam latro captus eſt & conſtrictus vinculis ac catenis, unde ipſe Dominus: *Tanquam ad latronem exiſtis comprehendere me*. O quali tum impetu omnes in eum involarunt, quos pudebat ab eo ſe in terram paulò ante proſtratos! *Quaſi rupto muro & aperta janua, irruerunt ſuper me*.

Iob. 30.

Tertia ſpecies, Petri negatio. Primo is negat ſe omnino noſſe Chriſtum. Deinde id juramento affirmat. Ac denique tandem anathematizat, id eſt, cum dira quadam imprecatione Chriſtum execratur & negat ſe noſſe. O quis tùm Chriſto animus! *Abominati ſunt me conſiliarii mei, & quem maximè diligebam, averſatus eſt me*!

Iob. 16.

Quarta, cùm apud varios Judices variis eſt accuſatus calumniis; *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. OS peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt adverſum me lingua doloſa. EGO redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia*.

Pſ. 34. Pſ. 108. Oſee 7.

Quinta, cùm præcipuè apud Herodem velut fatuus eſt habitus, & alba veſte indutus. Tum verè *aſtiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus*.

Pſ. 2.

Sexta, quando Barrabæ comparatus eſt & poſthabitus, ac tàm abjectus ut diceret, *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*.

Pſ. 21.

Septima, quando exhibuit eum Pilatus toti populo coronatum ſpinis, indutum purpureo veſtimento, & arundine tanquam ludicro ſceptro decoratum. O quæ tum ſannæ! quæ probra! quæ convitia, quæ ad deficientem & extremum uſque ſpiritum ejus perſeverarunt. *Abjectionem poſuiſti me in medio populi mei, plauſerunt ſuper me manibus omnes tranſeuntes viam, ſibilaverunt & moverunt caput*. Quæ quam fuerint gravia & acerba Chriſto Domino facile eſt cogitare.

Thr. 3. Ibid. 2.

Sed tamen audeo dicere, longè illa graviora ſunt quæ nunc quotidie per peccata patitur à peccatoribus. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes*.

Ac quidem univerſim, quod Chriſtus à peccatore contemnatur, nihil eſt clarius. *Et vos inhonoraſtis me?* Quomodo verò particulatim in ſeptem illis ſpeciebus, ſuo quodammodo, concurrentibus ad quodlibet mortale peccatum: paulo attentius eſt indagandum.

Ioan. 8.

Primò apertè venditur Chriſtus in peccato, & traditur inimicis. Quid eſt enim vendi aut vendere? Nempe alienare à ſe rem unam pro alia, rem poſſeſſam pro alia poſſidenda. Hoc autem ita fit in peccato; Nam ante peccatum habebas Chriſtum, habebas ejus merita, ejus gratias, ejus amicitiam, ejus regnum: *An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chri-*

2. Cor. 13.

Christus Iesus in vobis est? inquit Apostolus: post admissum vero peccatum evanescunt illa omnia. *Christus vobis nihil proderit*, ait idem Apostolus, *evacuati estis à Christo. A gratia excidistis.* Fundus ipse, in quo erat Christus, venditur, nempe anima: de cujus venditione per peccatum, sic præclarè sanctus Augustinus; *Vnusquisque peccando, Diabolo animam suam vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* Unde patet non modò vendi & tradi Christum, sed & istam venditionem esse illi magis probrosam & graviorem, quàm quando à Juda est venditus; Nam tum facile poterat Christus se manibus Judæorum eripere: & invito venditore Juda, poterat se sibi suisque reddere: at quando à te venditur, non potest te invito redire, non potest inquam, stante lege, quam statuit de non cogenda tua libertate, quam ille legem non infringet. Deinde nondum nos emerat, quando primò à Juda est venditus, nunc verò postquam suo nos redemit Sanguine, sic à nobis vendi, & vendi tam vili pretio, quale est sensualis voluptas! certè minus est pretium quàm triginta argentei quibus est venditus, & proinde major contemptus.

Secundò, stringitur quibusdam quasi vinculis, quando per affectus nostros inordinatos sic impeditur ejus operatio ut quas vellet conferre gratias non conferat; & sicut dicitur in Evangelio de quibusdam locis aut personis, quod ibi non posset virtutes ullas aut paucas facere, propter incredulitatem eorum: ita parùm operatur cum his, qui suo affectu depravati, non quid velit Deus, sed quid suadeat cupiditas, potius spectant. *Servire me fecisti in peccatis tuis*, quasi diceret, Ego te gratiis meis prævenebam, ut membra tua mihi & justitiæ servire exhiberes: sed tu contra resistendo gratiis, me servire tibi fecisti, me cedere cupiditati tuæ coëgisti; non quod illi tecum consenserit, sed quod à te impeditus & quasi captivatus non illam coercuerit, ut coercere potuisset & voluisset, nisi obstetisses. Nam si Apostolus dicebat se *ita captivatum esse lege membrorum, ut quod bonum vellet non faceret*; cur non potiori jure id dicetur de Christo, qui, quod vellet bonum in peccatore, non facit, quòd ipsa eadem lege membrorum impediatur, ne faciat: quod perinde est ac captivari & constringi: sed longè probrosius & indignius, quam captivaretur Apostolus; primo illo naturæ corruptæ motu quem sentiebat, nam in peccatore lex illa, qua Christus captivatur, est voluntaria & libera. *Gratis absconderunt mihi interitum laquei sui.* Ps. 34.

Tertiò, sic negatur manifestè Christus in peccato, non ore, non verbo, sicut Petrus negavit, sed factis & operibus, sicut sanctus Paulus ait: *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; Tum verò etiam ille ipse, qui à peccato resipuit, Petrus: *Eum*, inquit, *qui redemit eos, Dominum negant.* Nempe cum Dominus pro suo in peccatorem jure & imperio vetet peccatum, *Non mentieris, non concupisces, Ego Dominus*: Contra verò peccator concupiscat; quid aliud sua illa concupiscentia facit, quàm illum negare Dominum, cujus imperium sic negligit, quasi diceret, ut est apud Jobum, *Quis est omnipotens ut serviamus ei?* Sic enim Dominus reputat factum quasi dictum, sic ipse loquitur, *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non serviam.* Et sicut si ageretur de fide, qui se infidelem potius quàm Christianum vellet profiteri, nonne is negaret Christum? sic ubi agitur de fidelitate in servandis præceptis, apostasiæ quoddam genus est & infidelitatis species, peccatum perpetrare. Sic disertis & expressis verbis sanctus Cyprianus: *Cum Tyrannus dicit, abnega Christum, & immola Iovi, sæpe lingua negat, corde reclamante; quamquam hoc gravissimum crimen, tamen aliquam impietatis culpam elevat humanæ naturæ imbecillitas. Ibi Satanas tibi loquitur voce tyranni, per tuam concupiscentiam: abnega Christum & esto Dives. Sacrifica mammonæ & Christo nuntium remittito. Nec dixit, morere, sed potius oblecta oculos. Et tamen hic sponte submittis genua Satanæ, & ABNEGATO CHRISTO, te totum illi mancipas.* Quasi diceret, non modò negas Christum sicut si negaret apostata; sed fieri potest ut gravius etiam Christum offendas quam qui negatet fidem. Nam nullius tibi supplicii denuntiatur metus, nullæ jacturæ, nulli terrores; solo cupiditatis æstu permoveris, non de vitæ periculo agitur, sicut cum de fide agitur. Unde ex hac parte potest dici peccatum minus excusandum: Quod cùm in Petro locum habeat, ut qui Christum negaverit ore potius quam corde, & terrore mortis abreptus potius quam

Gal. 5.
In Epist. ad Rom.
Marci 6.
Is. 43.
Rom. 6.
Rom. 7.
Tit. 1.
2. Pet. 2.
Iob 21.
Ier. 2.
Tract. de duplici Martyrio.

quam ullo pravo animo: certè illud Chriſto gravius ſic à peccatore gratis negari quam à Petro. *Quia*, inquit, *odio habuerunt me gratis*, id eſt, ex mero contemptu, ſine ulla nec prætenta cauſa. Ioan. 15.

Quartò, contemptus eſt Chriſtus cùm accuſaretur à Judæis; Sed quantis peccator illum accuſat, & quàm longè gravius cùm ſe excuſat. Vix ullus eſt, qui peccando non excuſet ſuam naturæ proclivitatem, aut repugnantiam, quaſi aliter à ſe non poſſet fieri. Quid porro eſt ſic ſe excuſare, niſi Chriſtum accuſare & condemnare, quod ſit auſterior, quod ſuprà, quàm poſſint homines, exigat, & quod gravius illos premat? *Nunquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut tu juſtificeris?* Iob 40.

Quintò, ut fatuus coram Herode eſt habitus Chriſtus; mirum certè; ſed quam magis mirum apud ſe Chriſtianum, quæcunque Chriſti ſunt dicta & facta nobiliora, velut ſtulta & à vero rectæ rationis ſenſu aliena reputari? *Nonne quod ſtultius eſt Dei, ſapientius eſt hominibus? & nonne id ſtultius eſt hominibus, quod eſt Dei ſapientius & ſanctius?* 1. Cor. 1. Quid Chriſto magis probatum quàm paupertas? quid à mundo magis reprobatum? Quis mundanus non eum judicet fatuum, qui ex Chriſti conſilio ſua quædam rapienti non repetat, imò etiam quod ipſi ſupereſt, largiatur? An verò fatuus judicari poteſt ille, qui Chriſti ſequitur Conſilium, & non ſimul judicari ſtultus Chriſtus, qui tale dedit conſilium? O humana Judicia!

Neque Chriſti minor injuria, in quovis peccato reperitur, quàm quæ ſexto loco notata eſt in comparatione facta cum Barabba; quin potius ſi attentè conſideretur, quod in omni peccato comparatur Chriſtus cum illa re, quæ ad peccandum impellit, tanto majorem Chriſti reperiemus contemptum, quanto res illa quæ Chriſto præfertur, minus eſt aliquid quam homo ille cui ſe Chriſtus poſthaberi voluit. *Quem vultis de duobus?* aut amorem Chriſti, aut amorem voluptatis? Ah pudenda contentio! ah probroſa comparatio! ſed tamen ita fit, ita proponitur, ita quæritur in omni peccandi caſu: & quiſquis peccat, tùm amorem voluptatis, amori Chriſti præfert. *Et eligent magis mortem quàm vitam.* Matth. 27. Ier. 8.

Reſtat illud opprobrium, cui Chriſtum Pilatus objecit, quando eum velut Regem Judæorum Judæis illudendum exhibuit. At quàm longè eſt ignominioſius illud probrum cui peccatores Chriſtum objiciunt, quando ipſorum intuitu Dæmon ſic Chriſto exprobrat, quod habent ſancti Cyprianus & Baſilius: *Ego pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi; nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & cruoris redemi, ſed nec regnum cœleſte illis promitto: & munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia, quàm nimio & longo labore quæſita ſumptuoſiſſimus apparatibus comparant. Tuos talès munerarios Chriſto demonſtra præceptis tuis monitos, & pro terrenis cœleſtia recepturos.* Et quæ plura proſequitur. Certè ſanctus Baſilius iſtam, quam vocat adverſus Dominum, *gloriationem hoſtis*, non tantum ipſi Domino, ſed & peccatori, cujus cauſa ſit, tam gravem putat aliquando futuram, ut ipſa gehennæ ſupplicia non putet graviora. L. de Opere & elemoſi. In regulis fuſius dicetur.

Videſne peccator, quo in ſtatu & pretio Chriſtum tuum habeas? Nulla eſt in tota ejus paſſione contemptus ſpecies, qua non illum deſpicias, abneges, conculces & traducas. Nec dicas tibi aliam eſſe mentem, te longè alia de Chriſto ſentire & loqui. Nam & ipſi dæmones mira de Chriſto ſentiunt & loquuntur. Facta dictis debent convenire in colendo Chriſto: aut ſi hæc forte inter ſe pugnant, tantum abeſt, ut à nobis colatur Chriſtus, quin potius, quanto erit in peccatore major Chriſti cognitio, meliórque ſenſus de ejus Dignitate & merito, tanto eum peccando contemnet gravius, quia major eſt audacia contemnentis eum, quem omni dignum cultu novit. *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me!* Neſciebant Gentiles Deum ſicut Judæi, atque ita non ſe querebatur Deus contemptum ab illis, ſicut ab iſtis: Sic planè neſciebant Judæi Chriſtum ſicut eum Chriſtiani modò norunt. Sicque jam à Chriſtianis, dum peccato contemnitur, magis contemnitur. *Melius erat illis non cognoſcere viam Juſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii Canis reverſus ad ſuum vomitum? &, Sus lota in volutabro luti.* Quæ quàm ſint odioſa & probroſa non modò peccatori, ſed & ipſi Chriſto, fuſius infra demonſtratur. Iſ. 1. 2. Pet. 2.

II.

II. PUNCTUM.

De pœna Christi patientia.

COgitanti attentius de Christi Domini pœnis, prout à nobis sunt explicandæ, Tria occurrunt, ut olim Sapienti, difficilia; & quartum quod penitus ignoro.

Pr. 30. Primum est, cùm Christus ita esset passibilis & tam multa revera sit passus pro peccato, dicitur tamen ignorasse seu non sensisse pœnas, *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Manifestè de Christo est Psalmus, cum illum sibi Christus applicet in Evangelio.

Ps. 34. Isai. 15. Secundum est, quomodo Christus, qui est modo impassibilis, dicatur pati a peccato. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.*

Tertium, licet aliquo sensu dici possit pati, quomodo eadem, quæ passus est, patitur, & graviora etiam quam quæ est passus, ut jam audivimus ex sancto Augustino: *Gravior est illa Crux in qua invitus pendeo.*

Quartum denique, quod penitus ignoro, est, quomodo, si ita est, audet Christianus peccare: quomodo audet Christianus toties suum Christum cruci affigere, quoties peccat mortaliter? *Regem vestrum crucifigam?* Dicebat ille? Tu verò Regem tuum, Redemptorem tuum, qui jam pro te est crucifixus, tu rursum crucifigas! Vix credi potest te hoc velle posse, si hoc ita esse crederes; Et vix tantillum audiveris aut cogitaveris, quomodo id ita sit, quin facile credas. Audi, & quid propositis dubiis responderi possit.

De primo, Dividendæ sunt primùm, omnes Christi pœnæ in internas & externas: tum utræque in septem subdividendæ species, ad quas cæteræ, quæ cum illis similitudinem quandam habent, referuntur.

Pro internis, videnda est prima hebdomada Quadragesimæ, ubi sex earum species productæ sunt & declaratæ, quibus ex sancto Bonaventura septimam hic adjungimus, qua Christus mirum in modum affectus est, cùm valdedixit Matri. Et quia tempore præcessit alias, quæ in horto concipiuntur, mentem Christi gravius affecisse, sic prima pœnarum animi potest dici, quam Dominus pati voluit hac sacra passionis die.

In Pharetra div. amoris.

Cum enim prope jam iturus esset Jerosolymam, Agnum Paschalem cum discipulis comesturus, & indè statim in hortum, ubi à Juda Judæis proderetur, Matrem prius adiisse, & quæ sibi sub proximam imminebant noctem, singillatim declarasse fertur, his aut similibus verbis: MATER colendissima: Scio te non ignorare, quid sit quamobrem è Cœlo in terras venerim. Scio tibi jam ex ipso Præsentationis meæ die denuntiatum esse, me positum velut in signum cui contradiceretur, & tuam ipsius animam pertransiturum gladium. Non te latet quod sæpe indicavi discipulis meis, me tempore definito tradendum gentibus, & illudendum & flagellandum & occidendum. Ea tempus illud definitum! En instat hora consummandorum omnium quæ de me Scripta sunt. Jam conventio facta est inter Judæos & unum ex selectis meis Apostolis de me prodendo. Jam numerata est pecunia; Vendor triginta denariis tanquam vile mancipium. Constringar funibus velut latro. Accusabor ut blasphemus coram Gentili præside. Deridebor ut fatuus coram Herode Rege. Flagellabor ut reus ad columnam. Condemnabor Cruci, crucifigar & moriar. Cras hac hora non vivam. Vale mi plurimum colenda mater. Sic est adimplenda Patris voluntas, sic peccatum expiandum, sic procuranda salùs hominum. His cogitandis te domi contine, vel si te pietas excitaverit ad hoc visendum spectaculum, specta mecum in omnibus divinum beneplacitum. Cogitemus simul Deum esse dignum, cui placando & reconciliando hominibus divina vita consecretur.

Luc. 2.

Tum Mater paucis: FILI carissime, non ignoravi quidem te esse Redemptorem hominum, & his redimendis non modicum à te persolvendum pretium. Sed quale tandem illud esset, non ita singulatim audiveram. O certè peccatum, malum! ô certè in peccato est aliquid gravius quàm humana mens possit exquirere, cùm Divinam propterea dari vitam, & tali morte commutari oporteat. Te Adoro Divina Justitia, & quidquid materni sensus repugnat in morte Filii, totum tibi subjicio. Sic me Matrem semper cogitavi, ut æterno Patri Mater filii, non minus quam ipse Filius, tota deberetur. Unam hanc à te Fili mi postulo gra-

tiam, fac tecum moriar ut tecum vivam. Si mea morte possem tuam redimere, sola vellem mori; sed cùm sit tibi moriendum, fac ne sola vivam te mortuo. Fac ut animam meam sic pertranseat doloris gladius, ut anima mea dolore gladii cum tua transeat, cum tua corpus suum deserat, cum tua vivat.

Ne plura dicerent, ora intercluſit dolor, & divulsus à Matre Filius didicit ex his, quæ tunc perpessus est, quantus esset in amore dolor. Tum verò cœna cum Discipulis facta, & conscenso monte olivarum, sex internis aliis doloribus habenas ita laxavit,
Matth. 26 ut quod dixit Discipulis suis: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, perinde est ac si dixisset. Tantus me animi tenet dolor, ut jam his internis doloribus morerer, nisi me ad plures exernos reservarem. Vide suprà quid aptius excerpi possit ad gravitatem uniuscujusque doloris exprimendam, hic est enim proximus finis quò eorum consideratio spectare debet. Tum facto transitu ad externos dolores, quibus se per interiores paravit, septem hæ species recenseri debent.

Ioan. 13. Prima est, osculum proditoris Judæ, in quem cum introisset Satanas, ut expressè refert sanctus Joannes, vix potest concipi, quomodo Christus Dominus, infame os illud attrectaverit quin simul cogiterur toto exhorruisse corpore, ut supra memoratur.

Secunda, cum totam egit noctem in illis tormentis, quæ sustinuit apud Pontificem, ibi alapis eum cædunt, conculcant pedibus, sputis illinunt, vinclis stringunt, & sicut Philisthæi quondam Samsonem, quaquâ versum rotant & agitant. *Circumdederunt me vituli multi, & tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.*
Iud 16. Ps. 21.

Tertia fuit, horrenda illa flagellatio, quo tormento sol non vidit crudelius. *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.*
Is. 1.

Quarta, dum spinis coronatur & arundine percutitur, mirum quantum inde pateretur, & quanta inde in vultu sanies, livor,
Ibid. 53. & plagæ. *Quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.* Quæ non modò ad contemptum, sed ad dolorem indicandum à Propheta memorantur.

Quinta est Crucis bajulatio, quod certè tale tormentum fuit, ut illi ferendo par non esset Christus, & tum maximè plangeretur à circumfusa turba: *Et plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*
Zach. 12. Luc. 2

Sexta est Crucifixio, dolor planè sensibilis. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. QVARE rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus.* Id est, sanguine undequaque profluente sic aspersus erat, ut nihil nisi sanguineum in eo appareret.
Ps. 21. Is. 63.

Septima potest rectè dici, sitis & illa derelictio, de qua in Cruce verba fecit, ut intelligeremus sic eum purè pati, quâ omni parte corporis erat passibilis, ut nec animo se solari tantisper vellet, nec dolorem ullo planè modo mitigare, sed calicem ut est in scriptura, *usque ad faces epotaret.* O verè consummatum est opus redemptionis nostræ! O *verè consummatorem Iesum!*
Ezech. 23 Hebr. 12.

Nunc verò exponamus, quomodo, cum tanta passus sit, dicatur tamen ignorasse & quasi nesciviſſe, *Congregata sunt*, inquit, *super me flagella, & ignoravi.* Tam certum omnino est Christum Dominum nihil prorsus ignorasse, quàm planè est indubitatum illum fuisse plenum Gratiæ & Veritatis; quid est ergo quod dicatur ignorasse, quod & scientia sua Divina, infusa & creata noverat, ac suo præterea sensu ita sentiebat ut tametsi alia ignorasset, hoc tamen nescire non potuisset?

Duplex est interpretatio & utraque valde opportuna in nostris tolerandis miseriis. Prima est, *ignoravi unde tot in me congregarentur flagella.* Id est, causam in me non vidi, cur ita flagellarer & tractarer à meis inimicis? Non deerant quidem causæ ex parte peccati nostri, & ex parte Divinæ Justitiæ: sed quantùm spectat ad eum qui patitur, tàm longè est ab omni culpa & omni causa, cur patiatur, ut ipse proditor agnoscat peccatum suum, *quod tradiderit sanguinem justum:* Ipse Judex pronuntiet, *nullam in eo causam mortis invenire;* Ipse latro clamet, *nos quidem juste, hic autem nihil mali fecit:* &

audito

audito terræ motu, redeant turbæ percutientes pectora sua & dicentes, *verè hic homo justus erat*; Sic est patiendum innocenter, aut si non sumus innocentes, hæc Innocentis nostri Salvatoris revocanda est nobis in mentem innocentia, ut nobis ipsis dicamus quod dicebat latro ad socium, *nos quidem justè, hic autem nihil mali fecit.* Luc. 23.

Secundò verò, quod non minus est intelligendum; tanta patientia & mansuetudine patiebatur Christus, ut quantumcunque sentiret congregari super se flagella, tamen diceret se ignorare, quia ita se gerebat patiendo, quasi id diceret, quasi hoc ignoraret quod pateretur. Hæc est Metaphorica, figurata & interpretativa ignorantia: Non excandescebat omnino, non agitabatur corpore, non lingua, non oculis, nulla denique parte indicabat se tam dira pati. Hoc est quasi nescire, quasi non sentire, quasi non cogitare: ut doceret nos se tam libenter omnia pati quasi nihil pateretur, sicque ejus exemplo Charitatem & patientiam adjungeremus nostris pressuris cùm alioquin velimus nolimus, patiendum est, Sed longè satius patiendum est in Cruce Christi, vel boni saltem latronis, quam in cruce mali. *Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.* 1. Petr. 4. Extendi fusius posset hæc moralis instructio.

Atque hinc quod secundum sequitur, difficile intellectu explanari facillimè poterit, quomodo videlicet jam dicatur Christus passibilis à peccato, cùm sit reverâ impassibilis. Quo nempe modo dicitur ignorare, quod re tamen vera sciebat: sic planè dici potest pati, quod revera tamen non patitur. Neque enim magis repugnant Christo pati & non pati, diverso sensu, quàm scire & nescire. Neque minus utrumque Scriptura refert. Nam in eodem Psalmo tricesimo quarto unde sunt illa verba jam explanata, expressè ait Deo Psaltes, *apprehende arcum & scutum*, quasi diceret, nisi teipsum tuearis, qui me & te impugnant hostes, te offendent & ab eis patietis: scuto tibi est opus ut inimica tela retorqueas. Nonne hoc est apertè dicere, Deum esse passibilem? Est autem eadem planè ratio Dei & Christi sedentis ad dexteram Patris. Nam sicut Deus revera est impassibilis, ita & modo Christus; & sicut dicitur tamen Deus passibilis, ita & Christus dicendus est.

Quomodo autem id dicatur, duplex est sensus. Primus ille ipse est, qui jam de interpretativa Christi productus est ignorantia, quod ita se Deus gerit erga peccatores, ita se Christus habet circa peccatum quasi pateretur, & quasi sentiret malum ejus. Non se vindicabat Christus de inimicis, cùm ab eis malo pœnæ petebatur, & sic dicebatur malum illud ignorare vel non sentire. At contrà cum à peccatore impetitur malo culpæ, malum istud non sinit impunitum, punitis peccatoribus serius, sicque puniendo malum culpæ sive peccatum, dicetur malum hoc sentire & à peccato pati. Sic expressè Scriptura de Deo in peccatores, *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo inquit, hominem quem creavi.* Gen. 6. Et manifestè Apostolus: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei:* ubi sanctus Anselmus, *In ira*, inquit, *substantia Spiritus Sancti contristari non potest, cum ipse sit aeterna & incommutabilis beatitudo, sed ad similitudinem hominis contristari dictum est, qui domum illius, qui eum contristavit aegre fert.* Ephes. 4.

Theophylactus autem & alii in eundem Scripturæ locum sic alio sensu declarant, quomodo Deus dicatur pati à peccatore, licet peccatum non puniret, quia videlicet *peccato Deus offenditur, tanquam opposito suæ bonitati, suæ legi æternæ, suo Dominio, cæteris{que} perfectionibus suis*, quas sicut non potest non amare, sic non potest non odisse, non detestari, non graviter ferre peccatum. Atque ita si esset passibilis, tantum ex unoquoque peccato dolorem sentiret, quantum ex re quavis molesta & gravi sentire possint homines. Unde illud semper manet, ut, quantum est ex parte peccati, tam verè dicatur affligi & pati Deus, quam si reverâ pateretur, quia nisi hoc haberet à se, ut esset impassibilis, haberet à peccato ut pateretur. Quod perinde est ad offensionem atque injuriam inferendam, ac si reipsa sensibili motu gravitatem injuriæ persentiret. Sicut si quis lorica indutus ita percuteretur ab adversario, ut nullum sentiret dolorem, non diceretur minus percussus, sed tantum minus læsus; Nec defectus læsionis esset à percutiente, sed à percusso; unde perinde semper maneret injuria percussionis, ac si læsus esset. Sic passim Scripturæ de Deo, ut jam videbitur in explanando

Tertio, quod est propositum de Christo Domino similes quasdam & graviores patiente pœnas à peccato quam pro peccato.

Prima internarum fuit separatio filii à matre, gravis certe dolor, sed quam longè est gravior quando per peccatum separatur ab anima quam unicè diligebat; separatur enim invitus, ejicitur ab anima, expellitur, & in ejus locum introducitur inimicus: non ad duos aut tres dies, sed ad menses aut annos integros, aut ad ipsam etiam æternitatem: neque enim redibit in animam quantumcunque foris pulset, clamet & expectet, nisi quando libuerit animæ, cujus voluntati se ita Christus subjicit, ut mors & vita, quam in ipsa habet, sit in ejus voluntate. O stupendam Christi bonitatem! O execrandam peccati malitiam! *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum!* Ps. 59.

De internis aliis doloribus cùm toti fuerint excitati propter peccatum & miserias inde consequentes, ut explicatum est suo loco, quis non facile capiat toties Christo renovati dolorem, quoties renovatur objectum & doloris materia? Nonne sic iisdem pene verbis utrumque dolorem Scriptura exprimit, & quem in terra passibilis sentit, & quem in cœlo impassibilis patitur. *Capit Dominus, tædere super Israel. FACTA sunt mihi molesta, laboravi sustinens. VIDIT Dominus & malum apparuit in oculis ejus, & APORIATVS est.* Quo uno verbo quidquid tristitiæ, timoris, anxietatis & similis cujuscunque molestiæ Christus in horto pertulit tam aptè exprimitur, ut Apostolus indicare volens se in graviores quasque incidisse miserias tùm animi, tùm corporis, non alio utatur verbo quàm *aporiamur*, id est, omni re prorsus atque ipsò etiam rei agendæ consilio privati sumus. Quis crederet eò reduci Deum! aut quis pius non crederet sic affirmante Scriptura? 4. Reg. 10. Is. 1. Jer. 59. 2. Cor. 4.

Sic de septem illis externis pœnarum speciebus, quas Christus passus est, nulla prorsus relata est, cui non aliquid simile Scriptura vel Patres referant, quod à peccatore inferatur Deo. Proditoris osculo Judæ inhorruit! *Sic abominatio Domini est omnis illusor: sic simulatores & callidi provocant iram Dei.* Prov. 3. Job 36.

Alapis, calce, sputis & aliis probris per totam noctem proculcatus est Christus. At ecce noctu diuque peccator, *tendit adversus Deum manum suam & contra omnipotentem roboratur.* Neque minus peccato quam sputis fœdatur Christus. *Unde tu qui accepisti imaginem Dei*, ait sanctus Ambrosius, *noli eam irrationabili fœditate consumere.* In c. 15. Luca. Job 15.

Flagellatus est semel aut iterum Christus; At verò indesinenter *ingeminantur flagella Christo*, ait sanctus Augustinus, *quia flagellatur sermo ejus:* & afferens illud supra memoratum, *Congregata sunt super me flagella*, sic pergit, *flagellatus est flagellis Iudæorum: flagellatur blasphemiis falsorum Christianorum: multiplicant flagella Domino Deo suo, & nesciunt.* Quid clarius, & quid aptius ad rem nostram? Aut si forte dubites, quomodo blasphemi flagellent Dominum, & quinam sint illi blasphemi, audi sanctum Bernardum de unoquoque peccato loquentem sub propriæ voluntatis nomine: *In ipsum, horribile dictu, desævit authorem. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescirè. Vult ergo eum non esse Deum, qua quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, qua Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat.* Hoc est scilicet blasphemare, sic de Deo perversè sentire: & hoc est flagellare Dominum Deum, sic omnia ejus attributa proterere, ac si omnia corporis membra flagellatione contererentur. O verè dictum: *Crudelis planè malitia!* Trast. 10. in Ioan. Serm. 3. In Resurr. Dom.

Quod præterea Christus coronatus est spinis, quod crucem bajulavit, quod cruci affixus est, & in cruce sitim ac cæteros corporis cruciatus sine ullo solatio toleravit, totidem respondent à peccato pœnæ, Christo graviores. Nam dum peccator mundanas suas solicitudines, quæ spinis in Evangelio comparantur, præfert Christi consiliis & præceptis quibus regi deberet, quid aliud quam spinis coronat Christi caput? An agnoscis Christiane Christum esse Regem tuum? Agnosco, inquis. An te illius regimine regi velles? velles certè, sed simul velles illius regimen non esse aliud quam quod mente voluis, quàm quod solicitè desideras, & avidè cupis. Hæc est corona quam illius imponis capiti, tua scilicet depravata voluntas, qua te una vis regi, nec in Christi regno aut divino sensu, velles aliud esse quod tuo repugnaret; ut ille quidem te regeret, sed peccato Luc. 8.

eato tuo te regeret, & non in te Christus, sed peccatū à Christo quodammodo approbatum aut dissimulatum regnaret cum concupiscentiis. *Va filii desertores,* dicit Dominus, *ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum.* Nempe hanc pravam mentem, quam peccator suis peccatis addit, ut illa velit Christo probari, & à Christo per illa regi: *Vt in concupiscentiis vestris insumatis.*

Quid porro est, quod inter extremos suos dolores numeret, *quia torcular calcavit solus*, nisi quod peccato fiat ut solus crucem bajulet. Suam nempe peccator crucem abjicit, & quod illi præcipuè ferendum erat ad salutem, in solum Christum rejicit. Quasi sit peccatori satis quod Christus patiatur! ô peccati sævitiam! Hoc est, quod Ipse in alio Scripturæ loco plangit acerbissimè: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Quasi diceret, quidquid sibi peccatores indulgent, quidquid ad liberiorem vitam sibi laxandam comminiscuntur, quidquid sibi fingunt de omni timore deponendo & de securitate suę salutis, totum hoc in me conjiciunt, totum id ita sibi promittunt, quia pro illis passus sum; quod certè non potest non esse mihi gravissimum, ut quo motivo deberent uti ad concupiscentiam reprimendam, eodem abutantur ad illam relaxandam. Quid ditius cuivis Patri quàm videre filium tanto effusius sibi bona parta prodigentem, quanto ipse filius vidit Patrem in illis bonis acquirendis laborasse? Suntne verò hæ parentum expectationes? Suntne hi Crucis fructus?

Sed quod præcipuum est in hac tota materia, *Crucifixio*, præcipuum illud est, quod disertis Apostolus verbis expressit, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Si AFFIGET homo Deum, quia vos configitis me. Me vos configitis gens tota.*

Hoc quærebat aliquando Deus à populo suo, Utrum fieri posset ut Deus cruci affigeretur. Et certè si de cruce lignea, vel quam vocant, materiali cruce sit quæstio, satis apertè constat, quod non possit Deus, ut Deus, crucifigi; & idcircò factus est homo, ut tamquam homo crucifigeretur. Sed si quæstio fit de alio quodam genere crucis, quo Deus in nobis affigitur velut corpus in cruce, respondet ipse Deus, id non modo esse possibile, sed id ita fieri à populo suo. *In decimis*, inquit, *& in primitiis*; id est, per peccatum quod committebant in negandis aut diminuendis, quas Templo & Sacerdotibus debebant, decimis, hoc peccato quod memorat inter alia constringebatur quodammodo Deus & cuidam veluti cruci affigebatur. Cur porrò? quia ut puniret illud peccatum pœna proportionata; cogebatur quodammodo Deus restringere, recusare aut diminuere bona temporalia, quæ plena manu solebat illis effundere. *In penuria vos maledicti estis, & vos me configitis.* Sic se restringi & impediri, quo minus benefaciat, hoc vocat Deus crucifigi. Sicut enim cruci affixus non habet liberum manus usum, ac proinde nihil potest dare: sic sibi videtur Deus affigi manu quando per peccati & per justitiæ leges, quibus puniri debet peccatum, ita detinetur ut non benefaciat.

In quo certè est maxima Dei bonitas, qui magis dolet se non dare hominibus, quam vel ipsi homines gaudeant se ab eo accipere. Sed & quanta sit peccati malitia & quanta etiam Divina Justitia licet inde colligere, quod tametsi Deus ex se sit propensissimus ad donandum, sic tamen per peccata detinetur, ut velut manu cruci affixa restringatur & retineatur à gratiis, & à quibuscunque donis sive spiritualibus sive temporalibus elargiendis. Atque hic est primus modus, quo intelligi potest, quomodo per peccatum Christus iterum crucifigatur, quatenus scilicet impeditur, ne in nobis agat, & ne nobis benefaciat. Sicut enim tunc dicitur, *vetus homo crucifigi cum actibus suis*, quando impeditur, ne in nobis agat & operetur, sic planè dicendus est novus homo, qui est Christus, crucifigi cum actibus suis, quando detinetur, ne in nobis agat sicut ageret, nisi detineretur, ut supra declaratum est fusius.

Deinde verò rursum crucifigi à peccatore dicitur Christus, quia suo peccato causam renovat Crucis Christi. Hoc enim facit propter quod remittendum, oportuit Christum crucifigi, & propter quod toties oportet illum crucifigi, quoties peccat, nisi meritum Christi tam efficax esset, ut ad delenda peccata omnia sese extendat. At verò quia peccatori per unumquodque suum peccatum perit istud Christi meritum, nisi denuo

per Sacramenta renovetur & applicetur, sicut ista mentis renovatio & applicatio est nova quædam crucifixio, quia de novo gratia inde hauritur; ita peccare, quod est causa hujus renovatæ applicationis, est rursum quodammodo crucifigere filium Dei, & tantò ei graviorem pœnam infligere, quantò magis vellet rursum pati sensibilem crucem, quàm peccatum ullum de novo fieri. *Cur addimus afflictionem afflicto*, dicebat sanctus Bernardus, *magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quàm vulnera corporis sui.* Et de Judæis agens, *In hoc*, inquit, *forte minus reprehensibiles quàm novi Crucifixores, qui manibus & verbis mortem illi accersunt, immortalem mortificant, incrucifigibilem crucifigunt.* Sic sanctus Augustinus suprà relatus, cujus verba hic pensiculatius expendi possent. Sanctus quoque Ambrosius, ad hæc Joannis verba: *Tulerunt ergo lapides Judæi ut jacerent in eum. FORTE*, inquit, *dicitis malum fecerunt Judæi, qui eum lapidare voluerunt, & qui eum crucifixerunt. Scitote & firmiter credite, quia hoc faciunt Christiani hodie, malè viventes, eò quod tunc Christum vitiis persequuntur. O quàm pauci sunt in tanta multitudine Christianorum, qui Iesum non persequantur, & lapident, & occidant.*

Fer. 2. Pasch.

Serm. 44. in Dominica de Pass.

Denique quòd siti ardentissima torqueretur in cruce, quòd felle & aceto potaretur, quòd omni prorsus solatio destitutus, vires omnes in extremis exhauriret tormentis: Dira profectò sunt & horrenda; Sed si comparentur cum peccato, si cum desiderio salutis nostræ, si cum ea Charitate, qua & gloriam Patris & animarum salutem ac perfectionem sitit, tanto minus ei dura & gravia videbuntur, quanto minus æstimat, quæ sua sunt, quàm quæ sunt Dei. *Pater major me est*, inquiebat, ut homo, Christus: at per peccatum, Pater, id est, Deus offenditur, per Crucis verò tormenta solus homo torquetur, unde quantum Christus pluris facit illum, qui peccatis offenditur, quàm illum, qui tormentis cruciabatur, tantò gravius sentit peccatum quod est malum Dei, quàm tormentum Crucis quod est malum solius hominis, prout est malum sensibile. Erat quidem Christus Deus, & Christo patiente dici potest Deus passus, sed tamen cum reipsa solùm pateretur ut homo, quidquid tum patiebatur, dicitur malum esse hominis patientis, & non Dei, ut humana discernatur natura, secundùm quam erat passibilis. At peccatum offensa Dei est, injuria Dei est, Crux Dei est, irrisio Dei est, & verbo uno, quantum esse aut dici potest, malum esse Dei, peccatum est Dei malum, & quantumcunque in suo genere sit leve & minimum, quia tamen malum est Dei, malum est in suo genere gravius malo quovis gravissimo in genere inferiori, quale est malum pœnæ.

Ioan. 14.

Vtinam, dicebat Job, *appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quàm patior in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret.* Hoc planè Christus vehementer sitit, hoc est quod exoptat ardentius, ut appendatur vel unum peccatum & quidquid patitur in statera; sed contra prorsus ac Job sentiebat, contrà exclamaret, quasi arena maris vel unum peccatum gravius appareret, quàm quidquid patitur. *Non asperamus stateras dolosas*, inquit sanctus Augustinus, *ubi appendamus quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes hoc grave est; sed asperamus Divinam stateram de Scripturis sanctis & illâ, quid sit gravius appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.*

Iob 6.

Contra Donat.

Statera dolosa sunt rationes petitæ à carne, à mundo, à visibilibus & transitoriis rebus, quarum aspectu & affectu aliter de malo culpæ ac pœnæ judicamus quàm Christus judicet, & ex illo judicio refellimus, quidquid ab Evangelio, seu quidquid à Christo perfectionis proponitur, quasi illud esset alienum à receptis mundi hujus institutis, quasi esset difficilius, quasi esset alterius quàm nostri status, quasi solis id esset Religiosis aut Novitiis proprium. Hoc est illi fel & acetum porrigere; *hoc est super dolorem vulnerum ejus addere*, hoc est ad calculos nostros & ad humanam stateram res divinas revocare, quod certè Christo est gravius quàm ipsa Crux, in qua sic est appensus, ut in ea etjam velut in statera malum culpæ & pœnæ appenderit, & quandoquidem malum pœnæ sustinuit, ne malum esset culpæ, malum hoc culpæ gravius alio tam apertè declaravit, quàm apertum est unicuique, virum sapientem minus æstimare media quæ impendit ad aliquem finem obtinendum, quam ipsum finē; & ut ait sanctus Thomas, *Gravior*

Ps. 68.

est

est semper finis privatio, quàm eorum, quæ ducunt ad finem. Hæc sunt quæ in Cruce à Domino per tres horas continuas usque ad mortem appensa sunt, & hæc sunt quæ dicebat sanctus Augustinus, *ut quemadmodum appensa sunt, recognosceremus.*

III. PUNCTUM.

De Morte Christi Domini.

EXpirandum tandem fuit, consummatis Scripturis, restabat ista quæ cæterarum esset consummatio Scripturarum; *Et post hebdomades sexag nta duas occidetur Christus.* Dan. 9. Is. 53. Ier. 12. *ABSCISSVS est de terra viventium. DEDI dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Expiravit, & inclinato capite tradidit spiritum.* Matt. 27. Ioan. 19.

Hoc exigebat peccati gravitas, ut non tantùm pateretur, & quidquid haberet in vita Christus daret, sed, ut ipsa etiam Christi vita daretur, quo salutis humanæ pretio nihil esse potuit pretiosius. O vita Christi! O mors Christi! quàm suavis illa, quam dura ista! Quàm præclarè simul conveniebant corpus & anima, tam suavis erat vita Christi: unde & tam duram ac amaram oportuit esse mortem, quæ illius fuit corporis & animæ violenta separatio. *Siccine separat amara mors?*

1. Reg. 15. Possent & septem alia capita recenseri, unde hæc mors Christo valde gravis esset. Primum est, genus mortis infame. Secundum est, causa pretenta mortis. Tertium, societas latronum. Quartum, multitudo persequentium. Quintum, Judæorum inde sequens interitus. Sextum, Gentilium inde futuræ contradictiones. Septimum, futura ex illis contradictionibus dura sanctorum supplicia. O quæ tùm bonus Jesus sentiebat, qui aliquando in suis tot rursum esset passurus mortes, quot essent futuri Martyres.

Sed quàm graviori quotidie morte moritur Christus, & in singula pene momenta quibus peccatur! ô peccatum! ô peccatorem! Prov. 26. ô quàm verè dictum, *septem nequitiæ sunt in corde illius.* Et quàm verè comparatur peccatum bestiæ illi, quam vidit sanctus Joannes Apoc. 13. cum septem capitibus & aliis partibus monstruosis.

Septem sunt capita, unde peti potest peccati gravitas, seu quàm grave Christo fuerit etiam supra ejus mortem.

Primum est, quòd cùm Christus quatuor vitas haberet, unam tantùm perdidit per mortem suam: at cùm easdem etiam quatuor aut affines vitas in anima possideat, totas simul per peccatum amittit. Quatuor vitæ Christi erant Divina, Beata, Spiritualis, & Naturalis, ex quibus sola naturali privatus est, remanentibus aliis integris. Nam ut supra dictum est, nulla unquam fuit separatio Divinitatis à Christo, nec Beatitudinis, nec Divinæ Gratiæ seu Charitatis, in qua consistit vita spiritualis, unde restat sola naturalis vita, quæ dissoluta est decedente à corpore anima.

Quatuor verò his quodammodo respondentes vitæ quas Christus habet in anima cujuscunque fidelis, hæ sunt, Prima, quæ est illi communis cum Patre & Spiritu sancto, & divina dici potest, ea est quæ per Gratiam & Charitatem habitualem formatur, de qua ipse Dominus dicit, *Et ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. Secunda est, quæ item posset dici communis tribus illis personis, sed tamen magis est particularis Christo Domino, Beata quædam vita est, quam vult in nobis vivere, & ratione cujus dicit, *deliciæ meæ esse cum filiis hominum,* Prov. 8. cum illis conversari, illos regere, illos protegere, illos docere, & hoc ejus regnum de quo ipse, *Regnum Dei intra vos est; Et si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Luc. 17. Tertia, quæ est etiam particularis ipsi Christo, est Sacramentalis per Sacro-sanctum illud Sacramentum, de quo est panis vitæ, de qua ipse dicit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Apoc. 3. Ioan. 6. Id est, singulari quodam modo simul habitamus. Quarta denique est, de qua ipse ait ad alios quosdam effectus; *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere:* Ibid. 15. Nihil scilicet, quòd sit vitale supernaturali vita, & quòd sit fructuosum in vitam æternam. Sicut autem palmes vivit in vite, ita & vitis in palmite. Sic & nos in Christo vivimus, & ille in nobis ad ferendum fructum conformem nostræ vocationi.

Verùm, quod in peccato est gravissimum, qua-

quatuor iſtæ vitæ ſimul eodem inſtanti pereunt, quo lethalis culpa committitur. Mors eſt Chriſti ſecundùm has quatuor vitas; Perit prima vita, pereunte Gratia & Charitate: Perit ſecunda, pereunte amicitia quæ intererat inter Chriſtum & animam mediante Gratia: Perit tertia, pereunte principio vitæ quod reddebat capacem animam nutrimenti ſpiritualis, ſicut in corpore mortuo nullus eſt cibi uſus: quidquid ſumptum eſt alimenti, perit, & redditur corpus incapax nutritionis. Quarta etiam perit vita, pereunte unione & communicatione, quam habebat anima cum principali Agente, ſine quo nihil poteſt meritorium, unde omnia ejus opera ſunt mortificata & mortua; mortificata quidem, quæ ante facta ſunt in ſtatu vitæ: mortua verò, quæ fiunt in ſtatu mortis ſeu in ſtatu peccati. O quàm verè dictum:

Oſee 7. *Va eis, quoniam receſſerunt à me, vaſtabuntur.*
Ibid. 9. *Sed & va eis, cùm receſſero ab eis.* Quam verè etiam ſanctus Ambroſius poſtquam di-
L. de fuga ſæculi c. 2. xit, *Verbum Dei maximè in nobis vivere. SANE*, inquit, *moritur nobis, ſi à noſtra anima ſeparatur non quò morte corrumpatur, ſed quò diſſolvatur atque exuatur mens noſtra ab ejus conjunctione. MORS ENIM VERA EST, VERBI ET ANIMÆ SEPARATIO.*

Atque hoc primum caput, unde eſt Chriſto gravius, ſic rurſum mori per peccatum, quam quando pro eodem mortuus eſt; quia quadruplex illi perit vita, quarum unaquæque cùm ſit ſpiritualis & ſupernaturalis, pluris eam facit quàm ſuam naturalem, ſi præciſè tantum, ut erat naturalis, ſpectetur.

Secundum eſt, quòd etſi omnia eſſent patia, ſi una utrobique vita tantum periret, graviori tamen morte, morte peccati noſtri periret quàm morte ſuæ Crucis, quia volens lubenſque moriebatur in cruce; At nonniſi
Iſ. 66. repugnans & invitus in nobis moritur. *Fecerunt malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.*

Tertium eſt, quòd ad paucos dies Chriſtus eſt mortuus, brevi reſurget, & reſurget in gloria, nihilque prorſus illis obſtabit animæ, quin corpus jacens in ſepulchro reſumat quando volet, Non lapis ſuperpoſitus, non cuſtodes oppoſiti, non ipſa mors quæ intervenit, non quivis hoſtes, qui mortem
Pſ. 3. illam procurârunt. *Non timebo*, inquit, *millia populi circumdantis me.* At verò quandónam in animam, unde expulſus eſt, revertetur? quanta obſtacula! quanti obices! quantæ repulſæ! quanto ad januam ſtabit tempore & pulſabit, & clamabit, *aperi mihi ſoror mea, & repelletur?* Nunquid hoc grave eſt *Cant. 5.* & odioſum!

Quartò, in morte Crucis, quanta bona inſunt! quanta Dei eſt gloria! quot hominum ſalus! *Si poſuerit pro peccato animam ſuam,* *Iſ. 53.* *videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd tulit anima ejus, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos.* Hæc certè tolerabilem illam reddebant mortem & valde acceptam. At in peccato nihil prorſus boni, nihil planè niſi mali; malum eſt Dei, malum eſt Chriſti, malum animæ, malum corporis, malum hujus & alterius vitæ. *Scito, & vide, quia malum & amarum* *Ier. 2.* *eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum,* & non ſolum tibi amarum, ſed & ipſi Domino, quem ſic reliquiſti.

Quintò, Mors Chriſti, mors erat peccati: Morte ſua Chriſtus meruit ut deleretur omne peccatum, *Delens*, inquit Apoſtolus, *Coloſſ. 2.* *quod adverſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.*

At quid eſt peccatum? Mors ipſius meriti mortis Chriſti, totum illud evacuat, quantum in ſe eſt & exhaurit quod Chriſtus nobis eſt meritus. Videte, quid gravius Chriſto eſſe poſſit, an ſe peccatum interficere, vel ſe à peccato reviviſcente rurſum interfici? An delere ſuis meritis peccatum noſtrum; vel peccato noſtro ſua deleri merita! Hoc eſt *filium Dei conculcare, & ſanguinem teſtamenti* *Hebr. 10.* *pollutum ducere.*

Sextò, per mortem ſuam Chriſtus Dæmones vicit, *per mortem ſuam deſtruxit eum, qui* *Ibid. 2.* *habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti,* ut ait Apoſtolus.

At peccator invertit hanc gloriam & victoriam Chriſti, Dæmonem facit vincere & triumphare de Chriſto; uterque de te decertabat in occaſione peccati; viciſſet Chriſtus, ſi peccatum evitaſſes; vicit Diabolus dum conſenſiſti peccato, redit in domũ ſuam, & *Luc. 11.* *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Hoc ita referebat Dominus indicans, quàm ſibi eſſet grave ſic à fugato fugari hoſte.

Septimò

Septimò denique, Christo gratissimum fuit præbere mundo exemplar obedientiæ, quæ Deo reddenda est usque ad mortem, sicque omnes reducit homines ad subjectionis statum, unde exciderant per peccatum. At ecce peccator contra sese opponit, *non serviam*, inquit, non obediam, non me Deo magis subdam, quam si nihil ad me spectaret Christus, aut perinde ac si nihil illud esset quod edidit tam stupendum subjectionis exemplum! Potest hoc videre Christus, & non gravius ferre quàm obedire Patri!

Unde ut tandem concludamus, videtis quam vera sit universim proposita Veritas de graviori malo Christi patientis à peccato quàm pro peccato. Cùm totum illud quod pro peccato passus est malum, revocetur ad hæc tria, *contemptum, pœnam, & mortem*; Neque in his tribus aliquid tam grave reperiatur toleratum, quin aliquid gravius illi tolerandum in peccato viderimus. Quid restat quam acquiescere huic Veritati, & ex illa referre fructum quem proposuimus referendum, qui est discere quid sit peccatum, quid sit vel semel peccasse.

Mihi pro certo est quod si, qua par esset, attentione cogitaretur illa Veritas, aut nullus esset Christianus, aut nullus esset qui tam liberè peccatum admitteret sicut admittit. Quid! Christianum credere, quod credit de Christo Domino, & velle tantam illi, quoties peccat, inferre injuriam, quantam est passus à Judæis; non est hoc credibile, talem esse posse Christianum. Quis nisi Judæus non detestatur vel minimam partem, cogitare vel minimam eorum partem, quæ hodie contra Christum perpetrata sunt, seu verbo, seu facto, seu signo? Si tam perfrictæ frontis esset aliquis, qui non erubescere profiteri se dolere quod ibi tum non adfuerit ut de suo conferret cum Judæis ad Christum illudendum: censereturne Christianus qui hoc auderet? nonne ut blasphemus, ut Judæus, ut Judas cum diris & execrationibus ablegaretur? Et tamen ô Christiane peccator, si attendis quid sit peccatum, videbis te illic fuisse, & te illic quoties peccas, adesse, qui non partem aliquam eorum, quæ gesta sunt, gerat, sed totum ipse unus omnino præstet & simul conjunctim perpetret, quod alii non nisi partim & divisim commiserunt.

Adeamus Jerosolymam, ascendamus Calvariam, conveniamus unum ex his aliquem, qui suam Christo crucifigendo locavit operam. Inquiramus ab eo an sit ille, qui Christum vendiderit, qui negarit, qui accusarit, qui condēnaverit, qui flagellaverit, qui fel & acetum porrexerit: nullus reperietur qui horum omnium fuerit reus. Alius est qui prodidit: alius qui emit, alius qui accusavit, alius qui condemnavit. At tu peccator, tu unus omnium crimen simul & eodem quo peccas momento, sic in te colligis, ut quod à variis vario tempore passus est Christus, à te uno totum patiatur. Tu illum vendis, tu illum negas, tu illum accusas, flagellas crucifigis & occidis.

Et licet è Judæis aut Gentibus aliquis plura in Christum perpetrasset: quis qualisve Christus esset, nesciebat. An tu Judæe noveras illum esse filium Dei, illum esse promissum Messiam qui redempturus esset Israel? planè ignorabat. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*? At tu Christiane, nonne credis illum esse, quem fides Christiana proponit? Et hunc non vereris negare, non pudet illum crucifigere? 1. Cor. 2.

Sed esto fuerit miles, qui de Christo mira audierit vel viderit: at quod fecit, iussus fecit, & tum Christus in tam miserandum devenerat statum, ut qualis ante fuisset, jam non cogitaretur. Te verò peccatorem quis coëgit, quis locavit, quis induxit, quis te contra Christum inflammavit, nisi tua propria concupiscentia? quonam verò in statu credis illum esse, qui glorioſus in cœlis sedet ad dexteram patris? Et tu illum ultro appetis, tu illum ad necem vocas!

Dic nobis verò miles impie, quoties impietatem tuam in virum illum innocentem exercuisti? quoties illum flagellasti? quoties illum crucifixisti? semel tantum respondebit. At tu peccator, quoties? numera si numerari potest, quoties peccaveris, agnosce te toties id ausum esse, quod semel tantum hodie factum est à Judæis omnibus, & agnosce tandem quid sit peccatum.

Neque id obiicias aut cogites, quod jam supra dilutum est, Christum modò esse impassibilem & longè à malo pœnæ positum. Quæro enim abs te quando miles latus ejus aperuit, sensitne Christus illud vulnus, cum jam expirasset? negabis prorsus quia mortui corporis nullus est sensus. An verò negabis vul-

vulnus illud tam illi fuisse injuriosum & lethiferum quam alia omnia ? Nonne inter omnia vulnera, plagæ quinque nobiliores reçensentur, & inter illas plagas, quæ est media Lateris seu Cordis nonne nobilissimum habet locum & cultum ? Nonne de quinque illis plagis, iisdem prorsus verbis loquimur, & eadem ratione sentimus sine ulla distinctione aut differentia modi quo accepit illas plagas? Et tamen scimus, quod cum accepit plagas pedum & manuum erat passibilis, cùm verò latus ejus apertum est, erat impassibilis. Sed scimus etiam, quod nihil refert ad rationem comtemptus, pœnæ & mortis, quod sit in statu passibili vel impassibili. Cur igitur mihi differentiam istam obiicies, quando agitur de peccato, in quo non minus offenditur quam in Cruce ? an si quis pugione fodisset sacram Hostiam, minus injuriæ diceretur intulisse Christo, quod ibi est impassibilis, quam si revera pateretur ?

An putas, sentiebat persecutionem Christus cum diceret Saulo, *Saule Saule, quid me* Act. 9. *persequeris?* Et tamen perinde ac si ipse lapidatus esset in Stephano & conjectus in carcerem cum suis discipulis, ecce à cœlo perinde clamat, *Ego sum Iesus quem tu persequeris*, Ego ille sum, quem tu quæris ad necem. Sic planè ô peccator tibi modò è Cruce loquitur Salvator tuus, Ego sum Jesus quem tu persequeris. Ego Iesus ille qui semel pro te à Judæis sum crucifixus, & à te rursum crucifigor quoties peccas.

Populè meus quid feci tibi, aut quid molestus Mich. 6. *fui tibi? responde mihi?* Ego pro te sum venditus, ut te liberarem à servitute dæmonis, & tu me rursum vendis tuo peccato ! Ego pro te tristitiam & agoniam passus dirissimam, ut tibi gaudium comparatem æternum ; & tu me gravius quotidie peccato tuo contristas ! Ego pro te glorificando, Gentilibus illudendus & conspuendus, ut vides, fui traditus ; & tu me peccato tuo, dæmoni tradis illudendum : Ego pro te expiando & pro avertendis à te Dei flagellis fui flagellatus : & tu me peccatis tuis flagellas & conculcas : Ego in cruce affixus clavis, ut tanquam stylo sculpam in corpore meo, quantum te diligo : Et tu me graviori peccatorum tuorum cruci affigis, ut mihi manifestes quantum me oderis : Ego pro te in Cruce mortuus, ne morereris in æternum, & tu mihi mortem affers, ne vivam in te.

Hæccine reddis Domino, populè stulte & insi- Deut. 32. *piens ? Nunquid non ipse est qui te fecit & refecit tali modo ?* Nunquid hoc credis ?

Credisne Christum, credisne esse filium Dei, credisne esse Salvatorem, credisne semel fuisse mortuum? Unde habes nisi ex Scripturis, nisi ex Ecclesia, nisi ex Prædicatoribus tibi dicentibus ? At ecce nunc eædem Scripturæ, eadem Ecclesia, & iidem prædicatores tibi pronuntiant, *rursum crucifigentes sibimet-ipsis filium Dei.* Credis Apostolo dicenti primum à Iudæis fuisse crucifixum : & non credes dicenti rursum à te crucifigi ! Neque dicas te id non cogitare & intendere. Non est necesse id cogitare, & ita expresè velle, ut ita fiat, satis est velle peccatum, ut, quod est in peccato malum, totum fiat; Nolles dum peccas offendere Deum, nolles privari eius gratia, nolles cœlo excidere, nolles damnari : & tamen ista omnia ex peccato sequuntur. Sic planè Christi mors, sive de illa cogites sive non cogites. Quantum quantum est crimen occisi Christi, tantum est peccati malum in quo totum illud continetur : ac proinde si vis scire quo affectu, quo dolore, quonam odio sit detestandum peccatum, disce à teipso, quo affectu crimen occisi Christi detestaris : neq; unum unquam disiungas ab alio. Jam supra dictum est; quod huc referri potest : ut fugiamus homicidam sive ut detestemur homicidium, Scriptura hoc proponit motivum ; *quasi nihil est ante eum sanguis* : quasi nihil es- Eccl. 2. set humanum sanguinem fundere, sic homicida nihili ducit homicidam esse. Sic de quovis peccatore, sic de te cogita, si non caves deinceps à peccato attentius, quasi nihil tibi esset divinum fundere Sanguinem, quasi nihil sibi esset, quod Christum perimas tuis manibus, tua lingua, tuo corde. Hoccine nihil putas? Deicida ! Christicida ! quid fecisti? quid deinceps facturus es in occursu peccati ! En anima eius in manibus tuis semper.

Urgeri potest peccator vehementius : aut certè in tam horrenda peccati sævitia, defixo & cogitabundo dimittatur animo, nec relaxandi spatium detur.

HODIE

EODEM DIE,

AD HÆC AUT SIMILIA VERBA:

Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & Consummatorem Iesum. Hebr. 12.

VERITAS PRACTICA.

Sic est propositum nobis certamen in septem Christi patientis stationibus, ut qui vel unam deserat, totius militiæ sit desertor.

RATIO EST, Quia sic est propositum nobis certamen contra septem capitalia vitia, ut, qui vel contra unum non certet, totius militiæ sit desertor.

Sed in septem Christi patientis stationibus sic propositum est nobis certamen contra septem illa capitalia vitia, ut, qui vel unam deserat stationem, non certet contra unum vitium.

Ergo sic est propositum nobis certamen in septem Christi patientis stationibus, ut qui vel unam deserat, totius militiæ sit desertor. Quod conciso hic quidem & breviter enarratur, sed longè fusius ex antè dictis dilatari potest.

I. PUNCTUM.

VEXILLA REGIS PRODEUNT, ut prodeamus scilicet ad pugnam & nostrum sequamur Ducem.

PANGE lingua glorioſi, lauream certaminis: Et super Crucis trophæo, dic triumphum nobilem, qualiter Redemptor orbis, immolatus vicerit.

Non est dubium, quin Christus Dominus patiendo certarit, vicerit & triumpharit; sed dubitare forsan quis poterit, an sit nobis ita certandum: quamquam quid dubii esse potest volentibus aliquando coronari, & audientibus ac credentibus neminem fore coronandum *nisi legitime certaverit*? Eò vocamur omnes, quotquot militanti Ecclesiæ adscripti sumus: nec cunctandum sed *currendum ad propositum nobis certamen.* Sic autem *propositum nobis certamen in septem Christi patientis stationibus, ut qui vel unam deserat, stationem suam deserat, & totius militiæ Christianæ sit desertor.* Quæ profectò Veritas & toti enarrandæ Passioni Dominicæ: & præcipuoe illa referendo fructui per quàm opportuna & apta est.

1. Tim. 2.

Ratio, quæ affertur, est vulgaris sed tantò commodior. Sic est propositum nobis certamen contra septem capitalia vitia, ut qui vel contra unum non certet, totius militiæ sit desertor. Septem sunt illæ Gentes, quæ ab Israelitis erant expugnandæ, & quas nisi omnino expugnent, sint ipsi expugnandi. *Percuties eas*, inquit Moses, *usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis, irascetur; furor Domini & delebit te citò. Quin potius hæc facietis eis: aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.* Act. 13. Deut. 7.

De his autem septem vitiis atque de eorum filiabus fusè sanctus Gregorius in Moralibus: & alii passim. Quod sit verò certandum contra omnia, tam apertè patet quam contra unum. Nam qui ab uno superatus est, *huius & servus est*, inquit sanctus Petrus, servus autem peccati, servus corruptionis, servus dæmonis, nonne est desertor sacræ militiæ, & ipsius Christi transfuga perfidus? L. 31. Mor c. 31. 2. Pet. 2.

O quam præclarè Apostolus vel de uno vitio! *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo*, Et post pauca. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad Iustitiam?* Rom. 6.

II. PUNCTUM.

SED in ſeptem Chriſti patientis ſtationibus ſic propoſitum nobis eſt certamen contra illa ſeptem vitia, ut, qui unam deſerat ſtationem, non certet contra unum vitium.

Nam unam ſtationem deſerere nihil eſt aliud, quam non certare contra illud ſpeciale vitium, cujus certamen in ea ſtatione quæ deſerta eſt, propoſitum erat à Duce noſtro.

Præclara porro ſeptem harum figura ſtationum præceſſit in ipſo primo introitu promiſſæ terræ, atque in ipſa prima civitate Iericho, quam everterunt Iſraelitæ. *Septies*, inquit, *circuibitis civitatem, & Sacerdotes clangent buccinis. Cumque inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis.* Quid enim ſeptem ſunt circuitiones niſi ſeptem ſtationes? quid buccinarum clangor, niſi totidem Verba, quæ Chriſtus in Cruce protulit, & quæ unicuique ſtationi conveniunt ad idem vitium expugnandum? Quid denique vociferationes illæ niſi ſeptem prodigia quæ ſimul etiam in eundem finē ſunt edita? Quæ quidem tria videtur Pſaltes complexus hoc verſiculo: *Mementote mirabilium eius quæ fecit, prodigia eius, & Iudicia oris eius.*

Iosue 6.

Pſ. 104.

Mirabilia, quæ fecit Dominus, ſunt mirabiles ſeptem virtutum actus, quos edidit ad formam quandam certaminis contra ſeptem illa capitalia vitia, cum quibus nobis eſt decertandum. Non quod eſſent in eo vitia contra quæ decertaret, nulla planè, ſed erant tantū humanæ paſſiones, quæ dicuntur ab Apoſtolo, *ſimilitudo carnis peccati*, non peccatum ſed ſimilitudo quædam, quod circa eandem materiam verſentur ſeu commoveantur atque ipſa vitia noſtra. Naturales erant quidam animi motus concitati ex apprehenſione boni, vel mali ſenſibilis, ſicut in nobis: unde fiebat timor, ira, triſtitia & ſimiles quædā paſſiones, ſed non præveniebant rationem ſicut in nobis, nec inordinatè eum ferebant, quō nollet, ſicut nos rapiunt. Quid ergo erat, quod certaret & expugnaret, ſi nihil erat inordinatum, ſi nihil erat contra voluntatem & contra rationem? Hoc eſt, quod dicimus eſſe mirabile, cùm nihil eſſet contra rationē quod facere poterat in illis paſſionibus, tamen ſe continuit in motu naturali quem ſentiebat, non id fecit quod licitè poterat facere; aut id ſuſtinuit quod poterat non ſuſtinere: & quia quod tunc fecit, ita fecit contra naturalem inclinationem quam retinuit, idcirco certaſſe dicitur: & agonia, quam ſuſtinuit, nihil aliud eſt quam certamen & lucta ſui ipſius cum ſeipſo, ut eſſet nobis exemplo ſic eſſe decertandum in ſimili caſu, ubi nos defectu certaminis in vitium incurrimus. Non fuiſſet illi vitium, ſi non certaſſet contra ſe, quia ut dictū eſt, nihil inordinatum feciſſet: ſed nobis ordinariè eſt vitium & peccatum, quod ut diſceremus evitare ſic certando cum illo, idcirco decertavit; & ſic contra vitia decertaſſe dicitur, intelligendo duntaxat motum naturalem in eo, circa eandem materiam & objectum, quod in nobis ſolet vitium excitare. Quibus ita præſuppoſitis, jam ingrediamur cum illo locum certaminis.

Rom. 8.

8. Thom. 3. p. q. 5. a. 4.

Prima ſtatio eſt in olivarum monte, & primum ibi certamen initum fuit contra illud capitale vitium, quod dicitur Acedia, pigritia, negligentia, tædium in rebus divinis & ſpectantibus ad ſalutem. Diſtinguamus hic quod eſt purè naturale, ſeu naturalis paſſio ſine ulla inordinatione; & quod eſt in nobis vitioſum. Naturale eſt omni homini triſtari, tædere, & angi ad repræſentationē mali ſenſibilis; Sic eſt triſtatus Dominus, ſic cœpit tædere & pavere, ſibi repræſentando tormenta quæ imminebant, & damna inde conſequentia, ut ſupra dictum eſt. Cum autem tāto premeretur angore, ut ſi naturalē ſecutus fuiſſet ſenſum, tunc mortem fugiſſet, noluit illum ſequi ſenſum, ſed contrà ſe oppoſuit, contrà certavit, & tàm fortiter ſe objecit morti ut & Patri diceret, *Non mea ſed tua fiat voluntas*: Et Apoſtolis: *Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.* Ac tandem ipſis inimicis ſe ad necem quærentibus. *Ego ſum*, inquit, *ſi me quæritis, ſinite hos abire.*

Matt. 26.

Ioan. 18.

Sic eſt porrò nobis certandum contra illud tædium quod aliquando ſentitur in rebus divinis aut ſpiritualibus. Sic nihil eorum, quæ tunc fieri debent, omittendum eſt: ſic nihil eorum, quæ nō debent fieri, committendum: ſed quaſi nihil ſentiretur, unū ſpectetur quod agendum eſt, una ſpectetur Divina voluntas, ad quam ſicut dulcedo nos non impellit, ſed

vera

vera fides & charitas; sic nec asperitas ab illa nos non dimoveat. *Quoniam oportet semper orare & non deficere. BONVM autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. RECOGITATE enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes: Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Quæ verba rursum infra recurrent attentius expendenda.

Luc.18. Gal.6. Hebr.12.

Quod conformi verbo in Cruce prolato valde confirmavit Dominus dicens, *Consummatum est*, quasi diceret, nihil prorsus eorum, quæ mihi agenda & patienda fuerunt, omisi. Sic moriendum, expletis & consummatis omnibus: sic omnia perfectè sunt consummanda, si velis securè mori. O qui hæc attentè cogitaret, quàm longè à se expelleret omnem acediam.

Ioan.19.

Matt.27. Tunc autem *Terra mota est*, ut hoc prodigio moverentur homines ad aliquem pietatis sensum, cùm viderent immobile illud elementum moveri. Erisne tu terra gravior, ut non movearis? erisne tu illis Gentilibus durior, *qui viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Perge in his te urgere affectibus.

Ibid.

Secunda statio est apud Caypham, neque enim apud Annam diu substitit, cum alter esset summus Sacerdos, & omne Concilium ad se convocasset. Ibi Iesus interrogatus de doctrina & de discipulis respondet se palam docuisse, & multos illic præsentes esse, qui, quod dixit, audierint, & qui de auditis testari possint. Tunc *unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu*, & alii omnes quà verbo, quà pugnis, qua sputis, qua calcibus & aliis indignis modis per totam noctem illum divexarunt.

Ioan.18.

At verò tùm nonne irascendi Christo causæ occurrebant? nonne concitari motus iracundiæ poterant sicut de illo ante scriptum erat, *Circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum*? Poterat certè Christus commoveri, poterat & irasci sine ullo vitio: sed maluit contra omnem iracundiæ certare motum, ut nos qui ab aliis agitati semper irascimur, neque vix unquam sine vitio irascimur, disceremus contra decertare, disceremus iram reprimere, domare impetum. *Non te superet ira ut aliquem opprimas. Cave ne declines ad iniquitatem.*

Marci 3.

Ibid.

Conforme Christi verbum est. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O quanta vis in illo verbo!

Luc.23.

Tunc verò *tenebræ factæ sunt in universam terram: & obscuratus est sol*, contemplare attentius, & conclude quod sic propter Christum, quæcunque apparent irarum causæ, tegi & obscurari debent. *Si sufflaveris quasi ignis exardescet: & si expueris super illam, extinguetur.* Qua de re supra fusius, & infra in Feria tertia hebdomadæ tertiæ post Pascha.

Ibid. Eccles.28.

Tertia statio est apud Herodem, licet enim Pilato Præsidi primum oblatus fuerit Dominus, tamen ut audivit quod Galilæus esset, statim illum misit ad Herodem à quo remissus ad Pilatum, tum ibi stetit diutius, ut quarto post loco videbitur. *Interrogabat autem Herodes Christum multis sermonibus. Stabantque Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum.*

Luc.23.

Tum verò ibi loqui, tùm patrare miracula, tùm se mirabilem exhibere, nonne Christo fuisset gloriosum? Nonne multa erant, quæ dictabat Ratio refundenda in adversarios, & innocentiæ patrocinio non reticenda? Nonne his poterat moveri Dominus ad loquendum? Poterat certè, nec dubium quin ex legitima ratione esset locutus, nisi maluisset ex alia superiori ratione silere, & certare contra illam quæ ad loquendum impellebat. Volebat enim potius nostram ibi superbiã retundere quam inimicorum calumnias. Volebat nostris potius quam suis consultum commodis. Noverat ille Dux noster, quàm acres simus & erecti ad omnem vanæ gloriæ captandam auram; quàm porro imbecilles & infirmi ad calumnias tolerandas: quàm parùm denique exercitati ad certamen contra illam geminã superbiæ aciem ineundum; quamobrem ipse hanc nactus occasionẽ, in qua erat vel eminere gloriosissimum, vel contemni perquàm ignobile: sic planè siluit ne captaret gloriam: & albam illam, qua indutus est, nõ recusavit vestem, qua contemneretur tanquã ridiculi candidatus imperii: sicque nos erudiret ad simile subeundum certamen, quoties in simili casu, simulata quædam ratio nostram excitaret superbiam ad plura effutienda quàm recta exigeret ratio.

O quanti refert decertare contra hunc hostem, cum tanti constiterit Duci nostro statuere nobis exemplum, quo tale ad certamen moveremur.

Matt. 27. DEVS meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Verbum eſt humilitatis extremæ, quo ex Cruce ſua Chriſtus confirmat & corroborat certamen inchoatum contra oppoſitum vitium. Sicut enim nihil magis timet & cavet ſuperbus, quam ſua propalare & confiteri peccata, ita nihil magis expugnat humilitas quã iſtum pravum pudorem. Cum autem Chriſtus nulla in ſe haberet peccata quæ confiteretur, aſſumit noſtra, & perinde ac ſi eſſet reus omnium, quæ patrata ſunt, peccatorum, ſe propterea confitetur & puniri a Deo, & ea pœna puniri, quæ omnium apud Judæos cẽſebatur graviſsima, nempe à Deo deſeri & relinqui. Neque enim credebant alium quam extremum peccatorem, ſic in extremis à Deo deſeri. Hoc eſt igitur, quod ait Chriſtus recitando & ſibi applicando Pſalmum illum vigeſimum primum, cujus eſt initiũ, *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti: longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Quaſi diceret, video quid ſit cur ita derelinquar, delicta ſunt pro quibus patior, tãquam ſi eſſent mea. Pœnam hanc meretur peccator ut deſeratur à Deo: peccatoris ego pœnam in me tranſtuli, ac proinde quo poſſum modo deſeri, deſeror, & accepto libenter hanc pœnam tanquam fidejuſſor & redemptor peccatorum. Hæc ſuprà fuſius.

Ad hanc humilitatis tam expreſſam vocem non modò ſol obtenebratus eſt, ſed ſimul etiam luna, quæ tunc erat plena & ſplendida, ſplendorem ſuum omnem texit, & in denſas ſeſe obvoluit tenebras quaſi nos admoneret nihil eſſe adeo ſplendidum & lucens in hoc ſublunari mundo, quod non obſcurari aut temperari debeat exemplo tantæ Chriſti humilitatis. Multa his apta referuntur alibi ex ſancto Gregorio, in hæc Jobi verba: *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè.*

Job 31. L. 22. Mor c. 7 & ſeq.

Quarta ſtatio eſt apud Pilatum, ubi poſt multa, comparatur & poſthabetur Chriſtus Barabbæ virorum omnium ſceleſtiſſimo, & invidiæ vitiũ expugnatur: Non poterat certè nõ eſſe odioſa, & rationabili ſenſu repugnans Chriſto talis comparatio, atque ex illo ſenſu poterat eam Dominus avertere, & impedire non modò ne homini tam perdito poſthaberetur, ſed ne ipſi compararetur. At contra maluit adverſus illum quantumvis rationabilem naturæ motum decertare, ut nos armaret in ſimilem motum, quo in nobis invidiæ cõflatur vitium, ut non modò pares ſed etiam, ſi ſic contingat, inferiores nobis præferri patiamur: nec ſimus illi ſimiles de quo refertur, *non rectis ergo oculis aſpiciebat Saul David, à die illa, & deinceps.* 1. Reg. 18.

Sic quando unus latronum ab illo petiit, ut in regno ſuo, ſui meminiſſet, id eſt, ut ſe in regnum ſuum introduceret, nonne tanta latronis à Chriſto diſparitas lõgè à regno Chriſti latronem arcere poterat? Sed contra Chriſtus: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradyſo.* Quaſi pares eſſent, ſic pari greſſu in regnum ingrediuntur. Luc. 23.

Sic dum reſurgunt reſurgente Chriſto mortui, ut expreſsè habetur: *Quod multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*, junguntur animæ ſuis corporibus & eos docent, qui forte inter ſe diſſiderent, ut in mutuam redeant amicitiam, nec odii, nec invidiæ, nec ullius deinceps diſſenſionis flamma excitetur: unde illa ſunt præclara & verè Apoſtolica Sancti Petri: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis ad ſalutem, ſi tamen guſtatis quoniam dulcis eſt Dominus. Ad quem accedentes lapidem vivum,* AB HOMINIBUS QUIDEM REPROBATUM, *à Deo autem electum & honorificatum: & ipſi tanquã lapides vivi ſuperædificamini* Quaſi diceret, ſi devicta invidia libenter cum Chriſto ſuffertis poſthaberi aliis minùs forte dignis, tunc Deus vos aliis præferet & præeliget. Matt. 27. 1. Pet. 2.

Quinta ſtatio eſt in Columna, ubi flagellatur Dominus. Qualis carnificina in tam tenero corpore! qualis pudor in tam pura mente! quale certamen animi, ſic nolle apparere nudum, & ſic tamen velle! non poterat aliter decertare contra vitium, quod nominari vetat Apoſtolus niſi ſuſtinendo pudorem illum nuditatis quem ſuſtinuit, quia nihil aliud habebat in ſe contrarium. Quod itaque potuit; hoc planè fecit & paſſus eſt, ut nos doceret nulli parcendum labori, nulli dolori, nulli certamini, ut puritatem mentis & corporis, omni ex parte, intactam atque illabatam ſervaremus. *Amove malitiam à carne tua. IN carne ambulantes, non ſecundum carnem militemus.* REMEMORAMINI *priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.* Ephes. 5. Eccl. 11. 2. Cor. 10. Hebr. 10.

Opportunè verò Verbum Crucis, verbum virtutis,

virtutis, verbum virginitatis & perfectæ castimoniæ commendandæ. *Cum vidisset enim Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ*: MULIER, ECCE FILIUS TUUS. *Deinde dicit Discipulo*: ECCE MATER TUA. Quasi diceret: Hoc est Virginum seu castè viventium singulare privilegium, ut ad Virginem Matrem singulariter spectent. O castitatis dignitatem! *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam & desiderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Sic aptè Sapiens.

Et quia caro semper concupiscit adversus spiritum, paulo attentius considerandum esset, quid sit caro, ut perspecta eius vilitate magis te pudeat ab illa vinci.

Sic porro egregiè sanctus Gregorius in illud Iobi: *Dulcedo illius vermis.* POTEST, inquit, *apertius vermis nomine, caro designari: unde & superiùs dicitur, Homo putredo, & filius hominis vermis. Luxuriosi igitur cujuslibet atque carnis voluptatibus dediti, quanta sit cæcitas demonstratur, cùm dicitur, Dulcedo illius vermis. Quid namque caro nisi putredo ac vermis est? Et qui quis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat? qua enim sit carnis substantia, testantur sepulchra*: Et quæ plura in hunc sensum habet, quæ supra relata sunt, Feria 4. Cinerum. Quibus illud Petri Damiani dictum præclarè quadrat: *Non est libidini diversorium, in qua mente versatur sepulchrum.*

Quamobrem his aptè jungas quod, inter cætera, prodigium evenisse refertur. *Et monumenta aperta sunt*, Id est, inversi sunt lapides, sepulchra diruta, defossa terra, & quidquid cadavera mortuorum operiebat, totum expansum est, ut ipsa sola spectarentur corpora, quo in horrendo statu præberentur spectanda, ut quid esset caro, tùm ipsis pateret oculis.

Et verò etiam aperiuntur monumenta mortuorum, quando ex consideratione patientis & morientis Christi tanguntur illæ Conscientiæ, quæ diuturnum pravæ libidinis fovere solent peccatum, & illud tandem integra confessione aperiunt, ac seria diluunt pœnitentia: *Ecce ego aperiam tumulos vestros. Venite, & revertamur ad Dominum, quoniam ipse capit & salvabit nos.*

Sexta statio est in monte Calvariæ, quò cum pervenisset, *dabant ei bibere myrrhatum vinum*, ait sanctus Marcus, *& non accepit.* Putatur à nonnullis vinum illud fuisse exquisitum & sopiendis sensibus aptissimum, quod amici reorum illis porrigebant ad solatium aliquod supplicii mox in cruce tolerandi. Dicebatur autem myrrhatum, quod in myrrhinis esset vasis. Hoc itaque vinum, cùm ex commiseratione quidam Domino fatiscenti obtulissent, nunquid extrema videbatur exigere necessitas ut illud acciperet, & sitim, qua laborabat, ardentissimam quoquo modo solaretur? Sed tamen contra certare maluit, & delicato illo potu planè abstinuit, tùm ut gulæ nostræ delicias sua expiaret temperantiâ, tum ut certandi contra hoc etiam vitiorum genus, daret exemplum. *Propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.*

Atque ut Temperantiæ luculentius esset exemplum, pateretque magis, quàm fortiter contra naturalem appetitum potus, potu abstinuisset, *dixit, Sitio*, quo audito Verbo quidam ad cæteros cruciatus hunc etiam addiderunt, ut fel & acetum ei porrigerent. Sic nempe virtus opposita vitio perficitur, ut non modò delicatis abstineat, sed gustet etiam aspera. Rectè autem Sidonius Apollinaris non modò de asperitate ciborum sed de quavis adversitate: *Quantumlibet*, inquit, *nobis anxietatum paterat vita præsentis propinet afflictio, parva toleramus si recordamur, quid biberit ad patibulum qui invitat ad cœlum.*

Non erit verò inutile tantisper in ea immorari Judæorum crudelitate perpendenda, qui sitienti Christo fel & acetum obtulerunt. Certè illi Epuloni ex inferis guttam aquæ inclamanti, licet negata sit aqua, non est tamen fel injectum: At Christo Domino non modò denegantur solatia, sed multiplicantur tormenta. Non sic ille olim sitientem deseruit populum, *quando de petra melle saturavit eos, quando convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*, unde hæ meritò in Ecclesia Conquerentis audiuntur voces: *populeus, quid feci tibi? Ego potavi te aqua salutari, & tu me potasti felle & aceto!*

Nec dubium quin propterea prodigium illud acciderit: *Et Petræ scissæ sunt*: quasi Christo &-

Ioan. 19.
Sap. 4.
Ezech. 37.
Hier. 24.
l. 6. Mor. c. 31.
Ep. 114.
Matt. 27.
Marci 15.
Eccles. 37.
L. 9. ep. 4.
Luc. 16.
Ps. 80.
Ps. 113.
Osee 6.

ſto ſitienti compaterentur, & quos in ſe aquarum continebant fontes effunderent: vel quaſi ſe minus duras indicarent quàm ille populus, qui ad tantum Chriſti ſitientis cruciatum magis induruit.

Et verò, anima, vide, ne modò tuorum amaritudo pescatorum plus eum vexet quam fel & acetum quo potatus eſt: ſic enim dicitur de peccatoribus: *Vva eorum, uva fellis & botri amariſſimi. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore.* Deut. 32.

Septima & poſtrema ſtatio eſt in ipſa Cruce, ubi Chriſtus pendens nudus & exutus omni prorſus ſubſidio, ſic contra rerum omnium indigentiam certat uſque ad mortem, ut, quàm fieri potuit, efficaciter nos doceret contra illud vitium, quo temporalia nimis avidè quærimus, ita eſſe decertandum, ut ne ipſius vitę nimio teneamur affectu, nec propterea deſiſtamus magis eſſe ſolliciti de ſancta quam de ſana vita. Quænam vita nobilior vitâ Chriſti? Et tamen ecce in egeſtate & penuria deficit, neque aliud quidquam præter ſpiritum habet, quod dicat ſuum vel ſuis diſceſſurus commendet. Paucas habebat ex piorum eleemoſynis pecunias quibus, dum viveret, una cum ſuis ſuſtentabatur, ſed eas ſecum omnes Judas proditor abſtulit. Veſtem habebat, ſed illam ſibi ſortiti ſunt milites. Diſcipulos quoſdam collegerat, ſed omnes diſperſi ſunt præter Ioannem. Atque hunc etiam Matri ſuæ donat, ſicut & Matrem Diſcipulo. Quid reſtat niſi Corpus? ex quo tamen quid reſtat cum totus inde ſanguis effluxerit, & totum ſibi uſurparint inimici?

Hoc unum ſcilicet eſt, quod poſtremo locutus ait, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, quaſi diceret: hoc unum mihi ſupereſt, de quo tanquam de re mea poſsim loqui & teſtari.

Quod cum diceret *ſtatim emiſit ſpiritum, Et velum templi ſciſſum eſt in duas partes*; velum illud videlicet quo ſancta ſanctorum tegebantur. Quæ cùm eſſent figura bonorum cæleſtium, ſic illa veli ſciſſura ſignificabat jam de aliis bonis cogitandum quàm de humanis & temporalibus. Erant videlicet cœli clauſi, nec ante hunc hodiernum diem quiſquam verè beatus fuit, ſed morte Chriſti reſerantur, noſtrum eſt cœlum ſi terram vincimus; vincimus ſi contra terrenos affectus conſtanter certamus. Et certamus conſtanter ſi nihil nobis deperire cogitemus, cùm pro terra cœlum datur: pro tempore, vita æterna: pro mundo, Deus. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ait Apoſtolus, *quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* 2. Cor. 8.

Matt. 27.

III. PUNCTUM.

SIC ergo eſt propoſitum nobis certamen in ſeptem Chriſti patientiæ ſtationibus, ut qui unam ex his deſerat, totius militiæ Chriſtianæ ſit deſertor. NAM qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, quaſi diceret, univerſa lex eſt, ut omnia evitentur peccata, ac proinde contra omnia decertetur, unde ſi quis contra ſex tantum in totidem Chriſti ſtationibus certet & non univerſim in omnibus, perinde reus eſt deſertæ militiæ, & violatæ legis, ac ſi in aliis non certaſſet, quia lex jubebat in omnibus dimicare. Sic apertè Apoſtolus: *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: Aſpicientes in Authorem fidei & Conſummatorem Ieſum, qui, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis,* Adversus peccatum repugnantes. Iac. 2. Hebr. 12.

Expende omnia ſingulatim. Vide, ut generatim dicit *repugnandum adverſus peccatum*, ne ab ulla ſtatione diſcedas. Vide, ut affirmat *uſque ad ſanguinem eſſe reſiſtendum*. Vide, ut proponit exemplar Chriſti, quod non eſt ſemel tantum cogitandum, ſed *recogitandum* multoties, & unum atque idem ejus factum dictumve ſibi ſæpius inculcandum. Vide ut ſibi & omnibus idem ait, *Curramus ad propoſitum nobis certamen*, quia ſcilicet non cunctandum in hoc certamine, non ceſſandum, non lento & molli gradu incedendum, ſed ſeriò & cõſtanter jam ab illis primis annis quibus nos impetunt vitia, neque ceſſant uſque ad ſenectam & ſenium. Unde & idem Apoſtolus paulo ante dixerat, *Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.* Et poſt nonnulla de Judæis incredulis: *Feſtinemus ergo in-* Ib. c. 4.

go ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Vide locum ubi & valde perpendi hæc possunt, *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos Iesum filium Dei, teneamus Confessionem.* Penetravit cœlos, id est, quasi vi & violentia facta irrupit in cœlos, quia certè non aliter eò pervenit quam pugnando; Unde & facile est cõcludere, neque nos aliter perventuros. Atque idcirco, *teneamus Confessionem*, id est, quod scimus, exequamur. Pugnemus sicut scimus esse pugnandum. Quod proponitur faciendum, sic revera fiat. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Sic æterna firmatur salus. *Apoc. 3.*

SABBATO SANCTO.

DE SEPTIMO CHRISTI VERBO.

***Pater, in manus tuas, commendo spiritum meum.* Luc. 23.**

DE DESCENSU AD INFEROS: DE CORPORIS SEPULTURA: AC DE POSTREMA RENUNTIATIONE, QUÆ EST LIBERTATIS.

***Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.* Ps. 87.**

VERITAS PRACTICA.

Nemo liberior quàm qui minus est liber.

SENSVS & Ratio est, quod is minus liber esse dicitur, qui sic renuntiat suæ libertati, ut sibi non putet esse liberum ea revocare quibus cum Christo renuntiavit.

Sed nemo liberior, qua libertate Christus nos liberavit, quàm qui sic renuntiat suæ libertati.

Ergo nemo liberior, quàm qui minùs est liber; ac proinde addenda est aliis hæc Renuntiatio nostræ libertatis, ut illa libertate Christi, simus perfectè liberi.

I. PUNCTUM.

SIC nobis hodie Christus Dominus proponitur mortuus, ut tamen morientis postremum verbum audiamus, & videamus quàm præclarè jam antè factas abnegationes, hac postrema renuntiatione, quæ tali verbo continetur, confirmet; Cùm enim dicit se in manus Patris spiritum suum commendare, perinde est ac si diceret, se illi animam suam ita committere & abdicare, ut, quidquid de illa velit statuere, statuat; Si ad cœlos vocare velit, aut inferos, liberandis inde justis demittere, se perinde paratum. Si separatam à corpore velit abesse diutius, aut ad corpus quamprimum remigrare; præsto est ad utrumque. Si cùm resurrexerit, pauci an multi credant; hoc fiat, Pater, quod fuerit placitũ ante te. Quod certè est abnegationis genus excellentissimum, & quo antè factæ renuntiationes tam apertè confirmantur, quàm manifestè apparet se Christum exuere sua quodammodo libertate revocandi illud, & resumendi quod exuit, nisi quantum Deo Patri placuerit.

Et reipsa sic præstitit, quod verbo dixit, nã statim ut anima de corpore exiit, descendit, volente Patre, ad eam Inferiorum partem, ubi Justorum animæ detinebantur, *expectantes beatam illam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.* O quale justis gaudium! quale dæmonibus & damnatis supplicium! Expende vehementius. Sic suum etiam corpus Divinæ reliquit providentiæ: aut ut remaneret in cruce diutius, aut ut quantocyus inde extraheretur, ac sepulturæ mandaretur. At verò contemplare, ut Deus providit homines, qui hoc tam debito pietatis officio defungantur. Perpende omnia singillatim, ut deponunt sacrum Corpus, ut depositum tradunt dolentissimæ Matri, ut ille dilectus Discipulus cæterique circunstantes defigunt in plagas oculos, admirantur, lamentantur, & aliis moventur affectibus, quĩ facilius cogitari possunt quàm exprimi; ac tandem ut sepelitur & in monumento novo reponitur, *in quo nondum quisquam positus fuerat.* *Titi 2.*

Quibus ita pro devotione recogitatis, eò

considerationem devolues, ut intelligas sic spiritum tuum in manus Dei commendandum, sic universam illi libertatem offerendā & consecrandam; quasi jam non esses liber ut aliter facias quam statuisti in Domino, nec reipsa magis tua libertate utaris quam si penitus uti non posses. Sic enim omnia rectè statuta eo firmius confirmabis, quò te ab illis revocandis longius dimovebis; ut è contra etiam, nisi te quodammodo astringas & obliges ad illam firmitatem, citissimè omnia evanescant. Neque verò quidquid gravius timeas ab illa obligatione. *Nam nunquam eris liberior & solutior, quàm cùm eris minus liber.*

Hoc attentius expendendum. Et Ratio jam satis manifesta ex dictis patebit adhuc clarius, si distinguas duplicem libertatem: una est naturalis de qua hoc primo puncto agitur, qua si velis, potes revocare sanctas illas renuntiationes, quas antè actis proximè diebus cum Christo sanctè formasti: quod nefas ne accidat longè satius est huic damnosæ libertati sic renuntiare, quasi deinceps non sit tibi liberum & integrum aliter agere, quàm quod in Domino statuisti: perinde ac si fidem dedisses qua te obstrictum putares, ut suprà dictum est de virtute in necessitatē commutanda. Et verò jam si seriò & constanter hanc tuæ libertatis renuntiationē profitearis, certe fatendum erit te minus esse liberum, quam si tua te non abdicasses libertate, atque adeo etjam quantò verius & plenius pravæ hujus libertatis usum à te abjeceris, tantò minus eris liber. Nonne id clarum & apertum? At nonne id statuis? nonne cum Davide dices, *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ?*

Sabb. Hebdō. 2. Quadrag.

Psl. 118.

II. PUNCTUM.

SED nemo liberior quàm libertate Christus nos liberavit, quàm qui sic renuntiat suæ libertati.

Altera ex duabus propositis illa est libertas, qua per Christi gratiam & per constantē naturalis illius libertatis renuntiationem, de qua dictum est, sic liberi sumus à servitute peccati & pravorum affectuum, ut quod ait S. Leo, *Castigatis colluctationibus, quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem.* Idemque alibi: *si mens rectori suo subdita terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, ordinatissimum tenebit ratio principatum: quia tunc est vera pax, & vera libertas hominis, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præsidè gubernatur.* Et rursum, *Cum caro*, inquit, *concupiscens adversus spiritum spiritali cupiditate superatur, tunc libera obtinetur sanitas, & sana libertas: ut & caro mentis judicio, & mens Dei regatur auxilio.*

Serm. 4. in Quadr. Serm. 1.

Serm. 4. de Jeju. Pœnit.

Hac itaque sancta libertate, ut vides, liber est, qui suæ alteri libertati, qua poterat servire vitiis, renuntiavit: nam non modò suis se pravis affectibus exuit, sed neque hos unquā resumendos proposuit: quo quidem proposito nihil opportunius ad illam Christianam libertatem stabiliendam. Nec verò solum liber est; sed nemo illo liberior esse dicitur, quia cùm illa sit verior & sanctior libertas, in qua se constanter permansurum cum divina gratia statuit, nemo verè liberior, quàm qui sic liber est veriori & constantiori libertate. O quam verè Sapiens: *Os justorum liberabit eos,* nempe ore fit renuntiatio falsæ libertatis, & inde nascitur vera libertas.

V. l. 2. de Imit. Chr. c. 11.

Prov. 11.

III. PUNCTUM.

NEMO est igitur illo liberior, quàm qui minus est liber qua libertate dictum est: Ac proindè si pergis imitari Christum in hac etiam renuntiatione voluntatis & libertatis tuæ, renuntia libens volensque; nec timeas ne quid decidat de pace & libertate tua. Eris quidem minus liber falsa & damnosa libertate: sed tanto eris liberior verâ & sanctâ; quam Christus attulit, libertate, quò minus alia liber. *Si vos*, inquit, *manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Joan. 8.

Accedet & alia similitudo cū Christo, qui cum esset mortuus & inter mortuos ageret, dicitur tamen inter eos liber, quatenus non sicut illi necessariò mortis vinculis tenebatur, ut qui proximè resurrecturus erat; ita ut mortuus quidem es humanis affectibus, sed in illa es morte liber, quatenus liberè & libenter sic mori velis & sic morientem vitam agere. *Quasi morientes & ecce vivimus.*

2. Cor. 6.

HÆC

HÆC est præterea ad sacram Communionem & Paschalem solemnitatem aptissima dispositio, sicut enim Pascha talis transitus dicitur, ut non fiat remeatio ad locum unde transitur, sic plane anima si sic transit à vitiis & ab affectionibus inordinatis ut illò non redeat, verè sacrum Pascha peregisse dicenda est, & non aliter. Sic sanctus Augustinus: *Agimus saluberrimum transitum, cùm à diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo ad eius fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus ne cum mundo transeunte transeamus.* Sic & S. Ambrosius: *Pascha transitus est à passionibus ad exercitia virtutis.* Itemque alibi: *Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est, animarum transitus à vitiis ad virtutem, à passionibus carnis ad gratiã sobrietatis mentis, à malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem & sinceritatem regenerationis.* Sanctus denique Bernardus. *In hac tam præcipua solennitate, quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie sed resurrexit; non rediit sed transiit, transmigravit non remeavit. Denique & ipsum, quod celebramus Pascha, transitus non reditus interpretatur: & Galilæa, ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat sed transmigrationem. Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem, & vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset, ego eum fratres non transisse dicerem sed redisse: non transmigrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse priorem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, nos quoq; invitat ad transitum, vocat in Galilæam.* Quæ plura ibi sequuntur, in sequentem differuntur diem.

Tract. 55. in Ioan.

L. 1. de Cain. c. 8.

L. 1. Hex. c. 8.

Serm. 1. de Res. Dom.

Tu verò interim ut ab una libertate transeas in aliam, sicque constans permaneas ut nunquam resilias & immuteris, dic cum sancto Ignatio Fundatore Societatis Iesu: *Suscipe Domine universam meam libertatem: Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco.* In Exerc. Spirit. 4. hebd.

Vide in 4. parte, Sabbato hebdomadæ 15. & tota hebdomada 24.

DIES SANCTVS PASCHAE
SEV
DOMINICA RESVRRECTIONIS
ET
DIES QUAM FECIT DOMINVS.

Surrexit, non est hic. Marci 16.
Surrexit Dominus verè. Luc. 24.
Fidelis sermo: Nam si mortui sumus, & convivemus. 2. Tim. 2.

VERITAS PRACTICA.

Nemo cum Christo mortuus, qui cum ipso non resurgat:
Nemo cum Christo resurgit, nisi qui cum ipso sit mortuus.

RATIO utriusque partis est, quod cum Christo resurgere, sit hoc unum & idem, ac novam cum illo vitam agere.
Sed nemo est cum Christo mortuus, qui hanc novam cum illo non agat vitam: & nemo hanc novã agit vitã, nisi qui cum ipso sit mortuus.
Ergo & utrumque verum quod proponitur, & de utroque dici potest: Fidelis sermo, nam si mortui sumus, & convivemus. *Quod certè est consolationis non modicæ: Si vero etiam non sumus mortui, nec convivemus, nec resurgemus, Quod profectò pavendum est, cum præcipuè tã pauci sunt qui verè sunt mortui. Quid sequitur, nisi quod etiam tam pauci sunt qui verè cum Christo resurgant? Quid porro magis cavendum; & Quid magis opportunum quod consideretur, quàm ex quibus simus?*

I. PUNCTUM.

QUOD sanctus ait Apostolus; *Christum Dominum resurrexisse* 1.Cor.15.
tertia die secundum Scripturas, Sanctus Anselmus fidelis ejus Interpres, refert ad illum locum
Oseæ, ubi Propheta sic loquitur: *Vivificabit* Oseæ 6.
nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Quasi locus hic esset insignior inter omnes Scripturas quæ de Christo resurgente prænuntiarunt. Mirum certè, cùm aliæ non deessent Scripturæ, quæ clarius & expressius de Christo Domino loquebatur. Iob dixerat, Iob 19.
Scio quod Redemptor meus vivit. David in per- Ps. 3.
sona ipsius Christi cecinerat: *Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi.* Quod & confir- Is. 33.
marat Isajas, aliique multi; *Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, & nunc sublimabor.* Nonne hæc de Christo sunt aperta? nonne & sunt etiam apertiora, quam quæ Propheta dixit Oseas, cùm expressè de Christo non videatur loqui, sed tantum de nobis? Non enim dicit sicut alii, *vivificabitur, suscitabitur*, sed *vivificabit nos, & suscitabit nos*; de nostra potius quàm de Christi resurrectione videtur agere. Cur sic Propheta loquitur? Cur sic Apostolus ad illum præcipuè spectavit locum? aut cur ejus Interpres sic illius declarat mentem?

Opportunè profectò & sapienter omnes. Sic erat Prophetæ loquendum: Sic erat Apostolo referendum; Sic erat Interpreti declarandum. Non est modus loquendi aptior de mysterio Resurrectionis Domini quàm his Prophetæ Verbis, *Vivificabit nos, & suscitabit nos.* Hoc est totum simul plenè & perfectè mysterium enarrare. Pars quædam est tantum mysterii quam alii attingunt, cum dicunt, *vivet aut resurget*; Restat pars altera quam omittunt, & quæ tamen totum magis spectat & complet mysterium, nempe ut resurgamus cum Christo, *ut ipse nos secum vivificet & suscitet*, Primam qui dicit partem de Christo suscitato, non secundam exprimit de nobis suscitatis: Sed qui secundam hanc dicit, dicit simul & primam, dicit simul totum mysterium, & illo præcipuè dicit modo, quo præsertim nobis est intelligendum.

Nam cũ audimus nos suscitatos à Christo vel cum ipso, simul facile capimus ipsum esse suscitatum, ipsum esse *primogenitum ex mortuis*, ipsum sibi primò vitam dedisse quam communicaret aliis. Et cum præterea sic audimus Scripturas de nobis potius quam de Christo loquentes, hinc apertè cognoscimus non aliter de mysterio resurgentis Christi cogitandum aut loquendum, quam ut simul de nostra resurrectione cogitemus & disseramus; & hanc esse præcipuam festi partem, ut de nobis sic Christo conformandis meditemur, quia hic est omnium, quæ Christus egit, finis, qui cum sine nobis non possit perfici & compleri, nobis est proponendus, nobis est declarandus, ut, quod de suo cuique est conferendum ad salutem, non omittat, ne si forte Christo desit, Christus nihil illi prosit. Coloss.1.

Hoc est quod arguere videbatur idē Apostolus in Colossensibus, quod ex parte tãtum dies solemniores facerent, & nihil faecrent. *Nemo vos*, inquit, *judicet in parte diei festi*, qua- Coloss.2.
si diceret ut quidam interpretantur: Ne putetis vos expleſſe munus vestrum in celebrando festo, si tantum mente aut sermone pertractaveritis partem illam quæ ad Christum spectat, & quæ jam sine nobis peracta est; pars est festi diei, non totus dies, nisi alteram simul adjunxeritis quæ à vobis exigitur, ut, quod vestrum est, cum Christo conferatis, & de illa parte attẽtius cogitetis. *Participes enim* Hebr.3.
Christi effecti sumus, ait Idem, *si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus*, id est, quod incepit in suo corpore, & non nisi nobiscum perficit, vel quod jam in nobis, ex mutua nostri parte est inchoatum, oportet ut simul totum compleamus; nempe sicut cum illo jam nati sumus, cum illo baptizati, cum illo mortui, sic cum illo resurgamus, sic cum illo ascendamus. Sic participes ejus effecti sumus & non aliter. Nec enim satis est inchoasse cum illo, nisi usque ad finem cum illo persistamus.

Quamobrem rectè Apostolus, cùm Timotheum suum instrueret de tractando resurrectionis mysterio: *Fidelis*, inquit, *Sermo, si mortui sumus, convivemus.* Quasi diceret, hic est fructuosus, hic est seligendus, hic est habendus præ cæteris sermo; sic te fidelem exhibebis Verbi Divini ministrum, cùm salutem tuam spectans, & eorum qui te audiunt, sic de Christo resurgente sermonem habueris, ut omnes intelligant, non quod tantum aut quomodo Christus resurrexerit, sed quomodo

da

do nos simul cum eo verè resurgamus; si videlicet simus cum eo mortui, *Nam sic convivemus*, inquit, *si sustinebimus, & conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos*, id est, si sustinemus quod est ferendum ut nobis moriamur, tum ille nobis dabit ut cum ipso surgamus, vivamus & regnemus. Quod si verò illud negaverimus, & ille nobis gratiam resurgendi negabit. Ac tandem concludit: *Hæc commone, testificans coram Domino*: Hæc declara testimoniis & rationibus, quæ fidem faciant & persuadeant fidelibus coram Domino, id est, vere perfectè, ut qui te audierint, verè etiam moriantur, & verè resurgant, non fictè & simulatè.

Quod certè est valde observandum, ubi de resurrectione agitur, atque idcirco expresè de Christo resurgente dicitur. *Surrexit Dominus verè.* Nam possunt esse quædam resurre-
1. Reg. 28. ctiones non veræ. Resurrexit olim Samuel, ut est in primo Regum libro, Resurrexit Moses & apparuit in monte Thabor cum Christo se transfigurante: sed non vera fuit Resurre-
Matt. 27. ctio, sicut Christi; non illi suo in corpore resurrexerunt sicut Christus, sed in aëreo aut phantastico & apparenti. Sic multi apparent hodie resurgentes, sed verendum valde ne tantum apparenter, & non verè resurgant sicut Christus. Datur autem nobis ab Apostolo nota certissima qua id dignoscamus: si quis
Rom. 6. videlicet cum ipso fuerit mortuus. *Si mortui fumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.* Appareat nos esse verè mortuos, & apparebit nos verè esse vivos. Si-
Matt. 27. cut illi, qui dicuntur in Evangelio resurrexisse cum Christo & apparuisse multis in civitate, dicuntur illi esse, quorum monumenta sunt aperta, qua die quave hora Christus est mortuus: Ita illi profectò resurgent spiritu & animo quorum Conscientiæ sic fuerunt apertæ, nihil ut lateret, quod non confiterentur, quod non dolerent, quod non expiarent, quod non manifestè testarentur se detestari. Hoc est esse mortuum, mortuum peccato, mortuum mundo, mortuum suis pravis affectibus, mortuum iis quibuscunque, quæ ad peccandum possent impellere. Qui sic est mortuus, bene sperer, & fateretur se cum Christo resurrexisse: *Fidelis sermo*: sermo indubitatus: Sicut è contrà, qui non ita est mortuus, planè non resurrexit, neque unquam resurget nisi prius moriatur.

Hæc est Veritas modò expendenda, cujus allata ratio, quidquid de ipso Domino resurgente magnificētius & gloriosius dici potest, dicendū suggerit & subministrat. Quid enim gloriosius de Christo dici potest, quam quod ait noster Apostolus, *ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus?* Hæc nempe est maxima Filii gloria, quod per gloriam Patris surrexerit, & quod simul effecerit ut in novitate vitæ cum ipso ambulemus. At verò hæc est germana ratio, qua proposita veritas stabilitur, hoc est, quo directè demonstratur neminē posse cum Christo resurgere nisi cum ipso sit mortuus; Quia nemo videlicet cum Christo resurgere dicendus est, nisi qui cum illo novā agit vitam; unde quantum necesse est explicare quid sit novam cum Christo vitam agere, tantum oportet necessariò contemplari quænam sit nova Christi resurgentis vita, quid sit illum per gloriam Patris resurrexisse, & quidquid demum eò spectat. Rom. 6.

Omissis autem pluribus interpretandi modis, gloria Patris non alia hic intelligenda est quam ipsa Divinitatis gloria seu gloriosa vita; Sensusque est, Christum sic corpus suum, quod jacebat in sepulchro, resumpsisse, ut in illo corpore jam viveret, non sicut ante vixerat, vitam mortalem, vitam corruptibilem, vitam nostræ similem quantum ad pœnas & ærumnas: sed vitam gloriosam, vitam immortalem, vitam divinam, vitam similem Deo, quantum quidem per dotes corporis resurgentis talis vita potest geri.

Sic enim primò per illam dotem quæ dicitur *Impassibilitas*, ab omni prorsus illæsum & intactum malo sensibili, corpus ejus exemptum est, *Non timebo*, inquit, *millia populi circumdantis me.* Jam non læditur, *jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Ps. 3. Rom. 6.

Per dotem *Agilitatis*, nullo ponderе retardabatur, quin posset in instanti se de loco ad locum tanta facilitate inferre, quanta cùm evanuit ex oculis discipulorum quibuscum accumbebat mensæ in Castello Emaus, & tum eodem instanti, vel Petro vel Iacobo apparuit longè distantibus. Luc. 24.

Per dotem *Subtilitatis*, ita corpus opacitatem exuit, ut perinde ac spiritus obserato egrederetur sepulchro ac clausis ingrederetur januis.

Per dotem denique *Claritatis*, sic cum vel-

let, totus refulgebat, ut quemadmodum in transfiguratione resplenduit facies eius sicut sol, ita toto poterat resplendere corpore, & totum suo splendore mundum illustrare. Hæc est propterea *dies quam fecit Dominus*, quia novo suo fulgentis splendore corporis magis diem illustravit quàm sua sol claritate radiorum; vel quia Christus resurgens ut Sol Justitiæ novo bono fecit eum diem: seu nova hominibus hac die communicavit bona sicut
Mal. 4. Propheta prædixerat: *Orietur vobis sol Justitiæ & sanitas in pennis eius.* Vel quod ad hanc diē sibi ob novum hoc Mysterium singulariter consecrarit, & consecratam voluerit à nobis observari; Vel hæc denique dies quam fecit Dominus ad hunc finem, *ut exultemus & lætemur in ea*, propter novam illam & gloriosam vitam quam Christus in terra cæpit vivere. Nam si, dum nasceretur mortalis & passibilis, *Evangelizatum est nobis gaudium magnum*, quantò maius oportet esse gaudium, cum ex illa mortali vita transiit in mortalem & incorruptam. Quæ certè nova vivendi ratio non minus nova Christi vita & nova eius nativitas dicitur quam vita temporalis, cùm non minus propter illam dicatur ei à Patre,
Ps. 2. *Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Non quod
Act. 13. nova novi corporis fuerit generatio, sed quod novus fuerit vivendi modus, sicut cœlum dicetur novum, quando in regeneratione sæculi non eo subsistet modo quo iam volvitur & revolvitur in sua temporum spatia.

Hæc est altera illa in mundum eius introHebr. 1. ductio de qua S. Apostolus: *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Primo est introductus dum nasceretur; iterum verò dum resurgit. Et sicut in prima nova vita, singulari cultu ab Angelis & hominibus fuit adorandus, ita in secunda nova vita, debet ab illis coli & adorari. *Venite exultemus Domino, iu-*
Ps. 94. *bilemus Deo salutari nostro. DIGNVS es Domine*
Apoc. 4. *Deus noster accipere gloriam, & honorem, & ho-*
& 5. *norem, & virtutem. DIGNVS est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.*

Quæ quidem Sanctorum verba duplicem habent sensum, primus est, ut Christus dicatur dignus accipere gloriam & alia quæ prædicantur, quantum ad corpus, sicut ipse de se
Luc. 24. dicebat, *oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam.* Dignus est ut communicetur corpori vita gloriosa, vita divina. Secundus sensus est, ut quam indè novam vivit vitam, agnoscant omnes & prædicent, sicq; accipiat virtutem & divinitatem, accipiendo laudes & præconia, quæ à nobis propterea celebrantur. Atque hoc est Pascha quod modò supra dies omnes festos celeberrimum agimus, id est, transitus Christi à morte ad vitam, seu à vita mortali ad immortalem quam sua morte promeruit.

Certè quando non fuisset passus; & quando id solum in Christi fuisset corpore quod *divinitatis plenitudo in eo habitaret*, merebatur Christus æquè esse illa sui parte corporali glorioſus, ac parte alia spiritali animæ quâ semper fuit beatus; sed tamē tanti facit quod sit passus & mortuus, ut hoc singulari nomine & titulo velit intrare in gloriam suam, & hanc suam gloriam velit à nobis propterea coli & celebrari glorioſius quam ullam aliHebr. 2. am. Unde Apostolus: *Eum, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter ignominiam mortis, gloriâ & honore coronatum.*

Sicut Noe post diluvium, Ioseph post carcerem, Moses & David post ovium curam, & Daniel post leonum lacum, ac Mardochæus post sibi paratam crucem, glorioſiores extitēre omnes; Sic planè Christus Dominus à cruce & sepulchro gloriam splendidiorem refert. *Occisus est agnus, & vicit Leo.* Videte quanta differentia inter agnum & leonem, tanta inter Christum mortalem & immortalem. Non erat agnus nisi ut esset leo; sed non est leo nisi quia fuit agnus. Atque ut perenne monimētum statueret suæ mortalitatis in immortalitatem commutatæ; suas illas plagas, quas in latere, in manibus ac pedibus accipere voluit, doponere noluit, ut sic illustriora fierent æterni gaudii & gloriæ nunquam desitura decora, quæ aliquando fuerant doloris & ignominiæ notoria signa.

Hæc est itaque Patris Gloria, per quam Christum resurrexisse ait Apostolus, ut quomodo vitam è sepulchro novam retulit, sic nos si verè cum illo resurgere volumus, in quadam novitate vitæ nobis propria, & conformi ambulemus. Sic præclarè sanctus Au-
In Enchir. c. 53. gustinus: *Quidquid gestum est in Christi cruce, in sepultura & in resurrectione, ita gestum est, ut his rebus consignaretur vita Christiana quæ in terris agitur. Propter Christi crucem, dictum est.*

Qui

Gal. 5. Rom. 6. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis. *Propter Sepulturam* : Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem. *Propter resurrectionem*, quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus; Qua scilicet novitate vitæ similitudinem quandam cum ipso resurgente possimus exhibere, ut *omnis vita eius manifestetur in carne nostra mortali*; Sic enim quatuor illæ, quas in Christo fuisse dotes audivimus, nobis certo quodam modo conferuntur, quibus quâtum quidem mortali fas est vivere, vitam vivamus cum Christo quam simillimam, ut fusè tota hac demonstratur hebdomada, breviter verò in sequenti puncto.

Ibid. 1. Cor. 4.

Nũc illud tantùm firmiter hæreat, nostram non esse aliam cum Christo resurrectionem, quam quæ cum Christo similitudinem illam habet, quæ vitæ novitas dicitur, & in qua totum salutis ac perfectionis nostræ versatur opus. Sic enim rursum idem Apostolus de Christo Domino, *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*; id est, ut iustè, ut sanctè vivamus: non ut solent homines vivere, sed novo quodam modo, quo pauci vivunt, qui sunt in arcta illa Via quæ ad vitam ducit. Propter hoc autem resurrexisse Christus dicitur, quia sic similitudine novæ vitæ nos acuit & excitat ad novum vivendi genus: sic exemplari suæ vitæ gloriosæ proposito, nos valde instruit & informat, quomodo sic cum illo possimus vivere; sic denique dum ipse vivit à mortuis, in nobis vivat, in nobis novam illam vitam instituat, sicut ipse suis dicebat Apostolis, *Quia ego vivo, & vos vivetis. Et vos in me, & ego in vobis.*

Rom. 4. Ioan. 14.

O vita Jesu cordium! cor novum crea in me, quod sit capacius tuæ vitæ recipiendæ. Fili, satis est capax tuum, si mihi totum dederis.

II. PUNCTUM.

SED novitas ista vitæ sic tota est in morte veteris hominis, ut sicut qui verè mortuus fuerit, verè cum illo novam aget vitam: sic nisi quis ita fuerit mortuus, non omnino vivet.

Primam propositionis partem sic Divinus Apostolus, quo nemo pressius & uberius, de hoc egit mysterio, sic consequenter ad illa verba de novitate vitæ, pergit declarare mirifico sanè loquendi modo, *Si enim*, inquit, *complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, Metaphora seu ratio loquendi desumpta est à surculis sive ramusculis, qui naturam & proprietatem plantæ, cui forte inseruntur, ita solent constanter sequi ut cùm per hyemem aresciat & penè moritur planta, sic illi aresceant & moriantur: cum autem vere novo, & æstate revirescit ac fructificat planta, sic illi simul virescant & fructificent. Ita nos ait Apostolus, si ii sumus, qui esse debemus, sumus velut quidam surculi per fidem, per gratiam, & per charitatem Christo inserti & complantati; atq; ita Christo morienti similes esse debemus, sic simul cum illo morientes peccatis & pravis quibuscunque affectibus; quam Christi mortem si morte nostra sic fideliter per primas communicatas gratias imitamur, sequetur illud aliud quod est summè optandum, ut per ampliores gratias nobis dandas, Christi etiam resurgentis similitudinem quandam exprimamus, dũ novo viventes vivendi genere, toto supernaturali, toto spiritali, toto cœlesti & Divino, non iam quales ante fuimus, sed quales oportet esse verè Christianos *in sanctis conversationibus & pietatibus* evadamus. Sic ipse de se Apostolus, quid inde ageret quidve experiretur; *Configuratus*, inquit, *morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis, non quod iam acceperim aut quod perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.* Quasi diceret, sic in dies conor proficere, non enim perfectionis metam attigi, & semper restat quo ulteriùs pergam, sic autem pergo ut quãtum Christo morienti similis fio mortificatione corporis & animi, tantum illi resurgenti evadam similis per veras solidasque virtutes, quibus eò tandem perfectionis perveniam quò me vocat Christus.

Rom. 6. 2. Pet. 3. Phil. 3.

Ut verò planius intelligatur, quomodo hæc ita fiant, sic paucis habe quod fusius alibi. Quatuor in nobis sunt præcipuè, quæ internæ mortificationi subiiciuntur, nempe in inferiori parte animæ, sunt duo appetitus, Concupiscibilis & Irascibilis: In superiore verò, Voluntas, & Intellectus. His quatuor abnegandis & mortificandis partibus studeat omnino necesse est, qui cum Christio mori appetit; Studium autem & exercitatio mortificatio-

tificationis eiusmodi per quatuor illas, quæ vocant Cardinales, virtutes sic peragitur, ut Temperantia contineat appetitum Concupiscibilem: Fortitudo moderetur irascibilem; Iustitia regat voluntatem; & Prudentia Christiana dirigat intellectum. Quadriga illa est qua per vias quas vocant purgativam & illuminativam dicuntur vehi Incipientes & Proficientes. Habet enim unaquæq; Virtus duos distinctos actus, quorum uno vitium in purgativa fugiat, & alio virtutem in illuminativa sectetur.

Jam verò his virtutibus studiosè colendis & constanter exercendis qui se addixerint, sicut complantantur similitudini mortis Christi, sic etiam similitudini resurrectionis eius conformabuntur, quia quanta fuerit eorum virtus, tanta mox unicuique virtuti dos quædam supernaturalis respondens, illis infunditur, quæ sic eorum animos supra se provehit & nobilitat, ut supernaturalem planè & divinam vitam agant, quæ est vita verè Christiana & religiosa, quam Christus sibi & nobis promeruit & nobiscum communicat.

Temperantia illa, quæ appetitum concupiscibilem temperabat, sic solidatur & perficitur, ut fiat quædam impassibilitas, & jam animus nullis lædatur appetitionum objectis, nihil terrenum appetat & caducum, *quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram.* Fortitudo, quæ irascibilem continebat, fit subtilitas quædam interior, quæ difficilia quæque & ardua tam generosè penetrabit, quàm audacter dicebat illa Mulier de corpore sui Dilecti: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Ioan. 20.

Justitia, quæ voluntatem regebat, transit in agilitatem illam *quæ assumit pennas ut aquilæ*, quibus semper volabit anima, nec unquâ deficiet. Prudentia denique, quæ intellectum dirigebat, evadet in claritatem, qua non solum animus sibi magis splendescat, sed & aliis præluceat ad omnes virtutum actus de quibus aiebat Apostolus, *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Isa. 40. Phil. 2.

Nonne hæc tibi videtur vita nova, vita gloriosa, vita Christo resurgenti quàm similis? Quamobrem hoc illud est quod dicebat Apostolus, *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, Si mortui sumus, & convivemus.* Hoc est quod prima propositionis parte docebatur, certò id futurum, ut, qui essent cum Christo mortui, novam cum illo vitam agerent. Nunc quæ restat pars altera, quod non aliter nova hæc vita possit institui quàm si mortui simus morte illa spirituali vitiorum, de qua suis congaudebat Apostolus, *mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in gloria,* tribus his probatur modis.

Primò, quia cum vita illa supernaturalis, sit excellentissimum donum cui recipiendo debet cum gratia disponi animus, non aliter congruentius disponitur quam perfecta illa mortificatione, de qua Dominus, *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10

Secundò, res ipsa sic videtur exigere, ut non nisi mortuo vetere homine, novus vivat. Cum enim sibi invicem, sicut Caro & Spiritus, adversentur, certè non potest unus subsistere, nisi alio deficiente. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*; Quod de sua naturali, & nostra morali morte dicebat Dominus. Quod ita planum est & evidens, ut qui aliter sentiat & sapiat, planè desipiat, inquit Apostolus; *Insipiens! tu quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur!* Et putares te posse nova vita vivificari, nisi prius moriaris? Ioan. 12.

Tertiò denique, sic est divinitus institutum & decretum, ut quemadmodum non est ingressus ad immortalem & beatam vitam nisi per mortem naturalem, sic planè nullus sit aditus ad vitam spiritualem & perfectam nisi per illam mortalem mortem *dum spiritu facta carnis, mortificantur.* Quis adeo demens præsumeret se nisi morte obita posse illò pertingere, quò nullus unquam mortalium, nec ipsa Virgo Deipara, nec ipse Christus Dominus, *nisi gustata*, ut ait Apostolus, *morte*, perveneruntⁿ? Et tamen facilius cum aliquo dispensaret Deus ut naturali vita vivus in ipsam beatitudinis gloriam transferreretur, quâ ut animali vita spirans in spiritualem reciperetur; non enim coëuntur, *nec est participatio iustitiæ cum iniquitate, nec sotietas luci ad tenebras. CARO & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* Ratum fixumque est. *Viviamus vitam Evangelicam, moriendo mortem Evangelicam*, inquit sanctus Augustinus. Vide in 1. parte, Sabbato hebdomadæ 5. post Epiphaniam. Hebr. 2. 2. Cor. 6. 1. Cor. 15. Ioh. 3.

III. PUN-

III. PUNCTUM.

SIc igitur utrumque patet quod est propositum.

Nemo cum Christo mortuus, qui cum ipso non resurgit. Nemo cum Christo resurgit, nisi qui cum ipso sit mortuus. Quia tota resurrectionis nostræ ratio sita est in novitate vitæ, quam qui non vivunt, tam certò non resurgunt, quam de aliis dubitandi locum non relinquit Apostolus, qui & seipsum explicans & à se dicta confirmans, atque ad veritatis praxim nos provocans, sic aptè concludebat, *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*; Id est, in hoc agnoscetis vos consurrexisse cum Christo, si non jam terrena sed cœlestia; non præsentia sed futura; non caduca sed æterna quæratis & sapiatis. *Quid quæritis viventem cum mortuis?* dicebant Angeli ad mulieres, *non est hic, sed surrexit. Venite & videte locum ubi positus erat Dominus.* Quasi dicerent; si non surrexisset Christus, hic esset ubi sepultus est; & si revera hic esset, non diceretur resurrexisse; Cùm autem manifestum vobis fiat, hìc non esse, quid sequitur, nisi quod resurrexit?

Ita planè de unoquoque nostrum discurrendum est, ut agnoscatur an verè possit dici resurrexisse. Habent enim singula vitia suum quendam locum internum & externum, in quo qui erat vitiosus, si forte quæritur, & de hoc dici possit, non est hìc, dici poterit etiam quod surrexit. Aut certè si, quod ait Scriptura, suas in vias unusquisque redeat, & quam videbatur deposuisse pravam consuetudinem, hanc resumat, ibidemque semper sui similis in suo vivat genio, quis illum resurrexisse cum Christo dicat:

Esto sit confessus, & ritè etiam communicarit, ac viventem Christum susceperit, nec ausit hodie, quod post biduum aut triduum liberè & impunè audebit; non dicerem tamen illum cum Christo, neque Christum in ipso verè, ut dici debet, surrexisse; nam cum Christo resurgere, non est simpliciter resurgere, sed quomodo Christus surrexit ad immortalem & novam vitam, sic in novitate vitæ ambulare, hoc est cum Christo resurgere, nec aliter; aut nos fallit Apostolus. Non est autem in novitate vitæ ambulare, si per triduum aut quatriduum te à solito vivendi genere temperes, quasi hoc tuæ tantùm vitæ is mereatur, qui totam suam vitam tibi libens impertiit: Sed quod vitæ est reliquum ita velle modo renovare, sicut novæ Christus exemplar vitæ nobis est factus, ut in ea, quam modò tibi proponis, vitæ integritate, sic semper velis vivere. Hæc est vitæ novitas & non alia, quæ te Christo resurgenti conformet.

Dixi etiam, quod non leviter dictum putes, nec ipsum Christum Dominum posse aliter in te verè dici resurgens; Quod tametsi videatur idem esse ac te cum Christo resurgere, potest tamen seorsim considerari, atque ex uno probari aliud. Ratio autem, cur id propriè non possit de Christo dici, hæc est; quod propriè non dicitur Christus *resurgens à mortuis*, nisi simul dicatur, *Iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Hoc autem postremum in te non diceretur de Christo, nisi talem vitæ constituas novitatem quam, divina faveate gratia, perpetuare velis in annos consequentes. Nam defectu hujus constantissimæ voluntatis, citò deficies, citò peccabis, & peccato tuo mortem inferes Christo, Christus in te tam verè per peccatum morietur, quam verè in te vivebat ante peccatum. Jamne verò poteritne dici, quod dicendum erat, ut resurrexisse diceretur, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur? O peccatum, ô Christicidium!

Sic præclarè sanctus Bernardus, *Si post consummationem Crucis in hac nostra mortalitate Christus revixisset, Ego cum non transisse dicerem sed rediisse.* Alludit ad voces Paschæ & Galilææ, quæ significant transitum & transmigrationem, & perinde est ac si diceret: si Christus resurrexisset mortalis, non ego eum dicerem resurrexisse, quo Scripturæ modo significabant eum resurrecturum, quia significabant sic à morte surrecturum, ut jam ultra non moreretur. Quod autem primò dicitur de illius corporali resurrectione, idem dici deinde debet de spirituali, qua in nobis resurgit: ac proinde pari modo sive in suo corpore, sive in tuo pectore dici non potest resurrexisse, nisi resurgat immortalis, sive jam non moriturus, quantùm quidem cum gratia per te stabit. Hoc est quod omnino deliberes, quod planè statuas, & sanctè firmiterq; concludas.

Rom. 6.

Serm. 1. de Resurr.

Et certè, quæ duo plurimùm valent ad concitandos nostros animos, summum bonum, aut summum malum, hæc ambo simul concurrunt, ad illam firmam statuendam voluntatem. Quid enim melius, quid optabilius, quàm nos in Christo, vel in nobis Christum resurgere? Quid detestandum magis, quàm si quidem Christum viventem recipias, pòst illi verò mortem inferre ausis! Tu Christo mortem! perpende verba, rem metire: para responsum interrogranti Deo, quod olim
Gen. 4. à fratricida Caino: UBI EST ABEL FRATER TUUS? Dic peccator, eloquere, ubi est Christus tuus? Quid dices? Quid respondebis? *Num custos fratris mei sum?* sic revera custos eras fratris tui, sic tibi datur hodie custodiendus, ut vita ejus in manu tua sit. O bonitatem Creatoris! ô malitiam creaturæ! en humanam Creator assumit vitam, quam pro creatura profundat, & aliam insuper induit Sacramentalem, quam illi ipsi creaturæ totam communicet & bona fide credat: Quid vero creatura? Quid vero peccatrix anima? Quasi parum illi esset, quod jam humana sui Redemptoris vita sit effusa, illam etiam Sacramentalem vitam ipsa ipsa, sua sponte, peccatrix anima illam etiam Sacramentalem vitam de medio cordis sui tollit! Illum Dei conculcat Filium, quem pavent Angeli & Sanguinem testamenti pollutum ducit, tot repetitis vicibus, tot renovatis mortibus quot peccata perpetrare placet! Quamobrem verò placet, & quibus tyrannis, quibus tormentis ad tale scelus agitatur? Sola voluptate, sola licentia vitæ liberioris, solo sui amore mota, quo animalem suam vitam divinæ præfert; & mavult in se Christum mori, quam se cum Christo vivere! Potestne sceleratius aliquid in humanis cogitari? Potest certè peccatum unum majus & gravius esse alio: sed non potest aliud esse quodvis malum, malo peccati gravius.

Urgeri debet hic affectus quàm vehementer poterit: Et propterea, Vide Sabbato & Dominica præcedenti, verba sancti Bernardi, quibus adde, quæ opportunè admodum ex eodem sermone sequuntur. *Quid nos dicimus, qui sacram Domini resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quam in transitum? luximus his diebus, compunctioni & orationi, gravitati & abstinentiæ dediti: cæterorum negligentias temporum, sacro hoc quadragenario redimere & diluere cupientes. Communicamus passionibus Christi: complantati ei denno sumus per baptismum quendam lacrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo? Si negligentias planximus, quid causæ est, ut recidamus nunc in easdem? Inveniemur nunc iterum curiosi ut antè, verbosi ut antè, pigri & negligentes ut antè: vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque implicati vitiis, quæ tam anxiè deploravimus his diebus? Lavi pedes meos: quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam: quomodo induam eam? Non est transmigratio hæc fratres: non sic videbitur Christus, non hoc iter quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retro respicit, indignus est regno Dei.*

Sic amatores sæculi, inimici crucis Christi, cujus in vanum accepto nomine dicuntur Christiani: toto hoc tempore quadragesimali ad instantes inhiant dies resurrectionis: heu, ut liberius indulgeant voluptati. Obnubilat, fratres, solemnitatis lætitiam materia tristior, sed ipsius plangimus solemnitatis injuriam, quam dissimulare non possumus, nec in ipsa, imò minus in ipsa. Proh dolor, peccandi tempus, terminus recidendi, facta est resurrectio Salvatoris! Ex hoc nempe commessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentiis frena: quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter justificationem nostram! Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis? venturo parastis hospitium, confitentes peccata cum gemitu; castigantes corpora, eleemosynas impendentes; & ecce, susceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio esse potest luci ad tenebras, Christi cum superbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præsenti debetur quam venturo? Quid minus reverentiæ, resurrectionis tempus exigit quam passionis? Sed vos, ut manifestum est, neutrum honoratis. Nam si compateremini & conregnaretis: si commoreremini & consurgeretis. Nunc autem ex sola consuetudine temporis & simulatione quadam, humiliatio illa processit, quam non sequitur exultatio spiritualis. Propter hoc, ut ait Apostolus; multi in- 1. Cor. 11.
firmi & imbecilles, & dormiunt multi. Propter hoc crebrà in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. Quid enim? deprehensi estis inter angustias, prævaricatores, non qui

prava,

prævaricati estis, sed qui persistitis in peccato, addentes prævaricationem aut penitus impœnitentes, aut tepide pœnitentes: nec pericula fugientes, vel post miseram experientiam, incëtiva peccati.

Si prælibari posset aut prælegi tota sequens hebdomada, consulcum foret, ad pleniorem hujus Veritatis intelligentiam; Cui & deservire potest illa quæ habetur in 4. parte, Dominica 15.

Sicut à peccato, sic à peccati reliquiis resurgendum.

HAC HEBDOMADE, dotes corporis, seu vitæ gloriosæ Christi, atque animæ nostræ simul cum eo resurgentis qualitates proponuntur; indeque veritates practicæ, paradoxæque omnes eruuntur.

FERIA SECVNDA.

DE IMMORTALITATE GLORIOSÆ Vitæ Christi.

Atque Animæ cum eo Resurgentis.

Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, Mors illi ultrà non dominabitur. Rom. 6.

VERITAS PRACTICA.

In Morte Immortalitas.

Sensus est, quòd, quamdiu illa, quæ simul cum Christo mortua est & resurrexit Anima, in morte vitæ sensualis permanebit, permanebit etiam in quadam immortalitate morali, quam participat ex Gratia Domini resurgëtis.

Ratio est, quia illa immortalitas consistit in Sanctificatione animæ, quæ est peccati gravioris exclusio.

Sed quamdiu anima permanebit in morte vitæ sensualis, excludetur peccatum, & remanebit semper sanctificata.

Ergo & simul Immortalis erit, illa morali immortalitate, quam à Christo resurgente participat. Atque ita in morte immortalitas, & vitæ beatæ quædam similitudo, pro qua mors illa millies appetenda esset.

I. PUNCTUM.

QUandoquidem. Mysteria seu Apparitiones Christi Domini resurgentis reservantur in totum Paschale tempus, nihil aptius & convenientius huic triumphãti hebdomadæ cõsiderari posse videtur, quàm representatio gloriosæ vitæ, seu quæ in Christo Domino fuit, seu quæ est in unoquoque nostrum, qui verè cum eo resurrexit.

Prima autem qualitas hujus gloriosæ vitæ est IMMORTALITAS seu immutabilitas status, quæ talis erat in Christo Domino, ut anima non posset separari à corpore sicut poterat ante mortem & resurrectionem; *Mors illi ultra non dominabitur; ABSORPTA est mors in victoria,* inquit Apostolus. Congaude illi, contemplare sacrum illud Corpus, admirare gloriosam illam vitam quam degebat in terris; exopta ut omnes illum agnoscant, diligant, venerentur. *Regi sæculorum immortali honor & gloria in sæcula sæculorum.* Dignus es, *Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem.*

Rom. 6. *1. Cor. 15.* *1. Tim. 1.* *Apoc. 4.*

Ex hac autem immortalitate Christi, emanat quædam immortalitas animæ, quæ dicitur moralis, ut discernatur à naturali & supernaturali. Naturalis illa est qua, moriente corpore, nunquam moritur anima, quocunque sit in statu post mortem. Supernaturalis & beata dicitur, quando anima fruitur æterna Beatitudine. Moralis denique, quando non moritur anima morte illa exitiosa peccati: sed

Pſ.83. ſemper ſancta, ſemper Deo placens, & accepta, *de virtute in virtutem quotidie proficit, donec videat Deum Deorum in Sion.*

Hanc immortalitatem ſicut & alias qualitates vitæ glorioſæ dicitur communicare Chriſtus Animæ ſecum reſurgenti, quatenus reipſa gratiam confert hoc tempore, quâ fortiùs anima roboretur contra peccatum, ſive id in honorem ſuæ reſurrectionis præſtet, ſive id precibus Eccleſiæ donet, quæ multæ in eum finem his diebus diriguntur, ſive in compenſationem laborum quadrageſimæ, ſive quia verno accedente tempore, humores corporis & paſſiones animæ magis commoventur, & ideo plus gratiæ deſideretur; ſive ob aliam denique cauſam, id certò experiuntur Fideles quique, ſe longè robuſtiores quàm Iac.1. anteà contra peccatum illud, *quod generat mortem*, unde immortalitas illa moralis ſequitur, ſi modo fideliter illi gratiæ cooperentur. Quid ſit verò fideliter illi gratiæ cooperari patet ex veritate propoſita. *In morte Immortalitas*, nempe ſi in morte vitæ ſenſualis conſtanter perduremus: Cum enim, ut dictum eſt, immortalitas hæc conſiſtat in excluſione peccati mortalis, certè quantò anima longiùs ab eo refugiet, aut ejus admittendi minùs erit idonea, tantò dicetur fideliùs gratiæ cooperari, quâ peccato reſiſtitur; Unde eſt egregium illud Sapientis monitum, Eccl.10. licet ſubobſcurum: *Si ſpiritus poteſtatem habentis*, vel ut habet Chaldæa, *Si ſpiritus concupiſcentiæ malæ aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.* Id eſt, ſi forte aliquando vehementius ſolliciteris in peccatum contrà ac velles; Ne propterea perturberis, tantum ſta firmiter & fideliter in bono propoſito non peccandi: & quæcunque tandem occurrant committenda peccata, nullum prorſus committetur, ſed ceſſabunt & evitabuntur omnia per divinam gratiam, & hanc fidelem curam.

Pſ.96. Sic ad illa Pſalmi verba: *qui diligitis Dominum, odite malum*: aptè ſanctus Auguſtinus: *Hinc apparet te diligere quod bonum eſt, ſi inventus fueris odiſſe quod malum eſt.* O peccatum quod occidit Chriſtum meum, quis te non oderit, quis te non abhorreat! Et tamen, quot quantique peccatores! undenam hoc? quia peccatum ſcilicet ſe odiſſe putant, & Iſ. 58. rem peccati diligunt. Adverte, *ad diſſolvenda omnes colligationes impietatis.*

II. PUNCTUM.

Sed quamdiu anima permanebit in morte illæ vitæ ſenſualis, longè aptior & paratior erit ad excludendum omne peccatum.

Quid eſt enim mors illa vitæ ſenſualis niſi refrænatio concupiſcentiæ, unde eſt omne peccatum? Sicut enim malorum omnium 1.Tim.6. atque adeo mortalitatis animæ, de qua hìc agitur, radix eſt cupiditas non refrænata; ſic etiam ejus Refrænatio poteſt dici bonorum omnium atque adeo immortalitatis animæ radix: ſic enim ait Deo Sapiens: *Noſſe te conſummata Iuſtitia eſt: & ſcire juſtitiam & virtutem tuam*, RADIX EST IMMORTALITATIS. Sap.15.

Non poteſt quidem ira refrænari concupiſcentia, quin aliquæ veniales culpæ, ſive ex fragilitate, ſive ex inadvertentia committantur, ſed non inde procedit peccatum ad mortem ſicut ab iis venialibus quæ fiunt ex libidine, ſive ex appetitu indomito. Tanta eſt differentia utriuſque ſtatus peccantium, ut qui non ex libidine ſeu immortificatione, ſed ex inadvertentia tantùm peccant, peccare non dicantur. *Et ſcitis*, inquit dilectus Diſcipulus, *quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*; Id eſt, adeo leviter & venialiter peccat ut præ aliis peccare non videatur, neque ex illis levibus culpis tale ſit periculum in mortales incidere ſicut ex aliis. Quem eundem in ſenſum dixit Apoſtolus, *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me, à lege peccati & mortis.* O qualis libertas! qualis liberator! qualis in eum animæ liberatæ ſenſus! 1.Ioan.3. Rom.6.

III. PUNCTUM.

Patet igitur evidenter, quàm verè ſit poſita in morte Immortalitas. Cùm hæc immortalitas ſit in excluſione peccati, & hæc peccati excluſio ſit in morte vitæ ſenſualis: Ac proinde etiam patet quantopere ſit incumbendū, ut quod ait S. Auguſtinus, *relaxatione corporis puritas non obſuſcetur, ſed potius abſtinentes ab* Serm.1.in octa.Baſ.

omni

omni luxu, ebrietate, lascivia, demùm operam sobriæ remissioni ac sanctæ sinceritati, ut quidquid modò, corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus.

Totus est in eo Apostolus: ut sicut Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, ita & nos immortalitatem ejus participantes, conemur eam omni modo conservare, conservantes nos diligentissimè in morte vitæ sensualis, à qua est omne peccatum. Audi enim ut aptissimè ad rem nostram! sed ita audi, ut rem attingas: *Quod enim mortuum est peccato,* inquit, *mortuum est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tamquam EX MORTVIS VIVENTES, & membra vestra, arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur;* Et post pauca: *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*: Quasi dicat, ut ait Origenes, *Currebant prius pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserandum. Et uniuscujusque membri ministerium quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus, & actum quem exhibuit immunditia, ad castitatem nunc sanctitatemque convertat.*

Rom. 6.

Ad Evangelium Feriæ, de duobus Peregrinis euntibus in Castellum Emmaus, Luc. 24.

Tota de his est hebdomada secunda post Octavam Paschæ.

FERIA TERTIA.

DE IMPASSIBILITATE CORPORIS Christi Domini, Et animæ nostræ, simul cum eo resurgentis.

Seminatur in Corruptione, surget in Incorruptione, 1. Cor. 15.

VERITAS PRACTICA.

In patientia Impassibilitas.

Sensus & Ratio est, quia impassibilitas animæ resurgentis, est ejus incorruptio.
Sed animæ incorruptio est in patientia.
Ergo & in patientia impassibilitas, quæ quanti est pretii, tam pretiosa debet esse patientia.

I. PUNCTUM.

AD immortalitatem corporis glorioſi hoc addit IMPASSIBILITAS, ut non tantùm à morte corpus ſit liberum, ſed etiam à vulnere, à morbo, & ab omni prorſus invaletudinis ſpecie, adeò ut perpetuo, conſtantique utatur valetudinis commodo. Tale igitur erat corpus glorioſiſſimum Chriſti Domini reſurgentis, qui proinde in Pſalmo dicebat: *Ego dormivi & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me; non timebo millia populi circumdantis me.* Vocat mortẽ ſuam, ſomnum, inquit Bellarminus; quia tam facile illi erat, reſurgere à mortuis, quàm aliis evigilare à ſomno. Quòd dicit verò ſe reſurrexiſſe, quia Dominus ſuſcepit ipſum, perinde eſt ac ſi diceret, non id humano fretum auxilio effeciſſe, ſed innixum potentia infinita divinitatis, qua & ipſum corpus ſuſcitatum, illæſum deinceps redderet, ab omni prorſus offenſione. Sicut enim in ſanctiſſimo Sacramento, licet in mille partes rumpatur hoſtia, nulla unquam tamen fiet corporis læſio; ſic prorſus in corpore reſuſcitato ad gloriam. O quàm jure debebatur tali corpori, quod extrema

Pſ. 3.

omnia perpessum fuerat, talis impassibilitas, ut jam nullo modo pati posset!

1. Ioan. 3. 1. Cor. 15. Sic nos aliquando resurgemus, *sic similes ei erimus. Unusquisque in ordine suo*; ô quando illa lucescet dies? Interea verò nunc quandoquidem, animâ, cum illo resurgimus, hanc etiam *impassibilitatem*, quodammodo participamus. Sed mirum quòd *in patientia sit illa impassibilitas*. Ita tamen omnino est, & hac ratione demonstratur.

Impassibilitas animæ resurgentis est ejus incorruptio, quæ duo denotat valde consideranda, ut discernatur à falsa & simulata Stoicorum apathia seu corporis insensibilitate & animi luctantis in adversis. Primum est negativum, non quo anima nihil sentiat, aut quo non tristetur vel lætetur: sed quo in omnibus sive prosperis sive adversis, sic se cum Dei gratia contineat, ut nullo pravo corrumpatur affectu. 2. Mor. 16. *Non est pondus vera virtutis*, inquit sanctus Gregorius, *insensibilitas cordis, quia & valde insana per stuporem membra sunt, quæ & incisa sentire dolorem nequaquam possunt*. Sic sanctus Augustinus explicans illud, quod de Christo Domino dicitur, *turbavit seipsum: PEREANT*, inquit, *argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Turbetur planè animus Christianus non miseria, sed misericordia: timeat, ne sibi pereat & Christo: contristetur peregrinari se à Christo: concupiscat regnare cum Christo: lætetur dum sperat se regnaturum esse cum Christo*. Addi verò debet, quòd licet etjam turbaretur miseria aut aliquo motu humano & naturali, tendente in objectum non ita honestum & licitum, quale est illud quod commemoratum est, non propterea corrumperetur animus si non consentiret & obediret illi motui. *Nunc quamdiu*, inquit idem sanctus Augustinus, *concupiscit caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; sat est nobis non consentire malis quæ sentimus in nobis*.

Ioan. 11. Tract. 60. in Ioan. L. de Contin. c. 16

Aliud autem positivum, quo incorruptio quæ nostram impassibilitatem facit, à profanis distinguitur, in bono fide & erecta in Deum intentione positum est. Satis erat Stoico se continere, ut sibi vel mundo placeret in illa sua continentia, & fastum unum alio calcabat, ut Diogeni Plato exprobravit, fastu. At Christianus nec sibi nec mundo vivit aut moritur, sed suo Christo, *Propter te*, inquit, *mortificamur totâ die*. Hæc est *Incorruptio quæ facit esse proximum Deo*. Hæc est *Incorruptibilitas quieti & modesti Spiritus, qui est ante conspectum Dei locuples*. Hoc est *aurum ignitum, probatum, quod suaderis emere, ut locuples fias*. Nonne te sines persuaderi?

Ps. 43. Sap. 6. 1. Pet. 3. Apoc. 3.

II. PUNCTUM.

Sed hæc animæ incorruptio est in Patientia.

Primò quidem quantum ad illud negativum, quo anima non consentit pravis suis motibus, totum hoc Patientiæ ràm certò referri potest quàm certum est, quod habet Tertullianus de impatientia, *cui omne peccatum esse adscribendum sic docet; Malum, impatientia est boni; nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis*. Sic prorsus ad patientiam refert sanctus Cyprianus, quòd omnes illi vitiosi motus, quibus anima potest corrumpi, reprimantur; *Ipsa est*, inquit, *quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ libidinis impetum frangit, timoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit*, & quæ plura prosequitur, quæ uno verbo expressit Dominus, dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. O dives & tuta possessio.

Lib. de pat. Lib. de bono pac. Luc. 21.

Deinde verò quoad aliud positivum, incorruptioni Christianæ proprium, ut divina spectet non humana, ut æternis moveatur non temporalibus; quis nescit eò tendere tam rectà & directè Patientiam de qua hîc agitur, quàm ipse Deus se unum quærit & spectat? Nam præter naturalem & acquisitam patientiam, alia est supernaturalis infusa, quæ dos quædam est animæ resurgentis, donum & compensatio fidelitatis, quam suis contra se certaminibus exhibuit; unde illud Christi Domini: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, Id est, tam firmum & constantem, ut nulla vi adversa corrumpatur, tam erectum & sublimem, ut uni deo serviat. Hæc est *Charitas patiens*, hæc patientia dilectrix Dei & proximi, quæ tam divina est, ut & Dei dicatur, & Deus illius esse: *Deus*, inquit, *patientiæ & solatii, det vobis idipsum sapere in alterutrum*. Et rursum; *Dominus autem dirigat corda vestra, in charitate Dei & patientia Christi*. Hæc est denique *patientia, quæ opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*. Tunc ex illis es?

Apoc. 3. Rom. 15. 2. Thess. 3. Iac. 1.

III. PUN-

III. PUNCTUM.

Sic ergo est in patientia impassibilitas, quantum quidem impassibilitas animæ potest esse in corpore; nam & eam pati oportet necesse est, *quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam*: sed si patienter patiatur, non corrumpetur anima, licet aggravetur, & incorrupta manente anima, fit illa mentis impassibilitas, quæ tam pretiosa est, ut ab Apostolo *Thesaurus* nominetur, & quanta in se suisque esset, sic luculentè describit; *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus.* Et paulò post: *Ut in nullo detrimentum patiamini.*

Sap. 9.

2. Cor. 6.

Hoc est esse incorruptum & impassibilem, sic esse illæsum & invulnerabilem in mediis hostibus, non ut minimè patiaris, sed libenter: non ut minimè sentias mala pœnæ vel culpæ, sed ut illa patienter feras, & hæc religiosè fugias. Hæc est vera Philosophia, quæ nec insensibilem in malis reddit, neque minis sensibilem. Sic præclarè S. Gregorius de constanti Jobo; *Quia*, inquit, *vera Philosophia regulam tenuit, contra utraque, mira se æquitatis arte servavit, ut nec quasi dolorem non sentiens flagella spernere: nec rursum, ultra modum, dolorem sentiens, contra judicium flagellantis insaniret. Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis surrexit, scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit. Quod vestimenta scidit, quod tonso capite in terram corruit, monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit: Quod verò additur, adoravit, apertè ostenditur, quia in dolore positus contra flagellantis judicium non excessit. Non omnino ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret: nec rursum omnino motus est, ne nimis dolendo peccaret.*

5. Mor. 17.

Tu quidem satis esse velles impassibilis, nihil patiendo, nihil sentiendo: sed erras toto cœlo, nam non est impassibilitas, nolle pati, sed potius velle. Nemo magis aut minus est passibilis, quàm qui magis aut minus velit pati. Sic velis pati libenter, ut patiendo non pecces, & impassibilis ac beatus existes. Sic egregiè Salvianus; *Nulli ut opinor beatiores sunt, quàm qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, paupertate delectantur: inhonorati sunt, honorem respuunt. Itaque quidquid acciderit iis qui verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera, nulli lætiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt.* Nonne id ita judicas? cur ergo non ita gaudes in asperis?

L. 1. de vero Iud. & Prov. Dei.

Ad Evangelium Feriæ, de Discipulis congregatis in cœnaculo, quibus apparuit Christus, januis clausis, Luc. 24.

Habetur ejus consideratio Feria 2. hebdomadæ 3. post Pascha.

Videri etiam debet Dominica prima quæ in Albis dicitur.

Ac denique Christo ingredienti domum januis clausis, opportuna esse possent, quæ proponuntur proximè sequenti Feria.

FERIA QVARTA.

DE SUBTILITATE CORPORIS Christi,

Et animæ nostræ simul cum eo resurgentis.

Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, 1. Cor. 15.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

In infirmitate virtus: In impotentia potentia.

Ratio eſt, quia ubi majus eſt divinum auxilium, ibi magis verè & propriè virtus eſt, & potentia ad agendum.

Sed in infirmitate & impotentia, ſi humiliter agnoſcantur, & Deo perfectè ſubjiciantur, majus eſt divinum auxilium.

Ergo & in infirmitate virtus, & in impotentia potentia. Quæ certè conſideratio multum valere debet ad rectum infirmitatis noſtræ uſum.

I. PUNCTUM.

HAc Subtilitatis dote potiſſimùm conoſcitur corpus reſurgens, eſſe ſpirituale; nam hoc eſt maximè proprium ſpiritibus, quales ſunt Angeli & animæ, penetrare omnia, nec ullis obſtaculis quantumcunque duris & opacis detineri. Tale igitur erat glorioſum corpus Chriſti Domini reſurgentis; Et hoc primum ſuæ gloriæ ſeu glorioſæ vitæ reſurgens, dedit argumentum, quod è clauſo ſignatoque ſepulchro prodiit, ſicut poſtea januis clauſis ſe medium inter ſuos diſcipulos ſtatuens; *Non per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis corporeæ qualitatem, impervia uſu clauſtra penetravit*, inquit S. Ambroſius. *L. 10. Comm. in Lucam.*

Adora hoc glorioſum corpus: ama in eo hanc ſpiritalem qualitatem; admirare quàm modicùm & quàm piè illa utatur, non penetrat totius orbis partes, ut poterat: non civitatum mœnia, non Judæorum domos; ſed ſuos duntaxat inviſit, & tanquam bonus paſtor diſperſos colligit. O penetra pectus meum amator cordis mei! quid foris ſtas? cur tamdiu pulſas? cur clamas, *aperi*, cùm ipſe poſſis obſtantia quæque reſerare? *Cant. 5.*

Sic porrò animæ noſtræ cum Chriſto reſurgentes, quoddam ſubtilitatis & fortitudinis heroicæ donum participant, quo difficilia quæque pervincere, & ita quodammodo penetrare ſint paratæ, nihil ut ſit tam durum & invium, quòd non aggrediantur & ſuperent. Unde illud generoſiſſimæ Magdalenæ, *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam*, ſic nonnullis libet contemplando dilatare: Etiam ſi fuerit apud Herodem, aut apud Pilatum; etiam ſi fuerit à militibus cuſtoditus; etiamſi ego infirmi ſim ſexus: etiamſi ſola, & loci longà ſit intercapedo: nil me temorabitur, nil me terrebit, nihil me detinebit. Et quod de Davide dicitur; *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis, & in urſis ſimiliter fecit, ſicut in agnis ovium*; Sic proportione quadam de illis qui hoc dono donati ſunt: Sunt autem ii omnes, qui verè cum Chriſto reſurrexerunt, & quotquot ſibi mortui, Chriſto ſoli vivunt. Cùm enim ipſi agnoſcant quàm ſint ex ſe infirmi & impotentes, hinc fit, ut quò id magis agnoſcunt, id verius dicatur quod modò conſiderandum proponitur: *In infirmitate virtus, & in impotentia potentia.* *Ioan. 20.* *Eccluſ. 35.*

Et ratio certè eſt evidens & perfacilis. Quis enim dubitet ubi majus eſt Dei virtus & potentia, ubi majus ſentitur divinum auxilium, tùm ibi etiam magis verè & propriè dici eſſe virtutem & potentiam, vel ad agendum, vel ad patiendum? Nam *ſi Deus pro nobis, quis contra nos? DOMINVS meus, auxiliator meus*, inquit Propheta, *ideo non ſum confuſus, ideo poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio quòd non confundar. Iuxta eſt qui juſtificat me, quis contradicet mihi? Stemus ſimul: Quis eſt adverſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me?* Denique quidquid ſe contra opponat, vel mundus univerſus, vel infernus totus, vel omnes ſimul junctæ creaturæ, quamdiu nobiſcum erit Dominus, ſemper illud erit verum, quod dilectus ait Diſcipulus; *Major eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Nonne hoc credis? *Rom. 8.* *Iſ. 50.* *1. Ioan. 4.*

II. PUNCTUM.

SEd in infirmitate & impotentia, ſi humiliter agnoſcantur & perfectè Deo ſubjiciantur, majus adeſt divinum auxilium, major Dei virtus & potentia.

Tres ſunt potiſſimæ rationes, ad quas aliæ referri poſſent, Prima petitur ab ipſa Dei bonitate & miſericordia, quæ quo egentiorem videt hominem, primò quidem illuſtrat & monet, ut ſe videat & agnoſcat, quàm ſit *pauper & nudus & miſer*; tùm ſi talem ſe agnoſcat, aut ſi ſaltem de ſe nihil præſumat & arroget, benignitatis ſuæ fontem aperit, & abyſſo *miſeriarum invocante miſericordiarum abyſſum, ubi abundaverat delictū, ibi ſuperabundat gratia.* *Apoc. 3.* *Pſ. 41.* *Rom. 5.*

Deinde

Deindè verò, quæ secunda est ratio, si miser ille sic præventus à Domino non modo non inde se efferat, sed magis se ac magis humiliet, paupertatis suæ semper memor, & infirmitatis prædicator assiduus, sibi totus diffidat, ut se totum in divinam projiciat bonitatem; tùm mirùm quantum hac delectatus confidentia Dominus, sperantium in se corda roborat, confortat animos, & ad omnia vires subministrat. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.* Tùm verò Dominus, *quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Hinc præclarè sanctus Augustinus: *Fortitudo nostra est infirmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confessio.* Tertiò denique majorem id spectat Dei gloriam, ut quo infirmiore utitur instrumento, & apertius cognoscatur Deus esse, qui facit quidquid est admirabile, & quàm sit admirabile quidquid facit. *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo,* dicebat pusillus David Giganti: *Ego autem venio ad te, in nomine Domini, & dabit te Dominus in manu mea, ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israël, & noverit universa Ecclesia hac, quia nec in gladio nec in hasta salvat Dominus.* Sic humilis & generosa Judith; *Erit hoc memoriale nominis tui cùm manus fœminæ dejecerit eum. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

Sic ipse Dominus infirmitatem carnis nostræ assumpsit, ut gloriosius in ea de Diabolo triumpharet: unde illa sunt præclara sancti Augustini: *Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit: fortitudo Christi fecit, ut, quod non erat, esset: infirmitas Christi fecit, ut, quod erat, non periret:* O quantùm debemus infirmitati! Quantum est scilicet redemptionis beneficiũ. Jam non miror, quàm multus sit, & quàm facundus Apostolus in hoc divino consilio deprædicando, quo ad majorem sui notitiam, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Sed, quod miror, est, adhuc superesse carnem, quæ contra ipsum vanè glorietur. *At maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Vide locum Prophetæ integrum. *Ier. 17.*

III. PUNCTUM.

Sic est igitur in infirmitate virtus, & in impotentia potentia, ut, quàm verum est ibi maximè divinum adesse auxilium, tam sic certum & indubitatum, illic omnem præcipuè reperiri virtutem & potentiam, quæ est unicuique necessaria ad perfectè simul agendum & patiendum suo in gradu & ordine. Quod præclarè configuratum in illis Machabæis, de quibus dicitur post imploratam divinam opem, *quòd convaluerunt animis, non solùm homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem & miserantem Dominum.* *2. Mac. 15.*

Nonne hoc ipsum est, quod Propheta commendabat, *Infirmus dicat, quia fortis ego sum:* Et quod dicebat Apostolus: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Nempe hoc didicerat à Domino dicente sibi, *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Atque illud reipsa expertus est, cum ut ipse scribit, *in mea prima defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis: liberavit me Dominus ab omni opere malo.* Videsne quod dicebatur, tanto majus adfuisse Christi auxilium, quanto magis humanum deerat? & quanto magis infirmus erat Apostolus tanto magis firmus fuit? *Ioël. 3. 2. Cor. 12. 2. Tim. 4.*

Hæc est differentia Gratiæ, quæ data est Angelis, & quæ nunc datur hominibus: Nam, ut ait sanctus Thomas, data est Angelis gratia secundùm uniuscujusque naturalem perfectionem: contra verò datur hominibus secundùm eorum infirmitatem & indigentiam, quia medicinalis est gratia, quam quisque majorem recipit, qui se magis infirmum novit & confitetur. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* OPTANDA *infirmitas*, inquit sanctus Bernardus, *quæ Christi virtute compensatur. Quis mihi dabit non solùm infirmari, sed & destitui ac deficere penitus à meipso? Domini virtutum virtute stabiliar,* *1. p. q. 62. a. 3.* *Ps. 6.* *Serm. 25. in Cant.*

nam virtus in infirmitate perficitur. Quæ non sic intelligenda sunt, quasi ultrò velimus esse infirmi, aut quasi ipsa infirmitas & impotentia naturalis sint ex se optandæ, *Dominus est, qui mortificat & vivificat, qui pauperem facit & ditat: humiliat & sublevat.* Nostrum verò est nostra infirmitate non tantum non infirmari nec desperare: sed eò magis confidere quo infirmiores sumus; cùm invocatus non desit Dominus qui nos confortet: aut si etjam non adesset sicut vellemus, velitque nos in nostra imbecillitate relinquere, neque tunc etiam dejiciamur, nec fortiores esse velimus quàm velit Deus. Satis enim fortes sumus si nostram infirmitatem libenter portamus: & suam impotentiam generosè ferre; magna potentia. Vide infrà Feria 3. hebdom. 4. & Feria 5. Pentecostes: Nec non in 3. parte, Feria 5. & 6. hebdomadæ decimæ.

3. Reg. 2.

Ad Evangelium Feriæ, de septem Discipulis piscantibus, &c. Joan. 21.

Vide Feriam 4. hebdomadæ 3. post Pascha. Tum in 1. parte, Sabbato hebdomadæ 2. post Epiphaniam.

FERIA QVINTA.

DE AGILITATE CORPORIS CHRISTI Domini,

Et animæ nostræ cum eo resurgentis.

Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. Sap. 7.

VERITAS PRACTICA.

In Tarditate Agilitas.

Sensus & ratio est, quia quæ hic intelligitur agilitas non est præcipitata voluntas, quæ in stadio curritur, sed matura & consulta diligentia, qua opportunè tenditur & pervenitur ad metam.

Sed illa matura & consulta diligentia non aliter quàm in tarditate peragitur.

Ergo in tarditate agilitas: Et quænam sit illa tarditas, diligenter attendendum.

I. PUNCTUM.

S. Aug. 22. Civit. c. 20. S. Bernard.

AGilitatis resuscitati & glorioſi corporis dotem non aliter sancti Patres nobis commodiùs repræsentant quàm dicendo posse illa beata corpora si velint, *cogitationum nostrarum sequi velocitatem.* Quid velocius cogitatione nostra, quæ in instanti Romam se transfert, ac eodem inde momento Jerosolymam, & quovis alio? Talis erat agilitas glorioſiſſimi corporis Christi Domini, qua se suis in momento, in ictu oculi sistebat videndum, & ex eorum oculis evanescens, mox se spectandum præbebat aliis. *Vox dilecti mei: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni.* Quibus sponsæ verbis non modò agilitas corporis Sponsi, dum in terris degeret, sed & ejus Spiritus, cùm in cœlum remeasset, ad nos velociſſimè visitandos exprimitur, simulque nostra declaratur quam ab eo participamus, ut quod jubet quantocyus exequamur. O veni Dilecte mi, aut trahe me ad te, ut possim currere in odorem unguentorum tuorum. Cant. 2.

Non est dubium quin animæ cum eo verè resuscitatę hanc participent suo modo dotem sicut & alias, nam ut ait S. Bernardus, *velociter currit sermo ejus, & velocem habere desiderat sequentem.* Sed quid ea sit velocitas spiritualis, & quomodo per tarditatem explicetur, nunc attentè considerandum. In Serm. de Obit.

Sic autem paucis declaratur, si dixeris agilitatem non esse præcipitationem & inconsultam pernicitatem animi, qua quis derepentè fertur quò tendit. Est enim hoc vitium contra quod læpè auditus Sapiens; *Ubi non est sapientia animæ, non est bonum, & qui festinus* Pr. 19.

est

est pedibus, offendet. Per scientiam autem animæ intelligit considerationem, quæ si omittatur in agendo, erit actio præceps & plena periculi: si verò adhibeatur, erit consulta & deliberata prudenter actio, unde sequitur, quòd agilitas in suo actu non potest melius exprimi, quàm si dicatur esse matura & consulta diligentia, qua opportunè tenditur & pervenitur ad metam aut terminum, quem sibi quisque proponit. *Sit timor Domini vobiscum*, inquit Rex Josaphat suis, *& cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas*: quasi diceret, nihil temerè & inconsulto Deo: nihil etiam negligenter agatur. Utrumque enim vitiosum est & iniquum, quod nunquam Deus probat: sic verò extrema temperentur, ut sit consulta diligentia. Nonne id æquum & rationabile? 2. Par. 19.

II. PUNCTUM.

SEd illa matura & consulta diligentia non aliter quàm in tarditate peragitur.

Sicut enim diligentiæ consideratio, sic considerationi tarditas & maturitas quædam necessaria est, de qua possunt intelligi hæc verba Job, *Qui fecit ventis pondus & aquas appendit in mensura.* Sic enim præclarè Divus Gregorius ad illa verba: *Dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graves reddit, non illa maturitate, qua dicitur, filii hominum, usquequò gravi corde? Aliud namque est, gravem esse per consilium, aliud per peccatum: aliud est, gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis.* Job. 28.

De consideratione verò, quàm sit omnibus opportuna negotiis, sic aptè & accommodatè S. Bernardus: *Quid tam ad omnia valens quàm qua ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo & præordinando, qua agenda sunt? Necessariò sanè, ne forte qua & prævisa & præmeditata poterant esse proficuò, præcipitata magis periculo fiant. Ea primum quidem, ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, purificat consideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Hæc est qua confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est qua agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est qua in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est.* Quæ & alia considerationi maximè propria, quis non videat aliter peragi minimè posse, quàm cùm aliqua diuturnitate temporis, quæ tarditas dici potest, quantum opponitur inconsultæ præcipitationi, & quantum requiritur, quod toties commendat Sapiens, *nihil sine consilio facias, & post factum non pœnitebit.* Nonne te sæpè pœnituit, inconsultum fuisse? O quàm sapienter dictum: *Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.* 1. de Consid. c. 7. Eccles. 32. Pr. 28.

III. PUNCTUM.

IN tarditate est igitur illa spiritualis agilitas, quam à Christo Domino participamus, cum ipsamet Sapientia, *qua omnibus mobilibus mobilior est, attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter.* Et quidem satis patet suavitatis esse, nihil præcipitare, nihil periclitari; sed vide etiam atque etiam, quàm verum sit non minus id esse fortitudinis, seu quia sic concitatus & præceps ad agendum animi impetus retardatur; seu quia negotium facilius & fœlicius conficitur, cùm singulas ejus conficiendi partes & circumstantias attentè prius revolveris. *Cùm enim*, ut ait Sapiens, *omni negotio sit tempus & opportunitas*; non minus sæpè negotium perdes, si tempus opportunum prævertis, quàm si non sequaris. Tutius semper est & securius, quod alius monet Sapiens, *Inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis*, id est, quo tempore non apertè liquebit, quàm possint agi omnia sapienter. Hoc denique postremum fuit, quod David moriens Salomoni filio commendaret: *Confortare, & esto vir, & observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut intelligas universa qua facis, & quocunque te verteris.* Hoc est esse virum & virum spiritualem, cùm ita custodiæ Domini observantur, ut simul atq; parent, pareatur. Neque aliter volant quantumcunque sint alati Seraphim, quàm ad cognitam Dei voluntatem. Manus hominis sub pennis aspicitur in illo mystico prophetæ curru, nihil ut fiat nisi consultum. Trahunt currum Eccles. 8. Eccles. 22. 3. Reg. 2. Is. 6. Ez. 1.

Bos seu Vitulus & Aquila, ut velocitatem aquilæ bos temperet, & tarditatem bovis aquila concitet. Volubiles denique rotæ sunt oculatæ & plenæ spiritu vitæ, sicque procedunt vel subsistunt ad motum quo moventur. Qui se aliter movet, & agitat, *velut si quis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Expende verba, *Periculum animæ, Periculum beatitudinis, periculum æternitatis.* Prov. 7.

Ad Evangelium Feriæ, de Maria Magdalena quærente Dominum in sepulchro. Joan. 20. Vide Feriam 3. hebdomadæ 1. post Pascha.

FERIA SEXTA.

DE CLARITATE GLORIOSI CORPORIS Christi Domini,

Et animæ nostræ cum eo resurgentis.

Seminatur in ignobilitate, surget in Gloria, 1. Cor. 15.

VERITAS PRACTICA.

In Tenebris Claritas.

Sensus & Ratio est, quòd claritas, quæ à Christo nobis communicatur, præsupponit multos & insignes fidei actus atque abnegationis proprii judicii.

Sed illi actus fidei, & abnegationis sunt tenebræ.

Ergo in tenebris claritas, quâ non modo sibi, sed & aliis lucent viri spirituales & perfecti.

I. PUNCTUM.

AD alias corporis glorioſi dotes accedit *claritas*, de qua ſpeciatim Apoſtolus: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. Non eſt autem dubium quin Chriſtus Dominus velut ſol & longè ſupra ſolem claruerit, cùm in ipſa ſua transfiguratione talem ſe ſpectandum dederit Diſcipulis ſuis, ſimulque cum eo viſi ſint Moyſes & Elias in majeſtate ſeu claritate. Luc. 9. Et quidem ſic ab ipſa nativitate ſemper ſplendere poterat, niſi ſplendorem illum continuiſſet, ut corpus ſuum redderet paſſibile & mortale; poſt mortem vero ac Reſurrectionem ratiò quidem, quòd ſciatur, hominibus glorioſus & reſplendens apparuit, ſed Angelis ac beatis illis animabus, quas ſecum comites & ſocias ſemper habebat, non niſi in hoc glorioſiſſimo & ſplendidiſſimo ſtatu videbatur.

O quam tum verè *ſpecioſus forma præ filiis hominum! QUAM gloriosus fuit hodie Rex Iſrael!* Quàm *dulcis vox tua: & facies tua quàm decora*, dilecte mi Jeſu! ô quando te in ea videbo gloria, quando illud fiet quod orasti patrem: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi!* Pſ. 44. 2. Reg. 6. Cant. 2. Joan. 17.

Interim verò ſicut ſe hic nobis communicat, ita & claritatem ſuam, quantùm in hac mortalitate capaces ſumus, non quidem corporibus noſtris, ſed animis, & illis præſertim qui *configurati morti ejus, hoc modo occurrunt ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis*, ut loquitur Apoſtolus. Verum, quod multa eget conſideratione; *Non niſi in tenebris eſt illa claritas.* Cùm enim ſit donum Dei eximium, præſupponit multos & inſignes fidei atque abnegati judicii actus. Sic inter alios paſſim, & fuſè S. Auguſtinus: *Priuſquam mens noſtra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valemus, quoniam veriſſimè dictum eſt per Prophetam: NISI CREDIDERITIS NON INTELLIGETIS.* Itemque alibi: *Dicis, quomodo creditur ſi non capitur? imò ideo bene creditur, quia non citò capitur: nam ſi citò caperetur non opus erat ut crederetur: ſed credendo fis idoneus ut capias, nam ſi non crediderit, nunquam capies, quia minus idoneus remanebis.* Et rurſum: *Tanto quiſque ſuaviùs aliquid proficiendo cognoſcit, quanto religioſius antequam* Phil. 3. 1. de agon. Chr. Tract. in Joan.

cognoſce-

contra adverſ. le-gis & Proph. In libro octo-gintatriũ quæſt.

cognoſceret, Deo credidit. Quod & planius explicans; *Credibilium*, inquit, *tria ſunt genera: alia ſunt quæ ſemper creduntur, & nunquam intelliguntur, ſicut hiſtoria temporalis: alia quæ mox ut creduntur, intelliguntur, ſicut omnes rationes humanæ: tertium, quæ primò creduntur, & poſtea intelliguntur, qualia ſunt ea quæ de divinis rebus non poſſunt intelligi niſi ab his, qui ſunt mundo corde, quod fit præceptis ſervatis quæ de bene vivendo accipiuntur.*

In quibus ſancti Patris verbis tria ſunt notanda. Primùm, quod dicit, *capere, cognoſcere, intelligere*, idem nobis eſſe debet ac claritatis donum habere, quandoquidem hoc præcipuè dono, veritates evangelicæ perfectiùs capiuntur, unde illuſtratur animus, vita, converſatio, & quidquid inde ad alios manat. Secundum eſt, cùm hujus intelligentiæ & claritatis plures ſint gradus & alii aliis longè perfectiores; ab uno ſemper fit progreſſus ad alium, & hos perfectioris intelligentiæ gradus ſic præcedit fides, ut quo præcedens fides fuerit inſignior in actibus ſuis, eò etiam donum intelligentiæ ſeu claritatis erit inſignius. Tertium denique obſervandum eſt, quod quantò magis per fidem abnegatur & ſubjicitur intellectus, eò major eſt fides: & quanto difficiliora creditu, firmius & abſque ulla hæſitatione creduntur, tanto etiam magis abnegatur intellectus, ut patet in Abrahamo cujus fides præcipuè commendatur, quod *contra ſpem in ſpem credidit, & in repromiſſione Dei non hæſitavit diffidentia*, ut ait Apoſtolus. Itane credis? Itane intellectum abnegas & in ſervitutem Chriſti redigis? *Viſio dura nuntiata eſt mihi*, ait Propheta: *qui incredulus eſt, infideliter agit.*

Rom. 4.

Iſ. 21.

II. PUNCTUM.

Sed illi actus fidei & abnegati intellectus non niſi in tenebris fiunt.

Id eſt, nec videntur ea quæ creduntur: nec videtur nec apparet humana ratio, cur ita ſint, ut creduntur. Imò ſæpe contrariæ & planè oppoſitæ ſeſe offerunt rationes, cur non ita ſit ut fides dicit. Iſta autem rationis humanæ oppoſitio, cæcitas quædam eſt mentis & meræ tenebræ ſunt, ſicut ſi lumine ſolis aut uſu oculorum privareris. Sic ne videret Abrahamus, quod ſibi dictum fuerat de futura prole, occurrebant rationes ab ætate centum annorum & à ſterilitate conjugis, quæ mîras in ejus animo creabant tenebras. Nec propterea minor erat ejus fides, imò & major ut dictum eſt, cum ſic eò magis intellectum captivaret & Deo loquenti ſubjiceret, quò minus videret in humano modo poſſibile & futurum quod credebat.

Sic planè nobiſcum agitur, quamdiu peregrinamur à Domino, ſic omnis noſtra eſt fides in tenebris, in obſcuritate mentis, *in captivitate intellectus, in ſpeculo & in ænigmate*, ut ait Apoſtolus: & quotquot de fide ſcribunt Patres ſic ſentiunt, *Habet*, inquit ſanctus Hilarius, *non tam veniam quam meritum, ignorare quod credas.* Et ſanctus Gregorius; *Divina operatio, ſi ratione comprehenditur non eſt admirabilis: nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Et idcirco tam rara eſt fides, quia nolunt pati tenebras ſine quibus nulla eſt fides quæ Deo placet. *O generatio incredula*, dicebat Chriſtus Dominus, *quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar?*

1. Cor. 13.

8. de Trinitate.

Hom. 26. in Evang.

Marci 9.

III. PUNCTUM.

Ergo in tenebris claritas; Quia claritas in fide eſt, & fides in tenebris, *Quaſi lucerna lucens in caliginoſo loco; donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris*, ut ait ſanctus Petrus. Et certè, ſi, ut vidimus, claritas in præmium detur, neque præmium à Deo conferatur niſi merito proportionato & convenienti cum ipſo præmio: quid convenientius lumini, in ratione oppoſitionis, quàm tenebræ? quid magis debitum tenebris, ſi tenebræ merentur aliquid, quam quod eis opponitur, lumen? ſicut enim repulſa gratiarum lumina non aptius & frequentius puniuntur, quàm damnoſis illis tenebris de quibus dicitur, *fiat via illorum tenebræ & lubricum*: ſic prorſus fideles & probatæ tenebræ non alio convenientiori modo compenſari poſſunt quam ſpirituali claritate & lumine, quo fit ut *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Hoc fortaſſe denotatum & expreſſum fuit in illis duobus Prophetis, qui reſplendentes apparuerunt in monte cum transfigurato Domino: nempe illi duo præ aliis cùm deſideraſſent ardentius videre faciem Dei, dum viverent: nec aliter tamen vidiſſent quam in latebra, in caligine & in tenebris: tum verò viderunt eum in tanta claritate, quanta nun-

2. Petr. 1.

Pſ. 34.

Pſ. 138.

Matth. 17

Exodi 33. 3. Reg. 19.

quam se aliis videndum præbuit : ut sic eorum tenebras aperto lumine compensaret.

O quantum falleris, curiose perscrutator divinæ providentiæ, cum causas quæris, cur res aliter atque aliter quàm putares aut velles, tibi eveniunt ? Si tu altiora quæsieris & plura nosse appetas, quàm permittat Deus, oppriméris à gloria, & in miserandam obtenebrésces cæcitatem : si verò divinas illas tenebras, quas inhabitare dicitur Deus, adoraveris, & in quolibet adverso casu libenter eas toleraris ; *tunc erumpet quasi mane lumen tuum, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies : & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.* Sic cum Propheta & Apostolo quique fideles profitentur, *quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu.*

Prov. 25. Ps. 17. Is. 58. 2. Cor. 4.

Salubris porrò est & his opportuna dictis admonitio ejusdem Apostoli: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate : Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.* Ephes. 5.

Vide Verbo *Fides* sparsim in singulis partibus : nominatim verò in 4. parte, Feria 2. 3. & 4. hebdomadæ vicesimæ ; ubi de bonis tenebris.

Ad Evangelium Feriæ, De nobilissima omnium apparitione Domini, facta in monte Galilææ. Matth. 28.

Vide Feriam 2. hebdomadæ 4. post Pascha.

SABBATO.

DE PLAGIS IN CORPORE CHRISTI Reservatis.

Ad perpetuam Memoriam.

Quid sunt Plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Zacch. 13.
Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Thren. 3.

VERITAS PRACTICA.

In oblivione memoria.

Sensus & Ratio est, quod Christi Redemptoris nostri memoria debet esse tam frequens & tam grata, quàm ipsum exigit redemptionis beneficium.

Sed talem memoriam hoc beneficium exigit, quæ sit in oblivione cæterarum mundi rerum, quibus occupari posset & impediri.

Ergo in oblivione memoria : sive à memoria Christi sequatur aliarum oblivio: seu potius ab illa oblivione perficiatur Christi memoria.

I. PUNCTUM.

Hebr. 2.

QUam verè Apostolus dixerit, *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum* ; & quam verè id præcipuè dici possit de plagis in ejus glorioso corpore reservatis, jam supra visum est. Nunc verò has sacratissimas plagas repræsenta tibi acriùs, & singulas intuere attentius ; adora, venerare, & inquire humiliter quamobrem eas sibi Dominus reservare voluerit. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ?*

Multæ quidem cogitari possent causæ, sed hæc in primis expendenda, quod sic indicare voluerit, quàm studiosè vellet perpetuam redemptionis nostræ memoriam à nobis recoli, cùm & ipse notas ejus indelebiles in omnem æternitatem spectandas conservaret. Dicamus ergo cum Propheta ; *Si oblitus fuero tui, Ierusalem !* si oblitus fuero tui, Calvaria ! si oblitus fuero tui, CHRISTE JESU, si tuæ crucis, si tui pectoris, si tui pretii, & meæ per te redemptionis: *oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio læ-*

Ps. 136.

pio lætitiæ meæ, in principio meditationis meæ, in principio conversationis meæ, in principio cunctæ actionis meæ.

Verùm ut frequentior & gratior esse possit talis memoria, sic necessaria est cæterarum rerum oblivio, ut in hac rerum oblivione, dici possit esse nostra Christi memoria: Et hanc quidem veritatem allata ratio ita probat, ut & illam rerum oblivionem simul persuadeat. Quid enim non persuadeat redemptionis nostræ beneficium in quo illa fundatur ratio? Quis verò non videat talem ei recolendo deberi memoriam, qualem potest à nobis suo exigere merito, & sua conficere gratia? Nam
Rom. 8. si *Pater proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum & cum illo donavit omnia*: si Filius ipse pro nobis effusus est sicut aqua, nihil prorsus reservans sanguinis: si de-
Tit 3. nique Spiritus sanctus abundè nobis est datus, ut possimus, quod debemus, si velimus; quis tam impius, qui nollet reddere quam tanto beneficio debet & potest memoriam? *Memoria memor ero, & tabescat in me anima*
Thren. 3. *mea*, Id est, totum me exhauriam, totum me dabo in illa memoria, quam debeo, conservanda. *Memento verbi.*

II. PUNCTUM.

Atqui hoc Beneficium talem memoriam exigit, quæ sit in oblivione cæterarum mundi rerum, quibus occupari & impediri posset.

Primò enim exigit, ut nobis & mundo mortui, sicut ipse Christus pro nobis mortuus, soli Deo vivamus; *ut qui vivunt*, in-
2. Cor. 5. quit, *jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*. Talis autem mors, nonne rerum omnium oblivionem inducit & includit? Deinde verò talem exigit memoriam, quæ sit ita frequens & grata, ut gratitudinem omnem Christo Redemptori testetur & proferat, quo ipsè loco & tempore, potis-
Num. 15. simùm velit à nobis proferri; *Mementote sermonis mei*. At nisi deponamus ex animo, cæterarum rerum memoriam, occurrent & occupabunt mentem, quo illo tempore, sui nos
Is. 17. meminisse vellet Christus: *Quia oblita es Dei Salvatoris tui*. Denique tam ardentem simul cum memoria voluntatem à nobis exigit, ut non modò ejus recordemur, sed affectu moveamur, in recordatione tantæ charitatis, quam exhibuit, nos redimendo, & quam continuat, redemptionis nostræ diversos effectus per singula vitæ momenta conferendo. *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua* Luc. 15. *sunt*. Nisi verò cætera obliviscamur, affectum nostrum sic dividens & secum rapient, ut vix ullus restet sensus recolendo & diligendo Christo. *Coangustatum est enim stratum, ita ut* Is. 28. *alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest.*

Ah Domine Jesu, quomodo possum tui oblivisci, qui mei dignaris sic continuò recordari? aut quomodo possum sic tui meminisse, ut cætera quæque obliviscar? Quomodo sic obliviscì omnium, ut tui solius meminerim?

Fili, *diligis me plus his*? Nolo aliam mei memoriam quàm quæ est ex vera dilectione. Qui verè diligit, sic dilecti meminit, nullis ut aliis rebus memoria retardetur. Cujus verò memoria nullis aliis rebus retardatur, quin dilecti meminerit, satis superque dicendus est aliorum oblivisci. Sic Scriptum de Levitis, *qui dixit patri suo & matri suæ: nescio vos; &* Deut. 33. *fratribus suis, & nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverùt*. Sic dictum sponsæ: *obliviscere populum* Ps. 44. *tuum, & domum patris tui*. Sic denique Apo- Phil. 3. stolus: *quæ retro sunt obliviscens*, quantum scilicet ei obviabant & eum impediebant, ne se ad priora extenderet. Nonne tu sic posses obliviscì?

III. PUNCTUM.

Sic ergo est in oblivione memoria, quam de Christo conservare debemus; ut si quid obstet, quò minus frequentissimè & studiosissimè de illo cogitemus & loquamur, totum illud planè abjiciamus, & perinde reputemus atque illa quæ oblivioni mandamus; Sicut de se ait Deus. *Oblivione obliviscar eorum*. Oseæ 1. Nullius rei memoriam potest Deus abjicere, dicitur tamen illa obliviscì, à quibus id retrahit, quod contulisset. Sic dicuntur ingrati obliviscì benefactorum, quando id non præstant quod gratitudo exigit, licet meminerint personæ & nominis, cui se debere fatentur; sic de his Sapiens; *Repromissorem fugit* Eccles. 19. *peccator & immundus*; *Bona Repromissoris sibi adscribit peccator, & ingratus sensu derelinquit liberantem se.*

Sicut itaque sufficiens erit rerum oblivio, si nul-

si nulla rès à recogitando sæpe & opportunè Christo te avocet, sic prorsus si quid impedit, si quid magis mentem tuam occupat quam Christus tuus ; tunc non rerum sed Christi obliviscaris. Alterutrius necessariò capienda est oblivio, vel rei, quæ memoriam Christi exturbat ; vel Christi, cujus memoria cedit illi objecto quod prævalet. Itaneverò Christi obliviscaris , & magis memores nescio quid, quod vel est malum vel bonum? si malum , qualem Christo facis injuriam , cui, quod est malum, anteponis? Quod si est bonum : à quo tandem est illud bonum , nisi à Christo? Quam verò reddis gratiam si beneficium Benefactori præfers? Ex omnibus vero datis bonis, seu collatis beneficiis , cùm illud sit excellentius, quo nos redemit suo Sanguine, velitque crebrius illud à nobis frequentari ; cedant cætera quantum necesse est , ne, quæ insignior est gratia, cedat aliis.

Ibid. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.* O quale donum! ô qualem exigit memoriam, si dono debet respondere memoria ! Estne aliquid animâ Christi pro te datâ melius & pretiosius? *Memento mei cùm bene tibi fuerit,* dicebat Joseph Concaptivo suo liberando , & in pristinum gradum revocando. Et tamen *succedentibus prosperis oblitus est Interpretis sui.* Nonne sic mundi prospera te à Christo avertunt? At saltem illum imitare Ægyptium , qui demum Josephi reminiscens, ait, *Confiteor peccatum meum.* Sic confitere nimiam ingratitudinem tuam ; & expaveſce ad id , quod de belluis scribit S. Ambrosius : *Illa impertitæ alimoniæ servant memoriam ; tu non servas salutis acceptæ.*

Gen. 49.

Ibid. 41.

L. 6. Hexam. c. 4.

Vide in 3. parte, Dominicam 13. de vera Gratitudine.

Ad Evangelium Feriæ, De Petro & Ioanne currentibus ad sepulchrum. Joan. 20.

De his agitur Feria 6. hebdomadæ 1. post Pascha.

DOMINICA IN ALBIS
QUÆ EST
PRIMA POST PASCHA.
DE IISDEM CHRISTI DOMINI Plagis.
Ad remedium Infirmitatum nostrarum Reservatis.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum ; & noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20.

VERITAS PRACTICA.

In Plagis sanitas.

Sensus est , quod præsentissimum cujuscunque tentationis & infirmitatis remedium, sit in Plagis Christi.

Ratio est, quia Remedium tentationis & cujuslibet infirmitatis spiritualis eò est efficacius, quò imaginationem & appetitum seu affectum nostrum cohibere suavius & fortius simul potest.

Sed talis est consideratio seu repræsentatio plagarum Christi.

Ergo & est remedium præsentissimum seu efficacissimum ; atque illius usurpandi facilitas est comparanda.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

QUÆ de apparitione Christi Domini facta coram Apostolis, præsente Thoma, ex hodierno Evangelio considerari possent, habentur infrà, Feriâ tertiâ Dominicæ tertiæ; quibus tantisper çonsideratis, referendæ sunt Christo gratiæ, quod præsentissimum malis nostris remedium providerit in plagis suis; Sic enim sapientissimè provisum est, ut ad eum tantò libentius & frequentius recurreremus, illiq; uniremur, quo periculosiùs tentatione vel perturbatione aliqua premeremur. O quàm providè dixerat, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos!* Quomodò verò id fiat, expende diligenter. *Matth. 11*

Ac primò quidem paucis, quid sit laborare, onerari, seu tentari & turbari. Deinde quam sit obnoxia vita humana miseriis & tentationibus; Tertiò vel in hoc maximè tentationis esse malum, quod per imaginationem & appetitum, voluntatem illiciat ad peccatum, nisi remedium quantocyus afferatur. Quartò denique quod expendas accuratius, illud remedium esse efficacius, quod imaginationem seu appetitum nostrum cohibere suaviùs ac fortiùs simul possit. Cum enim, ut dictum est, potissima vis tentationis in imaginatione & appetitu naturali consistat, illud certè remedium erit opportunius, quod tali malo directius opponetur & occurret. Et verò simul forte sit & suave remedium necesse est, nam cum imaginatio sit tenacissima specierum seu imaginum, quæ sunt instrumenta tentationis, sic fortiter avertenda est ab illis speciebus, ut tamen suaviter avertatur, nec ullo modo lædatur, ut contingit sæpius quãdo nimis constringitur. Rectè enim Sapiens, *Fili, in mansuetudine serva animam tuam.* Rursum idem; *Vir peritus anima sua suavis est* Atque ad hæc Apostoli verba: *castigo corpus meum & in servitutem redigo*, sic apte S. Chrysostomus, *Non dixit, perdo & punio, non enim inimica caro est, sed castigo & redigo in servitutem, quod Domini est non hostis magistri non inimici, Exercitatoris non adversarii. O SAPIENTIA quæ attingis à fine usque ad finem fortiter & disponis omnia suaviter*, veni ad docendum nos viam prudentiæ, & hanc divinam salutis scientiam! *Eccles. 10* *Ibid. 37.* *1. Cor. 9.* *Hom. 8.*

II. PUNCTUM.

SED talis est Consideratio plagarum Christi, ut fortiter & suaviter imaginationem avertat à nefandis speciebus.

Nihil est enim quod imaginatio concipiat facilius quam plagas seu vulnera, quæ quam sui reddunt imaginem & repræsentationem, eò reddunt faciliorem quò persona vulnerata, magis dilecta est, & quò vulnus est patentius & acerbius; quæ cum omnia reperiantur in Christo Domino, certè imaginatio minimè laborabit in eius imagine sibi formanda. *Aspicient ad me quem confixerunt.* Adde quòd gratia tùm opportune concurrit; nam si Dæmon in insidiis est, ut dum occurrit objectum aliquod, quo concupiscentia excitari possit, ipse *halitu suo prunas ardere faciat*, ut est in libro Job; quantò magis id sperandum de gratia seu bonitate Dei, qui expressè ait. *In tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adiuvi te?* *Zacch. 12.* *Iob. 41.* *Is. 49.* *2. Cor. 6.*

Hanc certè inter alias causam, cur Deus humanam carnem assumpserit, reddunt Sancti Patres: ut sic facilius conciperetur animo Deus & aliqua ejus imago formaretur, cùm alioquin si semper invisibilis & incorporeus permansisset, vix de illo cogitare homines potuissent. *Cogitationi hominis non est divinum simile.* Fuit itaq; humanitas Christi velut nubes obumbrans Divinitatis solem, quo sol ille commodius cerneretur, *Dominus dixit ut inhabitaret in nebula*; Fuit velut plumbum quod crystallo speculari subjicitur, ut speculum reddat imaginem, quam alioquin non posset reddere: *Speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* *S. Ber. ser. 20. in Cãt* *Idem in Nativit. B. Virg.* *Act. 17.* *3. Reg. 8.* *Sap. 7.*

Cùm verò etiam plagarum species ad ipsam humanam Christi carnem aliquid addat, quod facilius concipi possit, quis non videt, quod talis sit earum consideratio seu repræsentatio, qualis desideratur ad remedium cohibendæ imaginationis & appetitus naturalis: ut quod ait sanctus Bernardus, *carnis exturbet vitia, fugat illecebras, desideria sedet.* Sicut enim clavus clavo pellitur, ita plane imago seu imaginatio perversa depellitur, alia succurrente & animum occupante. Et sicut aspectu serpentis æneï, quem Moyses idcirco jubente Domino exaltavit, sanabantur illi, qui à serpentibus igneis correpti fuerant, *Serm. 20. in Cant.* *Num. 21.*

sic planè speranda est salus salutari ejus aspectu, qui dixit, *sicut exaltavit Moyses serpentem* Joan. 3. *ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam* Marci 9. *æternam. CREDO Domine adiuva incredulitatem meam.*

III. PUNCTUM.

IN *plagis ergo sanitas*, in quibus concurrunt ea omnia, quæ ad infirmitatum quarumlibet spiritualium remedia, non minus suavia quam efficacia valere possunt. *Quia ipse capit, & sanabit nos.* Sic Sancti Patres, quos inter S. Oseæ 6. Augustinus, *In omnibus rebus non inveni tam* In Man. *efficax remedium quàm vulnera Christi: in illis* c. 32. *dormio securus, & reviviſco intrepidus.* Sanctus item Ambrosius: *vulnus est quod Christus excepit, sed unguentum est quod effudit.* Sanctus Cant. 2. quoque Bernardus ad hæc Canticorum verba: Serm. 61. *Surge amica mea & veni columba mea in foraminibus petræ: ET revera,* inquit, *ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies nisi in vulneribus Salvatoris? Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur: non cado, firmatus enim sum supra firmam petram. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. Foderunt manus eius & pedes, latusque lancea foraverunt, & per has ruinas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*

His adjunge divinum authorem libri de Imitatione Christi. *Requiesce in passione Chri-* L. 2. c. 1. *sti, & in Sacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera & pretiosa stigmata Iesu devotè confugis, magnam in tribulatione consolationem senties, nec multum curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia pres-* 1. Cor. *fers. Si semel perfectè introisses in interiora Iesu, & modicum de ardenti amore ejus sapuisses, tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes, quia amor Iesu facit hominem seipsum contemnere.* O quàm pauci amant Iesum, cùm pauci seipsos contemnant.

DE IISDEM RVRSVS PLAGIS.

AD HÆC PROPHETÆ VERBA.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Is. 12.

ID EST, de quinque Christi plagis, quæ sunt veluti quinque fontes, qui è terrestri paradyso quondam erumpebant, *in universam terra faciem*; Erant enim quatuor me- Gen. 2. morata in Genesi flumina, *& fons ascendens e terra*, ut ibidem describitur.

Non est autem dubium, quin S. Thomas Apostolus attactu plagarum Domini, mysticas illas hauserit aquas in gaudio de sacris fontibus Salvatoris: Sed cùm simul etiam de peccato suo perfectè contritus fuerit, mirum forte videri posset, quomodo tantus dolor, qualis est eius qui perfectè contritus est, convenire possit cum tali gaudio, quod ex illis hauſtis aquis percipitur.

Verùm tam præclarè simul conveniunt duo illi affectus gaudii & doloris, ut quo est dolor vehementior, eò sit majus gaudium. Atque ut provocemur ad illum dolorem cum divina gratia tam libenter susciendum quàm ipsum gaudium, hæc opportunè potest proponi Veritas, quæ diligenter expendatur:

Quantò est de peccato major tristitia, tantò est peccatoris majus gaudium de fontibus Salvatoris.

RATIO est, quia quantò profusius hauriuntur illa aquæ, tanto maius est gaudium. Clara est propositio.

Sed quantò maior est de peccato tristitia, tantò profusius hauriuntur illæ aquæ. Satis evidens erit conclusio, si vera est hæc propositio: Unde hoc unum supereſt declarare quam sit vera. Sic autem breviter indicatur, aperiendo quinos fontes seu quinque præcipua capita, unde ex consideratione plagarum Christi, tantò profusius hauriuntur aquæ in gaudio, quantò maior est de peccato dolor.

PRIMUS fons est bonitatis, qua sic Christus nos diligit, ut quas semel amore nostri plagas accepit, semper conservare velit. *O fons amo-* L. 3. de *ris perpetui, quid dicam de te?* Quas verò aquas Imit. Chri. effundat ille fons, affectus sunt amoris reci- c. 10. proci, quis enim non eum diligat, à quo se

illi-

diligi? & tantò certè profusius hauriuntur illæ aquæ, quantò quis vehementius se sentit diligi & diligere.

Jam verò quis hoc utrumque apertius sentire potest, quàm qui vehementius de peccato dolet? Sic enim hic dolor ex amore nascitur, ut ex dolore etiam amor crescat, & sicut quantò quis magis amat, tantò magis dolet, sic vicissim quanto magis dolet, tanto amat
Luc. 7. etiam vehementius. *Dilexit multum*, inquit Dominus de illa quæ multũ doluit, & de qua
Sap. 7. illud Sapientis dici potest: *in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valuit*: At quid inde retulit nisi pacem & gaudiũ? *Vade*, inquis, *in pace*, fruere gaudio, tanto majori, quantò profusius amoris aquas hauris, unde est illud gaudiũ.
1. Cor. 1. Sic dicebat Apostolus, *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Vide in 3. parte, Feriam 4. hebdomadæ 7.

Secundus fons est misericordiæ & redemptionis, cum ex aspectu plagarum Christi, velut ex percussa petra defluunt illæ aquæ, quibus indurati mollescant ad bene sperandum animi. Quis enim non bene speret ubi tale est patrocinium? Et quantò quis magis
Sap. 12. sperat de tali misericordia, tantò certè profusius illas haurit aquas. *Bona spei fecisti filios tuos*, aiebat Sapiens.

At quis est, qui magis speret, quam qui magis dolet? Cum enim vera spes requirat ex parte nostra dolorem illum, quid potest ad spem desiderari amplius quandoille adest dolor; Unde ex consequenti quis magis gaudeat, quis in majori gaudio de fontibus Salva-
Rom. 12. toris aquas hauriat, quam qui magis de peccato dolet? *Spe gaudentes* ait Apostolus, primò quidem illa spe quâ speratur peccati remissi gratia, tum quâ speratur gloria.

Tertius fons est largitatis, ex quo additur ad præcedentem, ut non solum peccata Salvator dimittat, sed & novas impertiat gratias, quibus peccator surgat velocius & ambulet firmius in divinis mandatis: Quæ quidem largitas apparet in plagatis manibus, non tantum quia sic apertæ indicant se nihil
Cant. 5. donorum retinere posse, se nihil continere quod non effundant, sicque *tornatiles* dictæ sunt, quod nihil suprà possit residere: sed multò magis id apparet, quod in illis retentis plagis manifestè aperiat, quàm sit profusus & munificus, cum longè plura fecerit ad salutem nostram, quam possent exigi. Sat is erat Misericordiæ, dum corpus viveret, aut dũ in cruce staret mortuum, plagas accepisse: sed non est satis largitati Salvatoris: Nam Sacras illas plagas, etiam dum resurgit & quamdiu vivet, vult reservare; ut nunquam non constet quam sit bene animatus in omnes, qui se sibi addixerint.

O profusam largitatem, quis non tali obsequatur Domino, quis non tali gaudeat in obsequio, & tantò magis gaudeat, quantò eum in se liberaliorem sentiat!

At quis id verius sentiat, quàm qui acerbius de peccato dolet? cùm enim sit donorum optimum sic de peccato dolere, cumque hoc dono se tantò indignum peccator videat, quantò acerbius dolet se peccasse, profectò non potest sic dolere, quin simul sentiat quãtum debeat tantæ beneficentiæ, & quin ex æquo gaudeat se talem habere Dominum, qui non modò non punit delinquentem, sed *ubi* Rom. 5. *abũdavit delictũ, superabũdare facit & gratiã*.

Quartus fons est pietatis, unde devotionis hauriuntur aquæ. Mirum enim quantùm hic acquiescat devotio considerantis tantam bonitatem, tantam misericordiam, tantamq; largitatem & benignitatem, quæ apparet ex illis plagis.

Et quantum quidem crescit Devotio, tanto profusius dici possunt illæ hauriri aquæ, quæ nihil aliud verè sunt, quam isti devotionis & pietatis affectus. At quæso te, quinam sunt pietatis solidiores affectus, nisi qui conjunctim habent de peccatis dolorem? nonne alii omnes suspecti sunt? nonne alii ex amore proprio, vel dæmone illudente formari possunt? solius autem Christi gratiâ verus de 2. Reg. 24
peccatis dolor haberi possit? *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi. Vertatur obsecro manus tua contra me.*

Hæc est vera devotio sacras intuentis plagas, hæc est vera profusio sacras inde hauri-
entis aquas. Ac proinde hoc est verius & majus gaudium, quo de fontibus Salvatoris salutares aquæ potentur.

Quintus fons est potentiæ seu firmitatis, unde illæ hauriuntur aquæ, quibus additur menti vigor & robur contra omnes hostes, ut supra dictum est. Et tantò manifestè profusius illæ aquæ hauriuntur, quantò sentitur firmius illud robur, atque animus imperturbatus in quovis casu. Sicut autem peccato-

ri seu peccatum foventi suum, parùm prodesset se in Christi plagas abdere, cùm per peccatum hosti ansam præberet; sic planè si quis deponat peccatum, sicut verè is deponit, qui de peccato dolet, ita se fortem & robustum sentit, dum in Christi vulneribus delitescit, ut si totus eò infernus erumperet, toti unus inferno resisteret. Ac proinde si quod de protectione Christi sentitur gaudium, ut certè sentitur magnum, tantò illud erit majus, quantò erit major de peccato tristitia, quia eo deleto nil restat, quod protectionem divinam possit infirmare. Hùc enim aptè referri potest, quod dicebat Achior Holoferni, de Judæis, *quotiescunque pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli, virtutem resistendi.* *Iudith. 5.*

Quantum itaque participare volueris de illo gaudio, quo de fontibus Salvatoris, salutares hauriuntur aquæ, tantò te cujusvis peccati magis pœniteat, & reddetur tibi *lætitia salutaris Dei, & spiritu principali confirmaberis.* *Ps. 50.*

Vide in 1. parte, die 21. Decembris, ubi plura de sancto Thoma, & de Evangelio hodierno, quæ huc commodè referri possunt; sicut & quæ passim de fide & de pace, ac in primis, occasione pacis à Christo datæ, cùm acceptas monstraret plagas, hæc satis opportuna videtur.

Pax in pugna.

In 3. parte, Feria 4. hebdomadæ decimæ.

AD verba verò Epistolæ, quæ hoc ipso die legitur.

Hæc est Victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 1. Ioan. 5.

Considerari potest hæc

VERITAS PRACTICA.

Quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere; tanta modò est ignominia, vinci à mundo.

RATIO petitur à fortitudine vel debilitate mundi, de quo si dici potest, quod quàm olim fortis erat, tam modò est debilis, vere etiam dici potest, quod quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere: tanta est modò ignominia, vinci à mundo.

Sed verum est dicere quod; quàm olim mundus erat fortis, tam modò est debilis.

Ergo & verè sequitur quod, quanta olim erat fidelium gloria mundum vincere: tanta modò est ignominia, vinci à mundo. Quod certè diligenter esset advertendum & cavendum.

AD primam propositionem, explanari primò debet, quid sit mundum vincere, vel ab eo vinci. Nempe in negotio fidei, religionis, castitatis, aut alicujus virtutis, à mundo expugnatæ, si non obstante quavis expugnatione, virtus servetur, vincitur mundus: si verò virtus cedat vitio, tunc mundus vincit. Deinde verò exponendum esset, quod ille ipse mundus, qui olim fidem & religionem expugnabat, modò etiam illam impugnet, & nobis modò cum ipso sic est decertandum quotidie, ut vincamus vel vincamur: vel virtuti vitium, vel virtus cedat vitio. Denique quàm verum illud sit, quod si modò mundus tam est debilis, quàm olim erat fortis, tanta est ignominia nunc ab eo vinci, quanta olim erat eum vincere, gloria; Nam oppositorum eadem est ratio, si gloria victori est, quod fortiorem vincat, ignominia victi est, quod à debiliori vincatur: Et quanta est illius gloria, tanta est istius ignominia, si præcipuè quanta est hostis devicti fortitudo, tanta fuerit vincentis debilitas? Si Davidi puero gloriosum fuit in funda & lapide Gygantem illum prosternere, qui omni ex parte videbatur eo, superior, nonne huic tam ignominiosum fuit sic prosterni? Quid Samsonis victorias illustriores reddidit, nisi quod ille unus una mãdibula asini, mille viros interfecit? Quid verò ad eius ignominiam turpius quam quod ille ipse Samson ab una Dalila vinceretur? Hoc sensit ille Abimelech, qui cum multos gloriosè contrivisset, tum ab una pereussus muliere, suo se exposuit occidendum armigero, *Ne dicatur*, inquit, *quod à fœmina interfectus sum.* O si à carne sic vinci timeremus? *Matt. 10.* *1. Reg. 17.* *Iud. 15.* *Ibid. 9.*

Ad secundam verò propositionem, latè pateret dicendi campus de antiquis persecutoribus fidei, quàm varii fuerint, quàm crudeles, quàm omni modo fortes ad expugnandos quosque fideles, qui tamen ex omni sexu, & ætate fideles sævientem in se totum mundum devicerunt, ut præclarè sanctus Cyprianus ad ipsos Martyres & Confessores sermonem dirigens: *Toleraſtis usque ad consummationem gloria, diriſſimam quæſtionem: nec ceſſiſtis ſupplicis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem do-* *L. 2. Ep. 6.*

loribus,

loribus, quem tormenta non dabant, corona dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem dejiceret, sed ut homines Dei ad Deum velocius mitteret: Vidit admirans præsentium multitudo cælestè certamen, certamen Dei, certamen spirituale, prælium Christi: stetisse servos eius voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis sæcularibus nudos sed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra sed vulnera.

Sic alii passim Patres & Sacri Historici, ex quibus satis patet, quàm olim esset fortis mũdus, qui fidem & fideles expugnabat. Quod Christus Dominus uno verbo manifestè de-
Matt. 10. claravit, cùm dixit suis, *tanquam oves in medio luporum à se mitti.* Videsne, quantis partibus, si de pugnando agitur, lupus ove sit fortior? sic erat mundus supra fideles, sic fideles à mundo velut oves à lupis discerpebantur.

Nunc verò quàm sit debilis ille ipse mundus, qui vel fidem subsannat, vel pietatem irridet, vel quocunque modo te ad se allicit, ut te suis potius cõformet dictis & factis, quàm Evangelicis consiliis; tam facile est agnoscere, quàm in promptu est experiri nihil aliud prorsus esse, quàm unius aut alterius ridiculũ verbum in te prolatum. Nullæ hic carnificinæ, nullæ tormentorũ comminationes, nulla hic exilia, nulli carceres, nulla ne quidem bonorum publicatio, vel jactura. Dic quid times à mundo, qui times mundum? Quid tandem in te sæviet, quid minatur, quid nocebit? Minus, inquis, bene de te sentiet & loquetur; Hòc unum scilicet in te potest, hoc te uno tecum pugnat, hoc te uno terret, hoc te uno vincit. Hic est jam mundus, cum quo pugnamus, nempe Illud *minùs bene sentiri & dici de nobis.* Irane verò hoc solum? Irane verò solum hoc quàm sit debile, quam sit infirmum, quam sit nullum, non videas?

Primò enim forte falsum est, quod tibi fingis, falsum est, quod de te homines minus bene sentiant, mera est animi tui fictio & suspicio, nocturnus est timor, & vana mentis conturbatio. Sed esto, ut dicis, minùs benè de te sentient; quid tandem illud *minus bene?* quid grave admodum & truculentum in illo minus bono de te sensu? An forte infamiam contrahis? an de honore decedit aliquid apud quosvis bene sentientes! an de aliquo dignitatis gradu dejiceris? an tibi peribit aliquid? nihil planè. Quid tãdem igitur mali aut quid minus boni in illo minus bono de te sensu?

Et demus sanè aliquid esse incommodi, quandoquidem ita sentis: Sed quale illud tã-dem, quam exiguum & quam nullum præ tormentis illis, quæ Fideles olim premebant & divexabant. Confer illud incommodum tuum cum sævientibus belluis, cum catastis, cum rotis aculeatis, cum ignitis cratibus, & sexentis tormentorum generibus, quibus fides Christianorum tentabatur: nonne erubescis in illa tui damni, si quod sit, temporalis contentione facta cum illis tam variis & tam diris suppliciis? Nonne agnoscis tam debilem nunc esse mundum, ut tibi verè noceat, quam olim erat potens ad omnem inferendam injuriam? Et tamen illi mundo cedis? illi tam debili, tam infirmo te subjicis, quem pueri & puellæ tam robustum & potentem devicerunt! Tu à prima ætate imbutus præceptis Christianis, tu tot præventus gratiis, tot Sacramentis roboratus, tot munitus consiliis, tot instructus armis, expavescis ad metum unius verbuli! O pudorem! ô probrum! ô vecordiam!

Hinc ergo evidenter patet, quod, quanta olim erat fidelium gloria, mundum vincere: tanta modo est ignominia, vinci à mundo; quia quam olim erat mundus fortis ad pugnam & victoriam, tam modò est fractus & debilis, à quo certè sic vinci non minus est ignominiosum, quàm olim esset gloriosum cõtra eius potentiam pugnare & vincere *Glorio-* Ps. 4.
si mei ad ignominiam! Quæ in vulgatis legimus, *filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* sic Hebræa reddunt, *Filii viri, usquequò glorioſi* Bellarm.
mei ad ignominiam, diligentes vanitatem quæritis mendacium? quasi dicerent, vos qui estis eorum filii & posteri, qui tã præclarè & gloriosè se gesserunt in expugnanda & vincenda mundi potentia, quomodo nunc eius vanitati tã ignominiosè cedatis, ut cũ pro veritate, quà profitemini, perdenda essent terrena omnia, vos cœlestia potius omnia perditis, pro vanitate & mẽdacio quod cõsectamini. Hæc est certè tanta ignominia, quanta fuisset gloria, si, qualis viros decet, generosius pugnasse-

Et ne forte putes majorem olim fuiſſe gratiam, qua fideles certarent & vincerent, audi ſanctum Chryſoſtomum: *Habes Chriſtiane competentia arma quibus hoſtem expugnes: habes fortiſſima tela quibus inimicum debelles. Quantam illi patientiam in perituris corporibus oſtenderunt, tantam nos in paſſionibus irrationabilibus continentiam demonſtremus. Potens autem eſt Deus, ut præſtet, vos omnes per eandem fidem, ad parem gloriam pervenire.*

Serm. 1. de Martyr.

Hb. 24. de 7. Mach.

Ep. 30. ad Sabin.

Paulo expreſſius verò contra hanc ignaviam, quæ mundo cedit ſanctus Ambroſius diſſerens: *Equidem doleo*, inquit, *tantam eſſe in mendacio obſervantiam, in veritate negligentiam, ut confundantur plerique attentiores ad Sacro-ſanctam religionem videri, non conſiderantes vocem dicentis, qui me confuſus fuerit, coram hominibus, confundam & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Et quæ plura proſequitur.

Egregius verò eſt in hoc argumento Picus Mirandulanus, Epiſtola ſecunda ad Nepotem, unde excerpta hæc nonnulla ſunt, contra mundum ſive mundanos, qui bonos à bono avocant. *A quibus*, inquit, *ſi petas quò tendant, quò ſua ſtudia, opera, curas referant, quem denique finem ſibi præſtituerint in cujus adeptione fœlices futuri ſint; aut nihil omnino habebunt quod reſpondeant, aut pugnantia ſecum, controverſaque ſibi ipſis verba, velut phanaticorum deliramenta loquentur. Neque enim ſciunt ipſimet quid agant: ſed more eorum qui fluminibus innatant male importata conſuetudinis vi, quaſi torrentis impetu feruntur, & hinc cacante eos nequitia, inde ad malum Satana extimulante, ruunt præcipites in omne facinus, cæci duces cæcorum, donec improviſa eos occupet mors, & dicatur eis: Amice, hac nocte repetunt animam tuam à te. Hæc autem quæ paraſti, cujus erunt? Tunc his invident quos deſpexerunt, laudant quos deriſerunt, & imitari eos vellent cùm non poſſunt, quos dum poterant ſequi, perſequi maluerunt.*

Obde igitur, fili cariſſime, auribus ceras, & quidquid dixerint, quidquid ſenſerint homines de te, pro nihilo habens, ſolum judicium Dei ſpecta, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Scriptum eſt, nolite timere qui corpus poſſunt occidere, ſed animam poteſt mittere in gehennam: Quantò minus hi tibi timendi ſunt, qui nec corpori tuo poſſunt nocere, nec animæ, qui ſi nunc tibi detrahunt ex ratione vivendi, nihil detrahent minùs, ſi relicta virtute, vitiis obruaris, non quia illis vitium diſplicet, ſed quia detrahendi vitium illis ſemper placet. Si inſanos eos eſſe non dubitas, qui virtuti detrahunt tuæ, & Chriſtianam vitam, hoc eſt ſapientiam, inſaniam vocant, cogita quanta tua eſſet inſania, de inſanorum judicio à recto vitæ inſtituto dimoveri, cùm error omnis, emendatione tollendus, non imitatione augendus eſt. De illorum nequitia atque miſeria quantùm ipſe debeas Deo, perpende qui ſedentem in umbra mortis illuminavit, & de illorum caſu translatum, qui in denſiſſimis tenebris devii, hucillucſine luce bacchantur, filiis lucis aſſociavit. Sonet vox illa Domini ſuaviſsima in auribus tuis ſemper; ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu me ſequere. Si bene viventem te homines laudent, porrò hæc virtus tua, quatenus quidem virtus eſt, ſimilem te Chriſto facit, ſed quatenus laudata eſt, facit diſſimilem, qui præmium ſuæ virtutis ab hominibus mortem crucis accepit.

Hæc ille & multò plura, quibus hoc unum ad praxim pugnæ inferendæ, & referendæ victoriæ, poteſt addi ex Propheta, quod ſæpe jam aliàs eſt propoſitum: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam ut Petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar: Iuxta eſt qui juſtificat me, quis contradicet mihi? Stemus ſimul, quis eſt adverſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus meus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me?* Quaſi diceret, quiſquis ille ſit, contemnendus eſt, nec audiendus: Et quidquid tandem producat ad me impugnandum, hoc uno retundetur quod mecum eſt Chriſtus, ſive ad exemplum quod ſequar, ſive ad auxilium quod me præveniat & ſequatur. *Is. 50.*

Vide in 1. parte Dominicam ſecundam Adventus, & Feriam 4. infra hebdomadam ſextam poſt Epiphaniam. In 2. parte Feriam ſextam infra hebdomadam primam. Quadrageſimæ: & Sabbatum infra ejuſdem hebdomadam quartam. In 3. parte Feriam ſextam infra hebdomadam ſecundam poſt octavam Pentecoſtes. Ibidemque totam hebdomadam duodecimam, ac præcipuè in poſtremis Feriis.

EODEM DIE.

AD HÆC VERBA QUÆ EX SANCTO PETRO USURPAT ECCLESIA.

***Quasi modò geniti infantes, rationabiles sine dolo, lac concupiscite.* 1. Pet. 2.**

VERITAS PRACTICA.

Infantes esse oportet, vel bonâ vel malâ infantiâ.

RATIO est, quia temperantes esse oportet, vel intemperantes.
Sed bona vel mala infantia sumus infantes, prout temperantes vel intemperantes erimus.
Ergo infantes esse oportet vel bona vel mala infantia: seu potius ne infantes simus mala infantia, oportet esse bona infantes.

PRÆMITTI posset quamobrem in hac Dominica fiat infantium mentio, propter Neophytos scilicet, sive recenter baptizatos, qui acceptam in baptismo vestem albam hac die commutabant, ita tamen ut candor, qui de habitu deponebatur, semper in corde teneretur. Ex hac autem occasione invitamur omnes ad spiritualē illā infantiā, hoc vel maximè tempore procurandam; Quo nomine ne quis forte offendatur, quasi à viri gravitate degeneret: Veritatē proposita edocemur tam necessariam esse spiritualem illam infantiam, ut, qui sic infans esse nolit, infans esse velit infanda quadam & probrosa infantia, quæ quam timenda est, tam alia est appetenda.

Ratio quæ affertur plana est, ex illa potissimum parte, qua primò dicitur temperantes nos esse oportere vel intemperantes; quo nomine non ea solum pars vitii aut virtutis intelligitur, quæ circa cibum & potum temperandum occupatur; sed tota universim nominis significatio deprompitur, & quidquid ad concupiscibilem appetitum refrænandū spectat, attenditur: Atque ita etiam evidentius prima illa patet propositio. Nam aut refrænare oportet appetitum, quod est esse temperantem, aut non refrænare, quod est intemperantem esse. Quæ cum sint duo contradictoria, necesse omnino est, alterutrum in nobis esse, cum præcipuè, nisi refræuetur appetitus, tam infrænis ipse & projectus in malum fit, ut sese abripiat, *sicut equus impetu vadens ad Ier. 8.*
prælium. Quod cum id semper nimis experiamur quàm verum sit, tum verno potissimum tempore, quo ad solem redeuntem sanguis in venis ebullit ardentius, & floreſcentia quæque objecta sensus pelliciunt acrius ac suavius, unde totus hic appetitus commovetur, & nisi arctiori cohibeatur temperantia, certè laxiori efferetur intemperantia. *Decoloravit Cant. 1.*
me sol. CONTEMPLARE *viam, confortā lumbos, Nahum. 2.*
robora virtutem valde. DEMUS *operam sobriæ remissioni, ac sanctæ sinceritati, ut quidquid modò S. Aug.*
corporali abstinentia non acquirimus, mentium ser 157. de
puritate quæramus. Sic Sponsa, sic Prophetæ, *temp.*
sic Doctores.

Ad alteram verò propositionem, non potest melius declarari convenientia, sive unio spiritualis infantiæ cum temperantia, quàm iisdem rationibus, quibus ipsa definitur & explicatur infantia spiritualis. Tres sunt præcipuæ; Prima propter Innocentiam vitæ & morum: sicut enim Infans non peccat, ita nobis commendatur, ut tam alieno simus affectu ab omni pravitate, nullam ut voluntariè admittamus: quem in statum qui deveniunt, tum Infantes seu Pueri secundum Christum, quæ bona est infantia, nuncupantur in Scripturis, id habentes per gratiam & industriam, quod Infantes per ætatem. *In hoc tamen*, in- *In officiis.*
quit sanctus Ambrosius, *melior Christi infantia quam naturæ, quòd ista per infirmitatem innoxia est, illa per virtutem: atque ideo laudi magis scribendum est, non tam malè facere posse, quam nolle.*

Hoc est autem vel maximè proprium temperantiæ sic moderari affectus circa quævis delectabilia quæ sunt præcipua peccatorum incentiva, nulla ut voluptatē, nulla libidine, nulla vanitate aut boni temporalis cupiditate movearis; quam triplicem concupiscentiā qui retinere possit, nonne is innocentiam tibi servare videbitur? Sicut enim radix malorum omnium concupiscentia, sic quicunque hanc

exsci-

exſcindit radicem, mala propulſat omnia. Hæc eſt continens anima de qua Sapiens,
Eccleſ.26. *omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.*

SECUNDA ratio, cur dicatur & commendetur infantia chriſtiana, petitur à ſimplicitate quæ in eo conſiſtit, ut, ſicut infans non diſcurrit, non ratiocinatur, non diſcernit nec de rebus judicat, ſed alieno ductu regitur; ita nos in materia fidei, religionis, & obedientiæ, nos ita ſubjiciamus Deo, Eccleſiæ, ac Superioribus, nullo ut diſcurſu oppoſito reſiſtamus, *In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti.* OMNIA *facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei.*
2.Cor. 10. Phil. 2.

Hanc porro ſimplicitatem ſic promovet temperantia, ut quantùm quiſque temperans fuerit, tantum credulitatis & ſimplicis obedientiæ præſtabit cunctis, obſequio: nam nihil eſt, quod frequentius & pertinacius intellectum moveat ad fingendas & opponendas rationes obedientiæ, quàm inordinata mentis affectio, quæ dum per temperantiam reprimitur, ſic omnis contradictio cohibetur. Quamobrem ſanctus Ambroſius hanc puerilem ſimplicitatem expreſſis & diſertis verbis affirmat eſſe quandam *Morum temperantiam, mentiſque ſobrietatem*, in qua fratrem ſuum Satyrum ſic excelluiſſe ſcribit, ut *converſus in puerum, ſimplicitate illius ætatis innoxiæ, perfecta virtutis effigie, & quodam innocentium morum ſpeculo reluceret.*
Orat. de Obitu Satyri.

TERTIA denique ratio, quæ conſtituit & commendat infantiam ſpiritualem, hæc eſt, ut perpetuum quendam fervoris & propenſæ in Deum voluntatis ſtatum retineamus, ne quid per ætatem decedat illius religioſitatis & bonæ mentis, qua primo illo tempore, quo vacare Deo cæpimus, ferebamur ultrò, ad omnes virtutum actus; aut ſi quid forte interdum intepeſcat, quàm primùm reſarciatur & reſtauretur in integrum; *quaſi modo geniti infantes*, quaſi modò inciperemus, quaſi nihil hactenus à nobis geſtum eſſet, crebro illud Davidicum ore & corde præferremus, *Dixi, nunc cæpi.* RENOVABITUR *ut aquilæ juventus mea.* Vel ſicut Iob: *Quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me: ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ? Gloria mea ſemper innovabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* Quem
Pſ.76. Pſ.102. Iob 29.

in ſenſum dicebat ſuis Dominus: *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Hæc forma ſcilicet veræ cõverſionis & veri ſtatus, in quo vel oportet eſſe ſemper, vel ad quem identidem revocandi ſumus, ut apti regno cælorum reddamur
Matt. 18.

Ad hunc autem ſtatum in primis confert temperantia, primò quidem conſervando religioſam mentem ne inveteraſcat; nam *inconſtantia concupiſcentiæ eſt qua tranſvertit ſenſum*; cui dum concupiſcentiæ continendæ vacat temperans, ſe ab illius inconſtantia tutum reddit. Deinde, verò, ſi quid humani patitur; dum ſe ad majorem continendi appetitus cautionem revocaverit, tunc ſe id effeciſſe intelliget, quod ad ſpiritus renovationem magis requiritur, ut ante ex ſancto Gregorio didicimus, qui totum eò refert negotium: *Vetuſta*, inquit, *vitæ protinus uſus mutatur, ut anima ſuperno ſpiritu afflata, & in ſummis appetat quæ contemnebat; & contemnat in infimis quæ appetebat.*
Sap. 4. L.27. Mor. c.13.

Ex quibus manifeſtè apparet, quam rectè inter ſe cohæreant temperantia & infantia ſpiritualis: Unde & de intemperantia & alia mala infantia, facillimum eſt idem concludere, ſicut expreſè ait Divus Thomas quærens his ipſis terminis: *utrum Intemperantia ſit puerile peccatum*; & affirmat cùm ex authoritate Philoſophi, tum ex tribus rationibus quas profert, & quas referre nunc eſſet longius. Paucis poeta: *Iuvenile vitium eſt, regere non poſſe impetum.* Aptè verò Apoſtolus: *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.* Quaſi diceret, alterutrum vobis proponitur; aut quaſi concluderet, quod propoſita continet Veritas: *Ergo infantes eſſe oportet vel bona, vel mala infantia*, non certè mala, ergo bona. Nam ſicut inde probatur alterutram eſſe tibi eligendam infantiam, quod temperantia vel intemperantia, quibuſcum illæ infantiæ ſingularem habent communionem, neceſſitate quadam contradictionis unicuique noſtrum inſinuat: ſic bonam ut præeligas infantiam, facit ipſa virtus oppoſita vitio; aut ſi forte virtutis excellentiã non perſpiceres, attende vitii deformitatem: ama virtutem ex odio vitii, ſi nondum potes odiſſe vitium ex amore virtutis. *Contra malum, bonum eſt, & contra mortem vita*, inquit Sapiens: *Et ſic intuere in omnia*
2.2.q. 142.a.2.
1.Cor.14.
Eccleſ.33.

opera

opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum. Quasi diceret, cum oppositа juxta se posita magis luceant, sic simul considerandа sunt, ut quod est bonum, melius appareat ex opposito sibi malo, & facilius acceptetur. Aut certè si quid duri & asperi in bono appareat, non propterea repudietur, quia si velis attentius intueri malum oppositum, longè tibi duriora inde & deteriora invenies; ac proinde bono inhærendum. Eccles. 33.

Times forte aliquid à temperantia vel infantia spirituali? At quanto magis plura pertimescenda sunt ab intemperantia vel infantia sensuali? Nullum esse vitium probrosius, aut peccatum magis exprobabile quam intemperantiam docet expresè sanctus Thomas, & manifestè probat, quod ex omnibus vitiis istud magis repugnet excellentiæ & honori hominis, cũ versetur circa sensualia quæ sunt nobis cũm brutis communia, & in *quibus tractandis minus insit humani luminis & rationis.* Quis verò non sentiat quanti sit probri quantæque infamiæ, si ut infans vel ut puer appelletur? Tale est certè probrum, ut qui hac injuria temerè virum sapientem notaret, non modò in virum graviter, sed & in Deum peccaret. 2.2.q. 142.a.4.

At citra noxam omnem sic voçari potest intemperans, qui seipsum suo puerili vitio probris exponit. Quin & ipse Deus sic illum derideri permittit, ut hac saltem sui nominis cura moveatur; aut certè nisi resipiscat, gravius ipse vecordem puerum castigabit. Sic apertè & opportunè Sapiens: *Infantium insensatorum more viventes: propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti, Deus, Qui autem ludibrijs & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei judicium experti sunt.* Sap. 12.

Videndus est Clemens Alexandrinus l. 7. Pædag. cap. 5. Ubi egregiè de hac utraque infantia. Vide & Feriam 2. infra hebdomadam 16. post Pentecosten, in qua hæ proponuntur expressæ Veritates:

Aut baptismalis servanda est innocentia, aut per infantiam spiritualem revocanda.
Non est ætas maturior infantiâ Christianâ.

AD SEQUENTES QUATUOR HEBDOMADAS.

MATERIAM *Considerationum seu Veritatum subministrabunt Mysteria Resurrectionis Christi Domini, quæ notiori vocabulo dicuntur Apparitiones. Et quia his Mysteriis respondet Via Unitiva, quæ est Perfectorum, seu, quæ est in perfectiori Charitatis gradu: idcirco Charitatis proprietates, quæ ab Apostolo referuntur,* Charitas patiens est, benigna est, *& quas fusè prosequitur, primæ Corinthiorum decimo tertio, ad unumquodque Mysterium ita revocabimus, ut his certissimis notis, quænam sit vera Charitas, discerni possit ab Amore proprio seu Zelo falso & adumbrato. Sic enim sanctus Bernardus, ubi de his agit Mysteriis,* facile est, *inquit,* nosse, quàm sint aliena à propria voluntate, quæ propria sunt Charitatis, cui Illa, rectâ fronte, contrariam se constituit. Nam Charitas benigna est, &c. *Serm. 2. de Resurr. Dom.*

FERIA SECVNDA.

APPARET CHRISTVS D. BEATISS. Virgini Matri. In qua item apparet prima Charitatis proprietas.

Charitas patiens est.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ps. 93.

VERITAS PRACTICA.

Quàm verè Charitas includit in se patientiam, tam verè Impatiens excludit à se Charitatem.

RATIO est; quia idcirco verè Charitas includit in se patientiam, sive quod idem est, idcirco verè dicitur patiens, quod qui agit ex Charitate, tam libenter omnem pro Deo pœnam patiatur, ut qui non omnem pœnam sic patitur, excludat à se Charitatem illam actualem seu actus patientem.

Sed Impatiens non libenter omnem pro Deo pœnam patitur.

Ergo, quàm verè Charitas est patiens, aut quàm verè includit in se patientiam, tàm verè Impatiens excludit à se Charitatem. Quod cùm diligenti Deum sit valdè cavendum, cavendum & is dicat, ne sit impatiens.

I. PUNCTUM.

Quanta Charitate diligebat Christum suum, Beatissima Virgo Mater, tanto eius quidem videndi desiderio tenebatur; sed illa suum ita desiderium cõtinebat, ut quantum in illa esset veræ Charitatis, tantum esset & patientiæ. Sic ergo patienter expectat, donec ipse resurgens, appareat & sua glorioſissima præsentia mœrentem consoletur: Tùm verò quando apparuit; ô qualis utrique animus! quales amplexus! quale colloquium! Sed quamdiu durabit iste congressus? Quamdiu sic simul seipsis perfruentur? Equidem nisi vera eis fuisset Charitas, aut nisi vera Charitas esset patiens, nunquam à se divulsi essent; sed si volet Filius, statim discedat, invisat pias illas mulieres quæ ipsum quærunt mortuum; Magdalenæ seorsim appareat, seorsim Petro, tum aliis simul Apostolis, nec ad Beatissimam Matrem nisi cum Filius voluerit, revertatur; certè posset dolere Mater absentiam Filii, sed tamen patienter dolebit, illaque ipsa Charitas, quæ dolorem ex absentia concitabit, dolori patientiam sic conjunget, ut ex æquo sit ejus animus dolens & patiens.

Sic quãdo Filius relicta inter homines Matre, in cœlum remigrabit; quanto putas eum dolore Mater separatũ lugebit? Lugebit tamẽ patienter, & separationẽ, & luctũ feret æquanimis, quia charitas patiens est: & tam constanter omnem hujus vitæ molestiam feret, nullũ ut ullo tempore impatientis animi signum edat, sicut nullo tempore extra charitatẽ fuit. Unum ex alio sequitur, ut qui in charitate semper vivit, nunquam sit impatiens: aut si quando est impatiens, jam in charitate illa, quæ patiens est, non vivat. Quod cùm sit ad perfectæ charitatis praxim valde opportunũ, sic expendendũ modò proponitur, ut qua ratione monstratur charitas esse patiens, eadem demonstretur esse extra Charitatẽ, qui est impatiens. *Iam non secundũ Charitatem ambulas.* Rom. 14.

Quænam autem est illa ratio, cur dicatur esse charitas patiẽs? Nempe hæc manifesta, quod qui ex charitate vitam agit, libenter omnem pœnam pro Deo subeat: aut qui non omnem pœnam sic subeat, non possit dici vitam agere ex illa charitate, ac totics illam à se excludere dicendus sit, quoties pœnam aliquam non libenter aut non pro Deo ferat.

Nam hoc habet charitas patiens supra virtutem patientiæ; ut non modò quædã adversa toleret, sed omnia prorsus & libenter, & pro Deo. Tota enim divina est, tota quod est, Deum amat, totum quod amat, Deus est; totum quod Deus amat, & ipsa sic amat, ut nullam differentiã inter res amandas ponat, quã quæ ab ipso Deo ponitur, à quo est ordo charitatis, & à quo sponsa profitetur, *ordinatam in me charitatem.* Iam verò cùm omnes indifferenter & ex æquo adversitates, pœnæ, & molestiæ à Deo immittantur & amentur, sic ex æquo charitas ad unam omnes amplectitur, ut si unam excluderet, jam non esset charitas, quia Deum non intueretur, qui in illa exclusa pœna perinde spectandus erat, atq; in aliis: qui autem actus Deum non intuetur, non est charitatis actus qui Deo totus adhæret. S. Thomas. 2. 2. q. 26. Cant. 1.

Sic præclarè Apostolus: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?* Et expositis quibuslibet patiendis sic concludit; *In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* Hæc est charitas patiens, à qua qui vel unam excludit pœnã, quam nolit pati, se ab illa charitate, aut illam à se excludit. Rom. 8.

II. PUNCTUM.

Sed Impatiens non libenter omnem pro Deo subit molestiam.

Hoc ipso enim, quò est impatiens, satis indicat:

dicat se nolle pœnam illam, cujus est impatiens: nec aliunde impatientia concitatur quàm ex repugnantia voluntatis cum re adversa quam nollet sustinere.

Si sola esset sensitivæ partis cõtradictio cui voluntas non consentiret, posses quidẽ simul velle pati, non obstante illa sensus contradictione: sed quando cõtradictio transit in impatientiam, signũ est consentientis voluntatis, signum est dissoluti cordis, & animi à patiendo alieni; nam illa corporis inquieta jactatio, verba illa aspera, frons obducta, & totus in acerbitatẽ conversus vultus non aliunde procedunt quam à libera voluntate, quæ sic indicat se nolle, aut nõ libenter ferre, quod occurrit ferendum. *Væ dissolutis corde! Væ his* Eccles.2. *qui perdiderunt sustinentiam!* quid est dissolvi corde, & quid perdere sustinentiam, nisi se impatientem præbere in sustinendo? Quomodo verò impatiens sic diceretur dissoluti cordis & perditæ sustinentiæ, nisi voluntatẽ haberet alienam à ferendis adversis? nam si contra repugnantiam naturalem non desisteret à bona voluntate patiendi; jam non perdidisse sed conservasse sustinentiam dicendus esset: neque illi duplex infaustumve intentaretur, sed potius fœlix & beatus prædicaretur; sicut insignis ille inter suos Eleazarus se- 2. Macc.6 nex, qui *cùm plagis perimeretur, ingemuit & dixit: Domine qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum, libenter hæc patior.*

Hoc est scilicet patientem esse, sic libenter pati ut nullum contra edatur signum, quod à libera voluntate pendeat: Unde à contrario ille impatiens esse agnoscitur, qui signo aliquo motuve corporis indicat se nolle pati. Prov.14. *Qui impatiens est*, inquit Salomon, *exaltat stultitiam suam*: id est, manifestè indicat se nolle pati, quod stultitiæ quoddam genus est, cùm non propterea desinat pati quod nolit, imò tanto magis patiatur, quo minus nolit. O quantus horum stultorum numerus!

III. PUNCTUM.

ERGO, *quàm verè charitas includit in se patientiam, tam verè impatiens excludit à se charitatem*: seu, qua ratione monstratur charitas esse patiens, eadem demonstratur extra charitatem actualem cum esse, qui est impatiens: Quia sic charitas dicitur esse patiens, quod omnem pro Deo libenter subeat pœnã: impatiens verò non illam libenter subeat, propter quam esse impatiens agnoscitur, unde sicut à se excludit voluntatem patiendi quam includit charitas, sic à se excludit charitatem illam actualem, seu actu patientem; & quamdiu est impatiens, tamdiu erit extra charitatem quæ patiens est: tanta denique est impatientiæ & charitatis patiẽtis disiunctio, quanta est inter impatientiam & patientiam.

Væ filii desertores dicit Dominus, FILII *subtra-* Is.30. *ctionis in perditionem*, de quibus Apostolus. Hi Hebr.10. sunt videlicet filii desertores qui charitatem & animum filialem deserunt, quo præcipuè tempore talis animus esset exhibendus. Hi sunt qui se subtrahunt à paterna Dei gubernatione, dum quas immittit plagas, aut pœnas, ipsi refugiunt. Hi sunt qui se ultrò ipsos subtrahunt; Non enim tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non quælibet alia volentes pati separant à charitate Christi; sed ut sapienter observat S. Bernardus, *Sola* Serm. de *est propria hominis voluntas quæ hanc separatio-* dupl. bapt. *nem efficere potest.* & de relinq. propr. voluntate.

Quamobrem adverte diligentius. Memento te filium illius Divini Patris qui nõ minus se patrem ostendit in adversis, quàm in prosperis: sic te in utrisq; filium præbe, ut monet Sapiens, *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias,* Prov.3. *nec deficias cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* Hanc verò Sapientis admonitionẽ sic urget & extendit Apostolus: *Et obliti estis* Hebr.12. *consolationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate: tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii.* Expende hanc postremam sententiam, qua dicit impatientem esse extra disciplinam & non esse filium, Nonne hoc idem est quod esse extra charitatem! Et nonne hoc satis potens motivum est, ne sis impatiens! Adeone tibi vilis est charitas ut pro ea conservanda nolis illud exiguum pati quod te impatientem facit? *Sustine sustentationes Dei: Conjungere Deo & sustine.* Eccli.2.

Vide suprà, Fer. 5. Sexagesimæ.

FERIA TERTIA.

APPARET CHRISTUS MARIÆ Magdalenæ: Vbi & apparet secunda Charitatis proprietas: Charitas benigna est.

Mulier quid ploras?
Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Ioan. 20.

VERITAS PRACTICA.

Si quid Charitas negat, tam benigna negando est, quàm concedendo.

RATIO est, quia Charitas negando aliquid tam vera est, Charitas, quam concedendo.
Sed quãdiu vera est Charitas, semper benigna est.
Ergo & negando tam benigna est quam concedendo: Qua in praxi tamen sæpe peccant & qui negant quod petitur, & qui petunt quod negatur.

I. PUNCTUM.

Matt. 28. Marci 16. Luc. 24. Ioan. 20. HIC recolenda sunt cum affectu, quæ omnes Evangelistæ referunt, de pietate mulierum cum unguentis ad sepulchrum, ipso summo mane diei quo resurrexit Dominus, properantiũ: dumque jam ad monumentum accessissent, viderunt revolutum lapidem, & Angelum sibi nuntiantem, quem quærunt mortuum Christum, resurrexisse. Quod cùm eiusdem Angeli jussu, discipulis retulissent, non eis discipuli crediderunt; Petrus tamen & Ioannes ad sepulchrum, sequẽtibus eos mulieribus, excurrunt. Sed non invento Domini corpore, Ierosolymam regrediuntur. Discipulis itaq; & postmodùm mulieribus à sepulchro abeuntibus, sola Maria Magdalena vehementer lugens illic persistit, & dum accedit propiùs ad monumentũ, dùm se inclinat & prospicit omnia diligenter, vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dicunt ei: *Ioan. 20.* *Mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum: Hæc cum dixisset reversa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit illi Iesus, Mulier quid ploras? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei, Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister; Dicit illi Iesus, noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum; vade autem ad fratres meos & dic eis; ascendo ad patrem meum & patrem vestrũ, Deum meum & Deum vestrum.* Id est, nondum quidem ascendo, necdum discedo ut me quasi valedictura complectaris: discedam tamen brevi, & ante mihi sunt videndi fratres mei, mei discipuli.

In qua quidem apparitione cum multa ad affectum & profectum considerari possint, tũ verò summa benignitas Domini Iesu sic mulierem alloquentis, & suo glorioſissimo conspectu ante ipsos etiam discipulos gratificantis. Quod verò nõ patitur se ab ea tangi, prout illa vehemẽter optabat, præter alias rationes, disce & revolue attentiùs quod veritate proposita continetur, tam benignam esse charitatẽ negando quod petitur, quàm concedendo.

Et ratio est evidens, quia charitas negando quod petitur tam vera est charitas, quàm dũ concedit aut etiam dùm sæpius ultro offert, quod impertiatur. Cur enim est charitas dum concedit quod petitur, nisi quia proximo benefacit propter Deum? At nonne sic exigunt aliquando rationes proximi, ut quod petit negetur potiùs, quam concedatur? Et nonne charitas hoc proximi bonum respiciens tam vera est charitas, quàm dum illud respicit cõcedendo quod postulatur? Nam cui desineret esse quod est, si non desinit facere quod suum est? semper enim est ordinata charitas, & si ordo & ratio exigunt ut non concedatur quod petitur; adeo non perit propterea charitas, ut notius periret si nõ illud negaret, *Virga atque Prov. 29.*

corre-

correptio tribuunt sapientiam: puer autem qui
2.Cor.12. *dimittitur voluntati suæ, confundit matrem*
suam. An putas quod non vera fuerit charitas
Psal.98. Domini, cum reculavit Apostolo, quod ter à
se postulaverat? Nõne potius hoc singularis be-
nevolentiæ signum notatur, cum Psaltes Deo
dicit: *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in*
omnes adinventiones eorum: Aut cum ipse Deus
1.Reg.7. Davidi de filio: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit*
mihi in filium, qui si iniquè aliquid gesserit, ar-
guam eum in virga virorum, & in plagis filio-
rum hominum; misericordiam autem meam non
auferam ab eo. Vellesne tibi concedi quod à
Deo vel à Sapiente viro scitetur tibi obfutu-
Eccles.23. rum? *Huic animæ irreverenti & infrunitæ non*
Iud.10. *tradas me Domine.* Hoc est enim *Datum* de
quo Sapiens, *quod non est utile.*

II. PUNCTUM.

SED *quamdiu vera est Charitas, semper be-*
nigna est.

In eo enim vel maximè ab amore proprio distinguitur, quod hic sit levissimus & incon-
stantissimus, illa autem sui semper similis &
tam constans ut nunquam excidat; peribit
potius tota & potius desinet esse vera, & nul-
la erit, quàm si vera est charitas, desinat esse
quod est, seu quod esse debet ut sit vera. Esse
autem benignam, tam illi est proprium &
congenitum quã spiritu Dei agi. Cum enim
Sap.1. *benignus sit spiritus sapientiæ,* sive ut alibi dici-
Eccles.24. tur, *super mel dulcis, & hæreditas eius super mel*
& favum; cumque aliud nihil sit vera chari-
tas quam ipse Spiritus Dei, aut quam ipse
1.Joan.4. Deus, ut ait dilectus discipulus; quomodo
posset esse vera & divina charitas nisi esset
benigna?
Luc.9. *Nescitis, cuius spiritus estis,* dicebat Christus
illis discipulis qui se parum benignos osten-
derant in Samaritanos, *Filius hominis non ve-*
nit animas perdere sed salvare; Quasi diceret,
non est hic spiritus meus, non est illa charitas
quam vobis communicare volo, quæ ita be-
nigna est, ut dum etiam malè tractatur, non
desinat esse benigna.
Luc.6. Itane sentis? Itane semper benignus, itane
possis dici *filius altissimi, quia ipse benignus est*
super ingratos & malos, id est, super teipsum?

III. PUNCTUM.

SI *quid ergo charitas negat, tam benigna ne-*
gando est quàm concedendo: Quia tam vera
est charitas cùm illud negat quam dum con-
cedit: quamdiu autem est vera charitas, sem-
per benigna est: hoc est illi tam proprium &,
quod vocant, essentiale, sicut bonum proxi-
mi respicere propter Deum. Nam hoc unum
est esse benignum, sic proximo benefacere in
substantia & in modo, sicut Deus jubet. *Vnus-* Rom. 15.
quisque vestrum, inquit Apostolus, *proximo*
suo placeat in bonum, ad ædificationem. Sic &
quoties de charitate vel misericordia disserit,
semper benignitatem adjungit, quasi sit unũ
& idem: aut quasi unum ab alio declaretur,
Estote invicem benigni, misericordes, donantes Ephes.4.
invicem. Et rursum: *Induite vos sicut electi Dei,* Coloss.3.
sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benigni-
tatem.

Quod quidem non est semper positivè largiri, quod petitur, ut dictum est, in quo multi errant quibus negatur quod petunt, aut qui delinquentes arguuntur. Quia enim dolent se argui, aut sibi quod volunt denegari; idcirco sibi fingunt charitatem, quæ benigna est, lædi. *Sed vulnera illa sunt diligentis, quæ longè* Prov.7.
sunt meliora quàm fraudulenta oscula odientis
aut etiam blandientis.

Et verò, tu qui aliquid negas, aut aliquem arguis, tu in primis hoc refer monitum, quòd si modum in negando & arguendo non ser-
vares, sanè benignitatem offenderes, quæ hic
vel maximè regnare debet, ut quod mole-
stum esse potest in repulsa & correptione, mi-
tigetur & dulcescat. Hoc est *verbum dulce,* Eccles.6.
quod ut ait Sapiens, *multiplicat amicos & mi-*
tigat inimicos: hæc est lingua Eucharis quæ in bo-
no homine abundat. Hoc est denique quod te
paucis sed efficacibus monet S. Augustinus:
Supplicem nullum spernas: si potes dare, da: si non In Ps.102.
potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus
bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo
dicat, non habeo, charitas non de sacculo ero-
gatur.

Vide suprà Fer 4. hebdomadæ 3. Quadra-
gesimæ, de illo qui audacius loquitur infe-
riori.

FERIA QVARTA.

APPARET CHRISTVS ALIIS Mulieribus. Et alium suæ benignæ Charitatis effectum illis confert.

Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Avete. Matth. 28.

VERITAS PRACTICA.

Sæpe videtur esse Charitas, & est magis Carnalitas.

RATIO affertur ab eodem Authore, cuius est hæc sententia, libro primo de imitatione Christi, capite decimo quinto; quia, inquit, naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis raro abesse volunt.

At qui hæc quoties adsunt, & prævalent, magis est carnalitas, quàm charitas.

Ergo verissima est sententia, Quòd sæpe, ubi videbitur esse charitas, magis est carnalitas; ac proinde diligenter advertendum est in exercitio & in positiva praxi hujus benignæ charitatis, de qua hic agitur.

I. PUNCTUM.

MULIERES illæ, quæ cum Maria Magdalena semel atq; iterum venerant ad sepulchrum, simulque audierant Angelos sibi nuntiantes resurrexisse Christum Dominum, discipulis Petro & Joanne abeuntibus, seorsim & ipsæ aliâ viâ revertebantur, cum *Ecce Iesus occurrit illis, dicens, Avete.* Matth. 28 *Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Iesus, nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.*

Ex quibus satis apparet, quàm benigna fuerit charitas Domini Jesu, qui non solum se videndum dedit his mulieribus, sed quod etiam negaverat Magdalenæ, suos illis pedes contingendos & adorandos præbuit. Et hic est alius benignæ charitatis effectus cùm id conceditur quod postulatur, qui certè erat Act. 10. usitatissimus Christo Domino, *qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes*: qui & nobis ut dictum est valde commendatur. *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut Deus in Christo donavit vobis.* Ephes. 4. De quo item benignitatis genere sic aptè S. Ambrosius: *Popularis & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonis vice, modestiæque adiuvetur gratia, incredibile quantum procedat ad cumulum dilectionis.* 2. Off. 6.

Verùm in istis mutuis donationibus, atq; usu familiari se se colentium animorum, cavendum vel maximè, quod proposita veritate monemur, *ne sit potius carnalitas quam charitas.* Hoc est enim valde naturale, diligere diligentem, vel prævenire amore cum à quo aliquid speres, vel denique in mutua illa animorum conjunctione, communique vitæ usu, quæcunque humanitatis & beneficentiæ præstare officia, quia sic placet, quia sic honorificum, sic delectabile & utile; Unde Sapiens; *Omne animal,* inquit, *diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi, omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simile sui sociabitur*; Quasi diceret, hoc ab ipsa natura provenit nec magnæ virtutis est talem exercere benignitatem: Nonne *& Ethnici faciunt*? Nonne & ipsi mundani & peccatores in istis excellunt? Nonne & tu sic sæpius afficeris, & quod pejus est, nonne hunc affectum, charitatem putas! Eccles. 13. Matth. 5.

II. PUNCTUM.

ATQVI *quod tale est, carnalitas magis est quàm charitas.*

Nam charitas ex corde puro provenit, nec 1. Tim. 1.

alio

alio motivo movetur quam supernaturali & divino. Non condemnat quidem naturalem affectum; quasi malus semper esset, sed non in eo solo consistit; neque id tantùm, quia ipse naturalis affectus vix se unquam continet in humanæ & rationalis benevolentiæ terminis, sed quia licet nihil aliud vitiosum accederet, non satis sibi esse putat divina charitas diligere exillo affectu naturali, nisi hunc ita purificet & emundet, ut sit potius supernaturalis & spiritualis, quàm naturalis; adeo
2. Cor. 5. ut possit dicere cum Apostolo, *Neminem novi secundum carnem*: nihil à quoquam expecto quod carni est delectabile, quod vitæ est utile, aut mundo gloriosum. Et hoc est novum
Ioan. 13. præceptum charitatis, quod se dare Christus pronuntiat, nempe *ut sic nosipsos diligamus sicut ipse dilexit nos.* Hanc præcipuè particulam *sicut* expendunt omnes Patres, asserunt que in
Tract. 63. in Ioan. ea una novum charitatis præceptum consistere; *Vt à carnali dilectione distingueretur*, inquit sanctus Augustinus, *addidit, SICVT DILEXI VOS.*

Quod & fusiùs prosequens S. Gregorius: *Sunt nonnulli*, ait, *qui diligunt proximos sed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione, sacra eloquia non contradicunt: sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur*
Hom. 27. in Evang. *obedientia. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritaliter sed carnaliter impendunt; proinde cùm Dominus diceret, hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, protinus addidit, SICVT DILEXI VOS, ac si apertè dicat, ad hoc amate, ad quod amavi vos.*

Itane puri sunt affectus tui? nonne *species*
Dan. 13. *decipit te, & Concupiscentia subvertit cor tuum?*

III. PUNCTUM.

SÆPE igitur ubi videtur esse charitas, magis est carnalitas. Quia cùm sint iidem affectus externi, eadem penè verba & signa benignitatis, imò & idem animus, qui primò quidem, adeo nihil vitiosum aut sensuale cogitat, ut potius unicum spirituale bonum prærendat, planè videretur esse charitas; sed tamen cùm multa permisceantur merè naturalia, cùm fusiora sint colloquia, verba blandiora, teneriores affectus, frequentiora munuscula, & similes blanditiæ, carnalitas magis est quàm charitas. *Sic stulti estis ut cum spiritu caperitis,* Gal. 3. *nunc carne consummemini?* Quod apertè sanctus Hieronymus, *Crebra munuscula, & su-* Ep. 2. ad *dariola & fasciolas, & vestes ori applicitas, ac de-* Nepotia, *gustatos cibos, blandasque & dulces literulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes deliciæ & lepores, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur, quantò magis in Monachis & Clericis.*

Neque verò putes hæc, quæ commemorat sanctus Doctor, ita requiri ad internoscendam carnalitatem à charitate, Vt, qui non ea præstet, nihil sibi timeat, cùm malum sit ex quovis defectu, bonum autem ex integra cauta, id est, unum eorum sufficit ut carnalis dilectio censeatur: nec vera unquam Charitas existimanda est, nisi modus & finis diligendi, quales ex Evangelio præscribuntur, simul conveniant. Sic præclarè sanctus Gregorius: *Nemo cùm quemlibet diligit, habere se* Hom. 38. *protinus charitatem putet, nisi priùs ipsam vim* in Evang. *suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. charitas autem vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus.*

Vide quantum in hoc peccet; vel per excessum, vel per defectum. Hinc enim fit, ut rara sit admodum vera charitas, nam quos naturaliter diligimus, nimis diligimus: alii autem vel sunt odiosi: vel, ut vocantt indifferentes, nec satis eos diligimus. Quamobrem illud etiam atque etiam crebrò versandum, quod ait S. Petrus: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis;* & quæ plura inde 1. Pet. 1. alibi relata sunt. Vide in 1. parte, Feria 6. heb. 4. post Epiphaniam: & Sabbato hebdomadæ 6. In hac 2. parte, Dominica 4. post Pascha. In 3. parte, Feria 2. 3. 4. & 5. hebd. 5.

O qui scintillam haberet veræ charitatis, pro- L. 1. de *fectò omnia terrena sentiret esse plena vanitatis,* Imit. Chr *nec propterea fineret his cor suum occupari &* c. 15. *inficì.*

FERIA

FERIA QVINTA.

ANTEQVAM CHRISTVS APPAreat omnibus Discipulis suis, in his apparet quod charitas non æmulatur.

Non in contentione & æmulatione. Rom. 13.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid acquiras æmulando, plus perdis quam acquiras.

RATIO EST. Quia plus perdis charitatem perdendo, quàm quidquid acquiras æmulando.

Sed charitatem, quæ non æmulatur, æmulando perdis.

Ergo quidquid acquiras æmulando, plus perdis quam acquiras; Quod æmulantibus sanè est considerandum.

I. PUNCTUM.

Matth. 20 *Marci* 10. *Luc.* 22. QUI considerarit discipulos levi de causa sæpius ante mortem & resurrectionem Domini, inter se contendisse & æmulatos esse, si quis eorum aliis videretur esse Prælatus, mirari modò poterit, quod nulla inter eos contentio aut æmulatio audiatur, licet multæ prætendi possent causæ cur æmularentur. Ac primò quidem, quod Angeli appareant & loquantur de Christo, mulieribus potiùs quàm viris; durum eis videri poterat qui perinde ac mulieres sepulchrum adierant, quorum tamen nulli locutus legitur Angelus.

Deinde quod ipse Dominus prius iisdem mulieribus quam ulli discipulorum apparuerit, nec nisi per eas Apostolis Resurrectionem suam nuntiarit, certè hoc mirum, & hoc mirandum, quod Apostoli non æmulentur.

Tertiò cùm postea Dominus apparuit seorsim Petro redeunti è Sepulchro, ut videbitur, non æmulatur Joannes, qui cum ipso cucurrebat, & qui Petro negante, Christum secutus erat usque ad Crucem.

Quartò denique, cæteri omnes Apostoli non æmulantur, quod duobus peregrinis qui erant tantum discipuli & ipsis inferiores, priusquam sibi apparuerit, & tam multa de se familiariter locutus fuerit.

Hæc est videlicet *Charitas quæ non æmulatur*, & dùm omnimodo Christus annuntietur & honoretur, hoc unum curat. *Qui veram & perfectam charitatem habet*, ait Kempensis; *nulla re seipsum quærit, sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat. Nulli etiam invidet, quia nullum privatum gaudium amat, nec in seipso vult gaudere, sed in Deo super omnia bona optat beatificari.* Phil. 1. in L. 1. de Imit. Chr. c. 15.

Itane tecum est? *Quidquid autem prætendas aut acquiras æmulando plus semper perdes quam acquiras.* Quid enim pretiosius charitate quę est Apostolo *excellentior via*, quam nobis possit demonstrare? quæ est Tertuliano, *Patr. summum fidei sacramentum, & Christiani thesaurus nominis*; quæ est Clementi Alexandrino. *præcipuum hominis Christiani munus*: Sancto Gregorio Nazianzeno, *doctrina nostræ capput*: sancto Hieronymo, *cunctarum virtutum mater*. Gregorio denique magno, *mater & custos bonorum omnium*. 1. Cor. 12. Tract. de In Par. Ep. 20. ad Theophil. Lib. 6. Ep. 60.

Nonne qui hoc perdat, plus perdat quàm acquirat? Quid est enim quod possit acquirere; nisi aliquid temporale quod spectet ad hanc vitam? *At quid est vita nostra nisi vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur?* quid est omnis caro, quid omnis mundi gloria, quid omnis homo vivens, *nisi universa vanitas*, nisi flos brevi transiens, *nisi lanugo quæ à vento tollitur? nisi spuma gracilis quæ à procella dispergitur? nisi fumus qui à vento diffusus est?* Hæc sunt videlicet, quæ acquiri forte possunt æmulando, & hæc ipsa sunt quæ tanto interyallo à charitatis excellentia distinguûtur, quanto terrena distant à cœlestibus, temporalia sejunguntur ab æternis, & à Creatore creata omnia: quandoquidem, *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* O securam mansionem! ô fœlicem possessionem! Iac. 4. Isaiæ 40. Sap. 5. Ibid. 1. 1. Ioan. 4.

II. PUN-

II. PUNCTUM.

SEd charitatem, quæ non æmulatur, æmulando perdis.

Gal. 4. Si quod commendat Apostolus, *Bonum æmulareris in bono semper*, tunc sicut bona esset æmulatio, sic charitas non perderetur, imò excresceret: vel ipsa esset charitas, quæ te faceret æmulari bonum, vel ipsa esset bonum 1. Cor. 12. quod æmulareris, & de quo dicitur, *æmulamini charismata meliora.*

Sed alia est æmulatio, qua charitas non æmulatur, & qua quisquis æmulatur, charitatem perdit: quando videlicet per invidiam & contentionem desideratur & prætenditur bonum aliquod seu spirituale seu temporale, non ex amore boni spiritualis, non ex ordinato fine boni temporalis, sed ad complacentiam seu mundanam gloriam, ne minùs quàm alii honoremur, aut ne illi supra nos reputentur. 1. Matt. 5. *Faciamus*, inquiunt, *& ipsi nobis nomen.* Tunc & æmulatio mala est, & tali æmulatione charitas tam verè perditur quàm vérè non potest consistere cum invidia, cum rixis, cum murmure & aliis comitantibus vitiis: unde omnes passim Scripturæ: *Nequam est oculus lividi, & avertens faciem suam, &* Eccles. 14. *despiciens animam suam. CVM sit inter vos* Gal. 1. *zelus & contentio, nonne carnales estis? VBI* Iac. 3. *zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum.*

III. PUNCTUM.

QVidquid ergo acquiras æmulando, plus perdis quàm acquiras. Prov. 28. Nam charitatem perdis quæ longè aliis rebus antecellit. Hinc aptè Sapiens, *vir qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quòd egestas superveniet ei:* nempe id perdendo quod est ditius, quid nisi egestas & miseria, tantò quidem major quantò magis ignoratur? Certè nec ipsam gloriam, quam æmulando prætendit superbus, ut supra visum est, obtinebit; sed quando eam obtineret, quid tandem illa gloria præjactura charitatis & aliarum virtutum, ac donorum cælestium, quibus privatur. *Sabbato Septuag.*

O quam verè Sapiens: *Melius est humiliari cum mitibus quam dividere spolia cum superbis.* Prov. 16. Melius est cedere cum charitate, quam contendere aut contendendo vincere contra charitatem. *Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum*, inquit Eccles. 20. Ecclesiasticus: hic est scilicet, qui charitatem conservat quolibet aliquo pretio, quod qualecunque sit, semper erit modicum & septuplo minus quàm charitas.

Nec dicas, te non tua quærere, sed quæ aliorum, quæ familiæ tuæ sunt, quæ Ecclesiæ & quæ majoris Dei gloriæ: Nam hæc involucra sunt, quibus æmulatio tegitur; Et hoc Diotrephes ille, qui primatum amabat gerere in Ecclesia, contra sanctum Joannem, objiciebat; quæ tamen erant, *verba maligna quibus hic æmulator garriebat in Divinum Apostolum*, ut in sua postrema monet Epistola. Cave hoc omni modo, sicut monet Apostolus: *Non* Rom. 13. *in contentione & æmulatione, sed induimini D. Iesum Christum.* Et rursum: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Quod & symbolico suo more Sapiens: *Perde pecuniam propter fratrem* Gal. 5. *& amicum tuum*; quasi diceret, pro conser- Eccles. 29. vanda charitate nihil non perdendum est, cùm alioquin plus perderes, charitate perdita, quàm si, ut servetur charitas, cætera perirent omnia. Quid contra opponis? Vide supra, Sabbato Septuagesimæ: & infra, Feria 5. quæ est Octava Ascensionis.

FERIA SEXTA.

DUO EX APOSTOLIS, PETRUS & Joannes currentes ad sepulchrum, ostendunt charitatem quæ non agit perperam.

Currebant duo simul, Joan. 20.

VERITAS PRACTICA.

Minima quævis inordinatio cordis immundi, major est maxima quavis inordinatione hujus mundi.

Ratio est, quia quævis inordinatio cordis immundi est inordinatio rationis.

Sed inordinatio Rationis quantumvis minima, major est maximæ quavis inordinatione totius mundi.

Ergo minima quævis inordinatio cordis immundi, major est maxima quavis inordinatione mundi. Quod pauci certè in praxi norunt.

I. PUNCTUM.

REvocanda in memoriam, quæ obiter antè commemorata sunt, de duobus Apostolis Petro & Joanne, currentibus ad sepulchrum; & paulò attentiùs consideranda. Rem accuratè describit ipse sanctus Joannes, & primò agens de Maria Magdalena; *Venit*, inquit, *ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum quem amabat Iesus, & dicit illis: tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus & ille alius Discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit erro Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit & ille Discipulus, qui venerat priùs ad monumentum, & vidit & credidit; Nondum enim sciebant scripturam, quia oportet eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum Discipuli ad semetipsos.*

Quod singulariter de Petro narrans alius Evangelista: *Et abiit*, inquit, *secum mirans quod factum fuerat.* Sic ergo illi duo Apostoli, quam in Christum præ cæteris haberent charitatem, suo illo cursu & intenta solicitudine satis quidem manifestè declarant; sed quomodo sit illa charitas, quæ non agit perperam, sic paucis habe. Primò quidem ex variis interpretationibus, illa hic tenetur quæ asserit perperam agere, idem esse ac nihil temerè agere, & ut habet Syriaca versio, nihil tumultuosè, nihil confusè, nihil intempestivè, nihil & inordinatè; ac proinde omnia agere ex ratione & ordine: atque ut monebat Apostolus, *omnia honestè & secundùm ordinem.* 1. Cor. 14.

Deinde verò, hoc est tam proprium charitati quàm ipsi Sapientiæ cui conjuncta est charitas, & de qua simul dicitur, *quòd attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et alibi, *cuncta fecit bona in tempore suo.* Sicut enim de fatuo dicitur, *quod non erit ei amicus, & non erit gratia bonis illius, neque enim quod habendum est, directo sensu distribuit, similiter & quod non erat habendum;* Sic è contra de Sapiente: *Tempus & responsionem cor sapientis intelligit, omni negotio tempus est & opportunitas.* Hæc est discreta & ordinata charitas de qua fusè Patres, & jam supra dictum est. Sap. 8. Eccl. 3. Eccles. 8. Eccl. 8.

Denique, quanta hæc fuerit in duobus Apostolis currentibus ad sepulchrum, apparet ex his quatuor notis. Prima, non discredunt, sicut alii Apostoli, mulieribus nunciantibus resurrectionem Christi, sed neque leviter credunt; at prudenti consilio suscepto, rem propius inspecturi, sepulchrum ipsimet adeunt. Secunda, monumentum ingressi cuncta diligenter discutiunt, attrectant lintea separatim, unum ab alio sejunctum esse prudenter notant, atque ita seorsim involutum, ut aliquid inde certi possint conjicere. Tertia, de re tota simul inter se conferunt, seseque mutuò corroborant in fide resurrectionis & confirmant. Quarta & postrema, soli apud semetipsos mysterium contemplantur, suscipiunt, venerantur, resolunt audita quædam à Christo Domino de futura sua passione & resurrectione, sicque paulatim & ordinatè cum divina gratia sese disponunt ad pleniorem fidem & charitatem. Eccl. 1

Hoc est agere ordinatè, hoc est agere ex charitate, quæ non agit perperam, non inconsultò, non præpropere & leviter: sed omnia penticulate & solerter. Quod ut fiat efficacius, cavenda est quævis inordinatio cordis nostri seu quævis affectus immunditia, per quam inordinetur animus, & ipsa charitas, *quæ est de corde puro*, inficiatur. Nam præterquam quod ex immundo & inordinato corde vix aliquod ordinatum extra procedat: ipsa per se sola cordis immundi inordinatio tam grave malum censeri debet, ut quantumcunque Ovid. de Tri 1. Tim. 1.

Luc. 24.

cunque sit minima talis in corde inordinatio, sit tamen major maxima quavis, quæ extra hominem in universo reperiri possit.

Ratio est evidens quoad illam primam partem qua dicitur, quamlibet inordinationem cordis, esse rationis ipsius inordinationem, sic enim sumenda est propositio, ut sicut per cor immundum, omnis humani cordis depravatio exprimitur; ita in illa depravatione, inordinatio rationis intelligatur. Tunc nempe dicitur inordinari ratio, quando ex ordine suo dejicitur: dejicitur verò, quando cor nostrum aliquo depravatur affectu: nam ordo erat, ut ratio semper præesset appetitui sensitivo cordis, sic enim à Deo est ordinatum: Gen. 3. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* At turbatur ille ordo, quando cor ita afficitur, ut sit illi affectus depravatus: Tunc enim subest ratio, tunc præest appetitus, Eccl. 10. *tunc in equis servi videntur, & Principes ambulantes super terram quasi servi.* O deplorandam servitutem.

II. PUNCTUM.

Sed inordinatio rationis quantumvis minima, major est maxima quavis inordinatione mundi.

Maximæ in mundo inordinationes sunt monstra, quando in belluis vel in hominibus aliter corpus efformatum est quàm ex natura communi videmus ordinatum, quando aliter oculi, pedes, vel caput locatum est. Inordinatæ etiam dicuntur anni tempestates, quando hyeme calet aut æstate friget: inordinata est temperies aëris vel aquarum, quando inde morbi hauriuntur. Inordinatus denique tùm vel plurimùm videretur mundus, quando quod Poëta finxit, accideret;

Ovid. 1. de Tristib. *In caput alta suum labentur ab æquore retro*
Flumina, conversis solque recurret equis.
Terra feret stellas, cœlum findetur aratro,
Undæ dabit flammas, & dabit ignis aquas.

His tamen omnibus, & si quæ similes aut magis stupendæ excogitari possint inordinationes, minima quævis inordinatio rationis, quale est unum veniale peccatum, in quacunque materia, dicitur esse major: Quia primò ille ordo moralis, qui perturbatur in illa rationis perturbatione, est in se dignior quàm ordo totius universi: unde & ejus confusio ac inversio censeri debet gravior quàm cæteræ omnes, quæ in natura vel in arte possunt accidere perturbationes, quod quidem jam supra notatum est ex S. Ambrosio, qui per universale diluvium deleto homine dicit cætera mundi fuisse obruta, *quod principali extincto, reliqua, quæ inferiora erant & propter hominem facta, sic simul debuerint interire.* *L. de Noë & Arca c. 4.*

Deinde verò si ad mala seu damna, quæ ex qualibet inordinatione provenire possunt, animum applicemus; longè gravius est malum minimæ cujusvis inordinationis animi seu rationis nostræ, quàm cæterarum omnium damna & detrimenta: quia illud malum est culpæ, hoc tantum pœnæ; illud est malum Creatoris, hoc tantum creaturæ; illud est malum quo Deus offenditur, hoc duntaxat quo natura infinitè distans leditur: *Nunquid* Iob. 22. *Deo potest comparari homo?*

Denique si minima quævis inordinatio rationis, & offensa venialis fingeretur esse necessaria ad totius universi ordinem conservandum, latius esset totum funditùs perire orbem, quàm consentire in illam voluntariam offensionem; quia quantumcunque levis esset offensio, de illa tamen verum esset, quod universim de peccato scripsisse dicitur sanctus Augustinus: *Peccatis inhonorare Deum est, quod non debet facere homo, etiamsi totum pereat quod Deus non est.* Expende illud, *totum quod Deus non est*: & obstupesce quod tamen tam facile nulla de causa Deus offendatur! *Et violabant me*, inquit, *propter pugillum hordei, & fragmen panis!* Nonne hoc stupendum! Ez. 13.

III. PUNCTUM.

Minima quævis igitur inordinatio cordis immundi, major est maxima quavis inordinatione hujus mundi: Quia cùm sit inordinatio repugnans ordinationi rationis; quanta est dignitas rationis humanæ, vel ipsius Dei supra res alias universi, tanta est in genere boni vel mali, ut dictum est, rationis ordinatio vel inordinatio supra cæteras mundi totius ordinatas vel inordinatas formas. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Eccles. 26 Quod Sapientis dictum si verum est de una virtute continentiæ, quantò magis id certum de illa universali continentia, qua se anima cum Dei gratia servat innoxiam ab

omni prorsus inordinatione affectus: & divinum ita constanter sectatur ordinem, tùm intra tùm extra se, nihil ut perperam agat & perturbatè? *Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum*: id est, in ordine & conditione sua se continens, quidquid domi vel foris egit, quidquid secum vel cum aliis gessit, sic prudenter & opportunè digesta sunt omnia, ut manus ipsæ rationem & consilium rebus agendis afferre viderentur. Sic Deus amat ordinem, & ordinatè *cuncta disponit in mensura, in numero & in pondere.*

Prov. 31.

Sap. 17.

Quod certè in Christo Domino resurgente, & suis apparente, apparet mirum in modum. Contemplare paulisper, ut nihil confusè agit, nihil perturbatè, sed omnia ordinatè. Primò quidem, licet maximè desideraret suos consolari de morte sua mœstos, & in fide nutantes revocare: expectat tamen tertium diem quo resurgat. Deinde, licet statim eos invisere & alloqui potuisset, non tamen ita, sed pedetentim & progressu quodam facto, ab uno transit ad aliud, quo suaviùs & fortiùs omnia disponantur. Descendunt Angeli, qui resurrectionem annuncient mulieribus; visionem Angelorum annunciant mulieres Apostolis; Inquirunt duo primores Apostoli de re tota diligenter; Tum ipse Christus Dominus apparet Petro seorsim, ac Jacobo; Duobus postea discipulis peregrinantibus; Postmodum undecim simul congregatis; Ac tandem quingentis fratribus in Galilæa.

Cur porrò ita progressus est? Quia *Charitas non agit perperàm*, non tumultuariè, non confusè, sed ordinatè, ab uno ad aliud; Quod & ipsum quotidie servat in conferendis suis donis. Nec enim insigne castitatis, devotionis, humilitatis, aut alterius perfectionis donum communicat, nisi prius ordinarios harum virtutum actus exerceas, fidelitatemque in exiguis quibusdam objectis & casibus probaveris, ut *qui fidelis est in minimo super multa constituatur*; Quod sapienter notavit S. Gregorius in moralibus, ubi de appositis agit gradibus profectus nostri. *Apparet iis qui fidem habent in illum*, inquit Sapiens. Quibus verò non sic apparet, ii sunt qui vellent summa sine interjectis mediis: aut media sine infimis. Cave hanc inordinationem; *subditus esto Domino, & ora eum.* Vide Sabbatum hebdomadæ 3. post octavam Paschæ.

L. 22. Mor. c. 14.

Sap. 1.

Ps. 36.

SABBATO.

APPARET CHRISTUS SEORSIM PETRO & Iacobo.

Et in his duobus Apostolis apparet charitas, quæ non inflatur.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, Luc. 24.

Visus est Cephæ; deinde visus est Iacobo, 1. Cor. 15.

VERITAS PRACTICA.

Humilitati tuendæ tutius est, vix de se quàm vel humiliter loqui.

Ratio est, quia id dicitur esse tutius & opportunius unicuique rei tuendæ ac conservandæ, quod efficaciùs resistit ejus contrario.

Sed contrario humilitatis efficaciùs resistitur, dum vix de se quis loquitur quàm si vel humiliter loqueretur.

Ergo humilitati tuendæ tutius est, vix de se quàm vel humiliter loqui. Quod certè in praxi est rarum.

I. PUNCTUM.

CUm à sepulchro recessissent Petrus & Joannes, ut vidimus, atque etiam cùm à Joanne Petrus, ut ex sancto Luca colli-

colligitur, abiisset secum mirans quod factum fuerat ; tum putatur soli Petro apparuisse Christus Dominus, paulo antè quàm conveniret discipulos euntes in Emmaus ; quandoquidem ipsis revertentibus dixerunt omnes Apostoli, Dominum verè resurrexisse, & apparuisse Simoni. O quæ colloquia ! qui affectus utriusque! contemplare paulo attentiùs.

Luc. 24.

Quando verò apparuerit Jacobo qui dictus est minor, & qui fuit Jerosolymorum Episcopus, omnino non liquet; neque aliud de hac apparitione scitur quàm quod refert sanctus Paulus, *visum esse Iacobo Dominum.*

1. Cor. 15.

Sed quàm verè apparuerit in hoc utroque Apostolo charitas quæ non inflatur, apertum est ; cum enim præ cæteris Apostolis singulari eos apparitione Christus Dominus honorâsset, nihil inde præsumpserunt, nihil supra alios se extulerunt; vix de se locuti sunt. Et quidem Jacobus ne verbum protulit quod sciatur, nisi post Ascensionem Domini, ad ædificationem fidelium. Quòd verò Petrus retulit , credibile est id habuisse in mandatis, quia primus erat omnium, à quo voluit Dominus alios rescire, sicut cæteros Christianos à summo Pontifice, quæ spectant res fidei; & sicut inferiores à suis Superioribus quæ spectant ipsorum regimen. Quando verò jucundum hunc congregatis Apostolis attulit nuntium, tam modestè & temperatè locutus est , ut vel ex illa modestia & moderatione loquendi, facillimè intellexerint rem ita esse, nec dubitantes dixerint, *surrexit Dominus verè.* Si enim inflatus fuisset, forte alii æmulati essent, seseque opposuissent: at cùm ei tanto consensu acquieverint, nullus ut unus restiterit : signum est longè eum abfuisse ab illo tumore animi, & charitatem potius exercuisse quæ non inflatur.

Luc. 24.

Sic ergo disce eam exercendam & conservandam, servato potius de te tuisque silentio, aut verbis rarissimis & pauci ssimis, quàm vel humilibus & abjectis. Id enim carius charitati se humilianti, quia sic melius conservatur in sua humilitate : Quod semel dixisse, Sapienti non sufficit, sed postquam monuit: *loquere in causa tua vix*, tùm addit ; *Si bis interrogatus fueris , habeat caput responsum tuum :* Id est, summatim & perpaucis responde. Et ratio, cur sic melius conservetur humilis charitas, est evidens ; Nam unaquæque res, universim loquendo, eò melius conservatur, quò à suo contrario melius protegitur, illique fortiùs resistitur. Percurre aliquas mente qualitates ; calor, sanitas, scientia, sanctitas, robur & similia, nonne hoc uno conservantur, quo à contrariis suis proteguntur? *Intuere,* ait Sapiens , *in omnia opera Altissimi, duo contra duo, & unum contra unum* ; Quasi diceret, unaquæque res habet suum contrarium à quo impugnetur, & à quo conservanda est, ut servetur. O quanti & numero & robore contra nos hostes. cùm *vita hominis super terram sit militia*, & nihil aliud vivere sit quàm militare, & se ab hostibus conservare ! Quomodo pugnas? *Non coronatur nisi qui legitimè certaverit.*

Eccles. 32.

Eccles. 33.

Iob 7.

2. Tim. 2.

II. PUNCTUM.

Sed contrario humilitatis efficaciùs resistitur, dum vix de se quis loquitur, quam si vel humiliter loqueretur.

Quicunque tandem sit ille contrarius seu dæmon, seu mundus, seu amor proprius, seu triplex simul ille hostis; aut vitium superbiæ, sic melius illi resistitur : sit enim sæpius , ut verbis illis humilibus laudem potiùs & commendationem aucupemur , quam humiliationem & contemptum cogitemus : nollemus enim credi quod dicimus, aut si ab alio nobis seriò diceretur, quod de nobis ipsi proferimus, forte indignaremur ; *natura enim callida est, & omnia ad se trahit,* ut noverat optimè Author libri de Imitatione Christi. Et apertè Sapiens : *Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo* ; unde S. Ambrosius, *Multi habent humilitatis speciem, virtutem non habent; multi eam foris pratendunt, & intus impugnant, ad fucum præferunt , ad veritatem abjurant , ad gratiam negant , Est enim qui nequiter humiliat se.*

L. 3. c. 54.

Eccles. 19.

Ep. 42. l. 7.

Nihil autem tale est in silentio seu servata de se loquendi moderatione , cùm præcipuè servatur hoc animo , ne si de te quocunque modo loquaris, amori proprio satisfacias, qui hos libenter sermones inducit, unde idem iterum Sapiens : *Attende ne seductus in stultitiam humilieris, & ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Rectè monet *attendendum* , quia ibi deceptio & seductio ; nam etsi primò esset humilitas, tamen loquendo evanescit , & vanitas se ingerit, sicut edendo sensualitas , quod optimè notat S. Gregorius. Hinc verò ipsis

Eccles. 13.

L. 1. Mor. c. 37.

perfectis viris angustiæ remanent animi, num blandiùs aut amplius de se locuti fuerint quam veritas aut necessitas postulabat. Quãobrem aptè alius Sapiens: *qui custodit os suum* Prov. 21. *& linguam suam, custodit ab angustiis animam suam*: Et Propheta: *In spe & silentio erit fortitudo tua.*

III. PUNCTUM.

Sic ergo humilitati tuendæ tutius est, vix aut ne vix de se quidquam loqui, quàm vel humiliter loqui: cùm sic charitas & humilitas melius silentio conserventur quàm loquela, quæ vel est simulata humilitas, vel præsumpta caritas in aliorum ædificationem, vel indiscretus zelus ad alios coarguendos: vel quidquid tandem sit, vix potest esse quid tam tutum & efficax ad virtutis integritatem quàm silentium, quod, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, semper præferendum est loquelæ nisi quando est necessarium loqui: rarò est autem necessitas de se loquendi humiliter, nisi in confessione, vel redditione conscientiæ, vel simili quodam casu de quo non est hic quæstio, cum de his tantum agatur personis, quæ, ut sibi persuadent, non nisi humilitatis exercendæ gratia, humiliter & abjectè de se loquuntur, quod est suspectum, dubium, illusorium & simulationi proximum; ac proinde cavendum, sicut expressè S. Hieronymus monet; *Humilitatem sequere non quæ ostenditur & simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum; sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Multò deformior est illa superbia quæ sub quibusdam humilitatis signis latet: Nescio enim, quomodo turpiora sunt vitia quæ virtutum specie colorantur.* Quasi diceret, tantum abest ut sit humilitas, sic se exterius humiliare, quin potius mera est sæpe superbia, & eò quidem damnosior quò virtute humilitatis, magis obtegitur. Ep. 14. ad Celam.

Agnoscant se illi cùm ab aliis humiliantur, an ita libenter audiant de se abjectè loquentes, sicut illi loquuntur; hæc est enim vera veræ humilitatis nota, ut est in Cantico Judith: *Apparuerunt humiles mei, dum compunxerunt eos.* Humiles mundi apparent dum se compungunt & humiliant, sed humiles Dei apparent dum ab aliis compunguntur. Judith. 16

Quamobrem audiamus Apostolum: *Eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum, Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Vide in 3. p. Fer. 6 hebdomadæ 7. Phil. 2.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus.

De his & præcedentibus ac sequentibus Christi Domini verbis, quæ habentur decimo capite sancti Joannis, tota est hebdomada vigesimà prima, in 4. parte, ubi sex proponuntur Veritates, quibus hæc adjicitur, quæ singulariter videtur recolenda, ex his boni nostri Pastoris verbis.

Et animam meam pono pro ovibus meis. Joan. 10.

VERITAS PRACTICA.

Nihil æstimatione speculativa pretiosius animâ nostrâ: sed practicâ nihil vilius.

Ratio hujus postremæ partis, quæ præcipuè considerandæ est, hæc inter alias afferri potest, quòd illud inter cætera reputatur vilius cujus perfectio aut detrimentum in nostra est potestate, mi-

te, minùs tamen curatur quàm reliqua.

Sed perfectio vel detrimentum animæ nostræ, in nostræ positum est potestate, & minus tamen curatur quàm reliqua.

Ergo licet æstimatione speculativa nihil sit pretiosius anima nostra; practica tamen nihil est vilius; quod est omnino pudendum & pavendum.

I. PUNCTUM.

QUam revera Christus, sit bonus Pastor, cùm ex multis agnoſci possit, tum ex hac præcipuè nota, quod ponat animam suam pro ovibus suis. Expende verba, & rem verbis comprehensam. O Pastoris bonitatem, ô stoliditatem ovis, si illam non agnoscat & recolat!

Hinc certè patet nihil esse pretiosius animâ nostrâ; nam unaquæque res æstimatur judicio periti & intelligentis viri; quis autem intelligentior Christo Domino? Ecce is verò pro redimenda vel una anima dat animam suam, nonne igitur tanti valet quanta est ejus anima, cum illam tanti ducat?

Certè si agatur de pretio domus aut alterius cujusdam rei, quæritur quanti olim vendita vel empta fuerit; & si quidem emptor fuerit sapiens & intelligens, tum res tanti æstimatur, quanti est empta. Sic ergò cùm anima nostra quæ perierat, empta sit ab eo, qui nec falli potest nec fallere, cùm sit ipsa sapientia; tanti profectò valere dicenda est quanti eam emit; Quale autem quantumcunque est illud pretium? Audi anima mea, audi pretium tuum & obstupesce: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* 1.Pet.1. Si universus terrarum orbis, si quidquid est auri & argenti, si omnium hominum vitæ, si creata denique omnia pro anima tua essent data, quanti eam æstimares? at pretioso Christi sanguine quàm longè sunt inferiora omnia! unde Apostolus, *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro:* 1.Cor.6. quasi diceret, tantùm portare vos putatote quantus est Deus.

Atque hæc quidem fusiùs tùm discurrendo, tum considerando produci possent; verum in suprà dictam hebdomadam reservatum est hoc argumentum, atque ut proposita veritate admonemur, satis id certum est & probatum, in speculatione, ut dicitur; *In praxi verò, vix est aliud quid, quod æstimemus vilius quàm illa ipsa anima*, cujus nunc pretium demiramur. Quamobrem hoc est potissimum expendendum & prospiciendum. Sic autem primò declaratur, exponendo quid sit in praxi & effectivè rem aliquam plus vel minus æstimare. Nempe, si ejus perfectio aut detrimentum sit in nostra potestate, tanti censebimur rem facere, quantùm cavebimus ne quid detrimenti accipiat: aut quantùm curabimus ut crescat, proficiat, & augeatur. *Per agrum hominis pigri transivi,* Prov. 24. ait Sapiens, *& per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ.* Certè hi ostendebant se parvi facere suum agrum, suamque vineam. *In pigritiis humiliabitur contignatio,* Eccl. 10. ait idem in alio libro, *& in infirmitate manuum perstillabit domus.* Neque is etiam se domum suam satis curare indicat, cujus videt conditionem dissolvi, nec providet. Sic igitur universim de omnibus, tanta in praxi est cujusque rei æstimatio, quanta est ejus cura; & tanta est ejus cura quantum quisque cavet ne depereat, aut quantùm procurat ut proficiat. *Pro quo solicita timuisti?* sic ait animæ tuæ Propheta; dic quod portò sentis; Is.57. & hinc infer illud esse quod magis in praxi æstimas.

II. PUNCTUM.

ATqui præ cæteris, quæ sunt in nostra potestate, vix est aliud quid, cujus detrimentum minus curemus aut perfectionem, quàm animæ nostræ.

Percurre omnia, quantùm tempus & animus ferent, & vide si quid sit, quod habere velis malum, detritum, imperfectum, aut non æquè bonum ac possis? Si de veste agitur, nonne commodiorem quam possis, tibi comparas? Si quid in illa fortè dissutum: si quid lutosum sit aut invenustum; nonne statim manus adhibetur? Si domus, si cubiculum, si sedile, si liber, si calamus, si attramentum, si charta aut quid demùm eligatur, nonne pro facultate seu possibilitate rei comparandæ, conquires tibi decentiorem & commodiorem? Nonne sic diligenter conquisitam non minore diligentia conservabis, ac solicitè providebis, ne qua in parte deteratur vel pereat? Itane verò de anima? nonne scis, uno

vel

vel veniali peccato plus illi accidere detrimenti, quàm si vel vestis luto infecta esset, vel corpus ulcere, atque ipsa facies deformi macula notaretur ? nonne audivisti toties quid animæ in peccato dicatur ; *maculata es in iniquitate tua, coram me, dicit Dominus Deus: quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas !* Jer. 2. An verò ita provides mundandæ animæ tuæ sicut corpori, vel sicut vesti ? Si sanitas corporis in tua esset potestate sicut est sanctitas animæ cum gratia: si facilitas bene loquendi, sicut bene vivendi ; si apud homines gratia, sicut apud Deum ; si quid denique est in humanis, quod magis desideres, si æquè posses perficere, atque illud quod à te desideratur pro perfectione animæ tuæ : nonne illud quamprimùm assequereris ? nonne te divitem, nonne sanum? nonne eloquentem? nonne potentem, aut ea dote animi vel corporis quam cuperes exornatum, sine mora præstares? Jam verò cùm, divina fretus ope, nihil sit ex omnibus quæ ad animæ tuæ perfectionem vel salutem desiderentur, quod non præstare possis, quousque tandem remoraris ? At verò illa tarditas, illa segnities, ille animi languor & mera incuria, circa perfectionem & animæ tuæ bonum, nonne id satis superque convincunt, quod hìc erat demonstrandum, vix aliud esse in humanis, cujus detrimentum aut perfectionem magis possis, & minus cures ?

Quot cùm sit tam perspicuum, ut minimè de eo dubitari possit, quia tamen ita est perspicuum & indubitatum, tantò minus credes, nisi ab amore proprio caveas, qui multa jactitabit se facere pro salute animæ, quæ non faceret pro quovis alio negotio ; nec tibi persuaderi patietur, quod dictum est, si semel tibi persuaserit te id omne quod possis facere, nec plura posse quàm facias. Quamobrem audi quid contra Dominus, audi quid contra præsumentem de suis operibus animam comminetur : *Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat, conata sit facere:* Jer. 48. Quasi diceret, rem ego melius novi quam tu : satis te putas facere, si quædam faciliora facias: & ne difficiliora simul aggrediaris, impossibilitatem excusas ; sed falsò, nam scio quid possis cùm mea gratia, & certò scio te non adhibere conatum quem possis, & quem adhibes in aliis negotiis tuis. Quid respondes ?

III. PUNCTUM.

Patet ergo quàm verum sit nihil quidem æstimatione speculativa excellentius esse animâ, & salute nostra ; sed practica & effectiva, nihil vilius & magis neglectum. Quam quidem veritatem sanctus Augustinus sic apertè confirmat: *Quid est quòd velis habere malum ? dic mihi: omnino nihil, non uxorem, non filium, non servum, non tunicam, postremò non caligam : & tu vis habere malam vitam, rogo te prepone vitam tuam caligæ tuæ ! Omnia tua tibi pulchra, & tu ipse fœdus es. Si tibi possent respondere bona tua, nonne clamarent, sicut tu nos bona vis, & te nos volumus habere bonum Dominum; tua voce interpellant contra te Dominum tuum, ecce bona tanta dedisti huic, & ipse malus est.* Serm. 11. in Matth.

Et certè, quando sola consideraretur dignitas animæ, quando sola ejus immortalitas, & futuræ vitæ conditio in alterutram æternitatem vel Cœli vel inferni; nonne hæc consideratio sufficeret, ut, quod toties commendatur, *Custodias temetipsum & animam tuam solicitè?* Deut. 4. Verùm accedente ratione, quæ à Christo Domino petitur de pretio animæ quo ipse eam æstimavit, mirum quantùm crescat obligatio augendæ nostræ solicitudinis circa ejus salutem. Verè enim dictum est à S. Ambrosio : *In teipso quod es, non ex te debes æstimare, sed ex Christo:* In Luc. 10 Quamobrem si Christus nos tanti fecit, quanti æstimanda est anima ejus & vita quam pro nobis dedit, quid est, quod in praxi & reipsa nos aliter de salutis & animæ pretio decernamus ? nam præterquam quod injuriam animæ facimus, redundat in Christum injuria, de cujus sapientia & dignitate tantum detrahimus, quantum de animæ nostræ pretio seu practica salutis æstimatione. Aut enim censendum est non illum esse sapientem, qui tale pretium dederit pro anima ; aut certè pretium illud non esse tanti æstimandum, ut inde ad animæ ponderandum valorem accedat aliquid. Nam si Emptor est sapiens & intelligens, si pretium sanguinis, quod datum est, non ignoratur, quid restat quin res empta judicetur cara & pretiosa? Aut si non ita judicatur, nec talis in usu & praxi habetur, unde id fieri potest nisi quod de pretio rei emptæ vel de Emptoris sapientiâ minus dignè sentiatur ?

Itaq

Deut. 4. In Man. c. 24. Itane verò Christo detrahere velles & in Deum blasphemare ? *Custodite igitur solicitè animas vestras* ! O ANIMA *mea*, inquiebat S. Augustinus, *insignita Dei imagine, redempta Christi Sanguine, dilige illum à quo tantùm dilecta es, intende illi qui intendit tibi, quare quarentem te, esto solicita cum solicito, cum vacante vacans, &c.*

Serm. 3. de Sap. Adv. Et aptè sanctus Bernardus, *Quid ego infœlix quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus Sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini Sanguinem collegissem, esseteque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto ? Et certè id servandum accepi, pro quo Mercator non insipiens, ipsa utique sapientia, sanguinem illum dedit : sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & multo plura quàm vitreis imminere pericula videantur.* Expavesce ad hæc & prospice cautius.

Vide suprà in hac parte, Feria 6. hebdomadæ Quinquagesimæ : Et in 3. parte, Feria 2. hebdom. 1. post Oct. Pentecostes.

HAC HEBDOMADA, dum apparet Christus duobus Discipulis peregrinantibus, apparet charitas *quæ non est ambitiosa* ; & cum huius apparitionis multæ occurrant circumstantiæ valde considerandæ ; multi etiam ambitionis se offerunt actus, quibus vera charitas sese opponit, & de quibus in singulos hebd dies.

FERIA SECUNDA.

CHRISTUS APPARENS PEREGRINIS in habitu Peregrini, ostendere incipit Charitatem minimè ambitiosam.

Ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

Sicut vinum novum, sic novus honor maximè temperandus.

RATIO est manifesta, quia idcirco vinum novum maximè temperandum est, quod novitate sua blandiùs excitet ad potum, & facilius inebriet.

Sed novus honor ita blanditur, & suo modo mentem inebriat.

Ergo maximè est temperandus ; neque minus ac vinum novum.

I. PUNCTUM.

ILLA ipsa die resurrectionis Domini, ut ait sanctus Lucas, *duo ex Discipulis ibant in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus : & ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dùm fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis : oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.*

Ex his paucis, primò intellige Christum Dominum his duobus peregrinis, ut peregrinum apparuisse, sic enim postea peregrinum vocant, *Tu solus*, inquiunt, *peregrinus es in Ierusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in illa, his diebus* ; Sic & Divus Gregorius, *quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente.* Hom. 23. in Evang.

Deinde verò expende quanta charitate, & quàm longè remota ab omni ambitione, se Dominus velut peregrinum peregrinis conjunxerit ! Fuit ille quidem semper omni honore & gloria dignus, sed post resurrectionem, cùm à statu vitæ mortalis & passibilis transisset in aliud vitæ genus longè sublimius & gloriosius; certè hic humilis peregrini status & habitus longè minùs ei convenire videbatur ; Et tamen quod ante mortem & resurrectionem non legitur fecisse, ita se modò demisit & humiliavit, ut quo tempore in sta-

cum glorioſiorem evectus fuerat, ipſe ſe in humiliorem demittat! ô charitatem verè humilem & verè non ambitioſam!

Quàm longè aliter homines ſentiunt, qui dum ad novos honores evehuntur, nova etiam omnia ſtatim volunt; habitum, ſervos, domos, ſupellectilem, & univerſa quæq; conformia ſuo novo ſtatui, adeo ut ipſe eorum animus immutetur, & ita depravetur, ut qui probatis ante erant moribus, inſoleſcant, & velut ebrii à ſana mente dimoti videantur: *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis* Pſ. 106. *Sapientia eorum devorata eſt.* Hinc ergo Veritas aptè proponitur; *Vt ſicut vinum novum, ita novus honor, exemplo Chriſti Domini, temperetur.* Hoc enim habet vinum novum utſua novitate blandius excitet ad frequentiores potus, & quia nondum ſatis ematuruit & decoctum eſt, facilius etiam inebriet niſi valde temperetur, unde Sapiens de hoc præcipuè: *Ne in-* Prov. 23. *tueariſ vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, & in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet: oculi tui videbunt extraneas, & cortuum loquetur perverſa. Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo: & dices, verberaverunt me ſed nō dolui; traxerunt me & ego non ſenſi, quando evigilabo & rurſus vina reperiam?* Hæc eſt inſenſibilitas humani cordis in ſuis miſeriis, valde deploranda!

II. PUNCTUM.

SED novus honor ita blanditur, & mentem ſuo modo inebriat.

Sic paſſim Scriptura loquitur; *Væ corona ſu-* Iſaiæ 28. *perbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti: pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum.* Et poſt pauca: *neſcierunt præ ebri etate, abſorpti ſunt à vino; erraverunt in ebrietate, neſcierunt videre tem, ignoraverunt judicium:* Id eſt, ſui omnino obliti velut ebrii, neque rationem, neque ſe admonentes audiunt. Et alibi: *Quomodo* Habac. 2. *vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus & non decorabitur.* Quæ autem ſequuntur, aptè deſcribunt hunc virum ſuperbum & ſuo novo ſtatu inſoleſcente, ac proindè ſe riſui & contemptui exponentem; ſic enim pergit Propheta: *Qui dilataverit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimplētur, & congregavit ad ſe omnes gentes, & coacervavit ad ſe omnes populos. Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur; væ ei qui multiplicat non ſua; uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum? Nunquid non repente conſurgent qui mordeant te, & ſuſcitabunt lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Quaſi diceret; ſic ſe ſuperbus effert, ut vellet omnes homines in ſe unum intentos; verùm ſuâ illâ elatione ita ſe ridiculū præbet, ut, quotquot eum vident, deſpiciant; *Nam*, ut Sapiens refert, *ſicut eructant præcordia* Eccleſiæ. *fœtentium, & ſicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborum;* Id eſt, cùm ſuperbus maximè diſpliceat aliis, non id advertit, & falsò perſuaſus ſe honorati, ſic miſerè inducitur in errorem, & eò magis ſe ridendum exhibet, quo ſe magnificentius effert. Nonne hoc eſt eſſe ebrium? nonne hoc ſæpe vidiſti in aliis? At nonne tu etiam talis es viſus!

III. PUNCTUM.

SICVT igitur ne vinum novum inebriet, oportet ut maximè temperetur, ita honor novus:

Cùm non minus ſuo modo quàm vinū, mentem evertat, niſi temperetur. *in veſtitu ne glo-* Eccleſiæ. 11. *rieris unquam*, ait Sapiens, *nec in die honoris tui extollaris.* Idemque turſus, *Rectorem te poſue-* Ibid. 32. *runt? Noli extolli, eſto in illis, quaſi unus ex ipſis.* Certè hoc pavendum, ut qui ante ſuſceptum munus digni munere videbantur, poſtea verò ſe indignos reddant, *Nunquid cùm parvu-* 1. Reg. 15. *lus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es?* ait Sauli Samuel, perinde quaſi diceret, unde ergo iſta gloriatio poſtquam electus es ad hanc dignitatem, cùm ante electionem non ita ſuperbires? Ideone efferri debes contra Deum quia te Deus evexit altius? An Eccleſiæ. 32. non potius, quantò major es, tanto te in omnibus humiliare debes ut invenias gratiam? An neſcis quod ſicut Deus humiles exaltat, ſic exaltatos humiliat, niſi ſe humiliare conſervent??

Hoc admodum luculentè Daniel Regi Dan. 5. Balthazari, de ipſius Patre Nabuchodonozore declaravit: *Quando, inquit, elevatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam: depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria ejus ablata eſt, & à filiis hominum ejectus eſt.* Et poſt pauca: *Tu quoque filius eius Balthazar, non humiliaſti cor tuum, cùm ſcires hæc omnia;* & quæ plura pergit ad temperandos animos valde utilia.

Hoc-

Prov. 30. Hoc est unum ex tribus, per quæ ait Sapiens *moveri terram*, nempe *servus cum regnaverit*; & hoc idem est quartum, quod affirmat *sustineri non posse, nempe ancilla, cum fuerit hæres Dominæ suæ.*

Ibid.

Eccles. 18. *Memento paupertatis*, inquit alius, *in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis, in die divitiarum. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei:* Id est, facilis & penè subitaneus est transitus à bono statu in alium: & à fœlici in miserum: quapropter vivendum temperatè in illa rerum omnium suspensione & vicissitudine; nec nimis te abiicias & desperes humiliatus: neque nimis exultes & præsumas exaltatus. sed in medio quodam consistens, *& sicut Angelus Dei nec benedictione, nec maledictione movearis*, ut de Davide dicitur. 2. Reg 14.

Vide in hac parte, Dominica 2. Quadragesimæ.

FERIA TERTIA.

DE FAMILIARI COLLOQUIO Christi Domini cum Peregrinis.

Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

Hic ascendit ad summos, qui descendit ad infimos.

SENSUS est, quod quantò quis est major, tantò magis revera crescit, si se ad inferiores demittat.

RATIO est, quia tantò quis magis revera crescit, quanto apud Deum & apud homines in majori est pretio & æstimatione.

Sed qui se ad inferiores lubens demittit, hic majori est in pretio & æstimatione apud Deum & homines.

Ergo, hic etiam eo magis revera crescit, & meretur ascendere ad summos viros, qui sic descendit ad infimos.

I. PUNCTUM.

SIC pergit Dominus ostendere charitatem non ambitiosam, cùm statim, atque sese adjungit duobus peregrinis, se ita familiarem illis exhibet, quasi unus ex illis aut esset, aut esse vellet, nulla prorsus habita ratione suæ dignitatis. Sic enim Evangelista, *Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus? quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt. de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo.*

Hic siste, & primò illud expende, quantæ charitatis fuerit Christo Domino sic convenire mœrentes & de se solicitos discipulos; tùm quàm longè ab omni ambitione remota fuerit illa charitas, quæ ita familiariter eos interrogat, & audit colloquentes, ut inter socios & æquales nihil familiarius cogitari possit. Non sic mundani, non sic elati & superbi, qui quò ditiores & eminentiores sunt, eo magis pauperes & infimos dedignantur, ut præclarè Sapiens; *Venatio*, inquit, *leonis, onager in eremo; sic & pascua divitum, sunt pauperes; Et sicut abominatio est superbo, humilitas: sic & execratio divitis, pauper. Dives commotus confirmatur ab amicis suis, humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis. Diviti decepto multi recuperatores, locutus est superba, & justificaverunt illum; humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensatè, & non est datus ei locus, Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent; pauper locutus est, & dicunt, quis est hic, & si offenderit, subvertent illum.* Hæc est ambitionis humanæ jactantia & impietas, contra quam Christus Dominus nos docet hodie, quod postea dicebat Apostolus: *Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Eccles. 13. Rom. 1.

Quod ut facilius imiteris; disce ex Veri-

tate propositâ, nihil tibi unquam deperiturũ, si te ad inferiores demiseris; imo & hinc vel maximè promovendum & revera crescendum, atque ad summos viros ascensurum.

Quid est enim revera crescere, nisi apud Deum & homines in majori esse existimatione? Hoc uno constat omnis honor & gloria, si apud alios præclarè audias; & quò aliquis de se præclarius alios homines sentire & loqui putat, eò se gloria & honore auctum ac cumulatum credit. *Veruntamen vani filii hominũ, mendaces filii hominũ in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Quàm fallant & fallantur homines, suis in judiciis & opinionibus, quis non videt? Apud Deum simul & homines crescat & magnus sit oportet, qui revera crescere dicendus sit. Judicium enim Dei nec falli nec fallere potest: unde Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui ipsum commendat, ille probatus est, sed quẽ Deus commendat.* Ac propterea quando prædicatur futura magnitudo sancti Ioannis Baptistæ, aut cujuscunq; sanctorum, expressè additur, *coram Deo, vel in conspectu Dei*, quia, ut jam suprà ex S. Augustino relatum est, *qui ab hominibus solùm laudatur, vituperante vel non laudante Domino; non defendetur nec liberabitur ab hominibus, judicante & condemnante Domino.*

Ps. 61.
2. Cor. 10.
Luc. 1.

II. PUNCTUM.

SED qui se ad inferiores lubens demittit, majori est in pretio & existimatione apud Deum & homines.

Apud Deum quidem, tam certò constat quàm indubitatum est; à Deo talem humilitatis actum commendari; Quid autẽ crebrius & frequentius in scripturis? *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Quanto *magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiã; quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Quasi diceret Sapiens, quod sicut humilitate humilis Deum præcipuo quodam cultu honorat: ita & Deus humilem singulari quadam gratia & honore prosequitur.

Iob 22.
Eccles. 3.

Apud homines verò, ipsâ patet experientiâ, ipsoque animi sensu, quo vel movemur contra ambitiosos, vel quo ad humiles inclinamur. Nam quantum *odibilis est coram Deo & hominibus superbia*, ut ait Sapiens: tam jucunda & accepta est omnibus vera humilitas & modestia; Unde Dominus hoc etiam proponebat motivum ad virtutis commendationẽ contra vitium oppositum: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere; Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superius; tunc erit tibi gloria coram omnibus discumbentibus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.*

Ibid. 10.
Luc. 14.

Qua quidem parabola nihil ad rem nostram aptius poterat dici, quia simul comprehendit judicium Dei & hominum circa humilitatis actus, quod tale est universim, ut, quo se quis magis humiliat, eo magis æstimetur & probetur. *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Quid notius, quid crebrius inculcatum? Et tamen quid minus creditum?

Ps. 112.

III. PUNCTUM.

ERGO hic etiam magis revera crescit, *qui se ita ad inferiores demittit:* cùm sic apud Deũ & homines in majorem veniat existimationẽ & commendationem. Sic rursum Sapiens: *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Necnõ Apostolus: *Quod ascendit, quid est, nisi quia & descendit? Qui descendit, ipse est & qui ascendit.* Quæ primò dicuntur de Christo Domino, tùm de cæteris omnibus, qui ad ejus imitationẽ se libenter demittunt, & ad infimos quosque descendunt. Sic præclarè S. Bernardus; *Christus*, inquit, *cùm per naturam Divinitatis non haberet, quò crescere vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descensum quomodo crescere; invenit, veniens incarnari, pati, mori ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, qui resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vade & tu faciliter; neque enim ascendere potes, nisi descenderis.*

Prov. 29.
Ephes. 4.
Serm. 2. in Ascens. Dom.

Quæ cùm generatim de omni humilitatis actu valeant, tùm verò hîc, praxim applica ad eam virtutis partem, quæ à Christo imitanda proponitur; ut quoties incideris occasio, libẽter te demittas ad inferiores, si quos habes; vel ad ipsos qui occurrunt infimæ plebis homines. Cave hinc timeas, ne quid tibi honoris depereat,

depereat, cùm potiùs inde vel plurimum augeatur. Hoc & monebat Sapiens: *Congregationi pauperum affabilem te facito: Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi, pacifica in mansuetudine.* Quod & luculentè sanctus Jacobus; *Nolite*, inquit, *in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ*, quasi diceret, vos quibus hæc gloria collata est, ut in Iesum credatis, nolite divites præferre pauperibus, cùm potius pauperes Christus divitibus prætulerit; Sic enim subdit sanctus Apostolus; *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se? vos autem exhonorastis pauperem!* Tùm post pauca; *si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum, benefacitis: si autem personam accipitis, peccatum operamini redarguti à lege, quasi transgressores:* Hoc est, cùm diligendi sint omnes ex præcepto charitatis, ipsi etiam Divites sunt amandi & colendi, sed non ratione divitiarum seu personæ divitis in præjudicium & contemptum eorum qui non sunt divites.

Eccles. 4.

Jac. 2.

Nonne in hoc erras? An ita facile cum pauperibus atque divitibus conversaris? Cum his verò quando colloqueris, quæ sunt tua colloquia? Quid responderes Christo interrogãti; *Qui sunt hi sermones quos confertis ambulantes.* An de Iesu, vel de mundo? An de Cœlo vel de terra? *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit: Nos ex Deo sumus.* Loquela tua te manifestum faciet. *Et ex verbis tuis justificaberis aut condemnaberis.* In hoc diligenter attende. Et vide in hac parte Feria 4. hebd. 3. Quadragesimæ.

Joan. 3. 1. Joan. 4.

Matt. 12.

FERIA QVARTA.

CHRISTVS DE OPPROBRIIS SVÆ Passionis libenter audit & loquitur.

Quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes, & Principes nostri, in damnationem mortis, & Crucifixerunt eum. Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

Quæ sunt ambitioso detrimenta, hæc sunt humili lucra.

RATIO EST, Quia quicunque habent diversos & plane oppositos fines, opposita etiam sibi ducunt lucra & detrimenta.

Sed ambitiosus & humilis habent oppositos planè fines.

Ergo quæ sunt uni detrimenta, sunt alteri lucra.

I. PUNCTUM.

IN hoc etiam manifestè apparet charitas Christi longissimè ab omni fastu & ambitione remota, quòd tam libenter audit de suis opprobriis sermocinantes peregrinos, simulque cum illis loquitur, quàm libenter ambitiosus audiret & loqueretur de suis laudibus. Sic enim de Iesu Nazareno pergebant dicere: *Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel, & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt. Et ipse dixit ad eos. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Hæc omnia sigillatim expendi posse nt, sed illud inprimis quod nõ modò patient r Christus Dominus illos de sua probrosa condemnatione colloquentes sustinuit, sed etiam graviter arguit quod nondũ crederent, nec sibi persuadere vellent sic Christum fuisse con-

demnandum & probris afficiendum. Certè si quid ambitiosus vel tantillum oppropriì pateretur, nunquam probare cõtenderet se illud oportere pati, neque ita procuraret ab aliis sciri & credi, sicut forte divulgatur; quin potiùs de injustitia sibi illata, de reparando honore, de vindicta sumenda, deque amicis ad sui defensionem provocandis totus dissereret, nihilque aliud mente & sermone agita-
1. Reg. 22. ret; *Non est qui vicem meam doleat ex vobis*, dicebat Saul; Sic & superbus & oppropriì im-
Esth. 5. patiens Aman: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæũ Iudæum sedentem ante fores regias.* Sic videlicet ambitio & humilitas longè aliter movent & solicitant animum, circa infamiam & illata probra.

Atque hinc Veritas universim proposita & ad praxim singulariter commendata: *Vt quæ sunt ambitioso detrimenta, hæc sint humili lucra.* Quia scilicet quicunq; oppositos sibi statuunt fines, opposita etiam sibi ducunt lucra & detrimenta. Sint alii pecuniæ, & sint alii gloriæ appetentes; nonne quod illis esset detrimentum, istis erit lucrum? Quid magis illi caverent, & quid magis isti appeterent quam profundere pecunias, & splendidè vivere? ô quàm proindè juvat rectos sibi fines propo-
Eccles. 17. nere, & quàm sapienter Sapiens; *In fine hominis denudatio operum illius*; quod non modò de fine seu termino deficientis vitæ intelligas, sicut alibi dictum est: sed de fine seu intentione, quam quisque sibi præscribit, & de qua
Luc. 11. Dominus; *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebræ sint.*

II. PUNCTUM.

SED ambitiosus & humilis habent oppositos sibi fines.

Quid enim ille nisi apparere, extolli, magnificari, & præire cunctis? Quid iste contrà, nisi latere, subjici, sese demittere & subesse omnibus? Quæ quam diversa sint quis non
Luc. 22. videt? Unde Christus Dominus; *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut junior: & qui præcessor est sicut ministrator.* Quasi diceret, nõ est mirum Gentiles contendere de honore & primis gradibus, quia hunc sibi præfigunt finem; At vos longè ab ista contentione volo, quia vobis alius præfixus est finis. Audi ambitiosum: *In cœlum conscendam, super astra Dei* Is. 14. *exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Audi & humilem; *Ante Dominum, qui elegit me, potiùs* 2. Reg. 6. *quàm patrem tuum, & ludam & vilior fiã plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Utri te horum similiorem agnoscis?

III. PUNCTUM.

QVÆ sunt igitur ambitioso detrimenta, sunt humili lucra.

Nam cùm aliter non sint ambitioso detrimenta quàm quia repugnant eius fini; hac ipsa ratione sunt lucra humili, quia eius fini & intentioni respondent. Sic etiam è contra dici potest, quæ sunt ambitioso lucra, hæc sunt humili detrimenta: Id est, quæ ambitiosus appeteret & omni aviditate exciperet, hæc humilis refugit & non nisi renitens & invitus acceptat; unde Apostolus; *quæ mihi fuerunt* Phil. 3. *lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamè existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentũ feci & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Undè hoc maximè disces, quòd quando in humiliatione vel injuriis, te læsionem aut detrimentum aliquod accepisse putas, nõ aliunde putas quam quod ambitiosus es, & finem ambitionis in mente habes; nam si verè esses humilis, illud ipsum, quod putas detrimentũ tuum, tuum esset lucrum. *Superbia tantùm est,* Is. 30. *quiesce*, inquit aptè Propheta. Hæc est eminens scientia Iesu Christi cui te tamdiu studere oportet, donec hoc ipsum in te sentias *quod* Phil. 2. *& in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens:* Et quæ plura jam sæpe audivisti; sed an ex auditis profeceris, vide, & hæc divina monita sẽper in mente habe. *Nolite in sublime tolli:* NOLI Luc. 12. *altum sapere sed time.* NON *alta sapientes, sed* Rom. 11. *humilibus consentientes.* QUI *amat primatum &* 12. *gerere, Diotrephes, non recipit nos*, ait humilis & Ioan. 3. dilectus Christi Discipulus. Vide quæ passim alibi de humilitate.

FERIA

FERIA QVINTA.

CHRISTVS SCRIPTVRAS, QVÆ DE Ipso erant, Peregrinis interpretatur.

Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

Quo gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem.

Sensus est præcipuè de his, quos illas charitas, quæ non est ambitiosa, movet ad procurandam aliorum salutem, qua concionando, qua exhortando, qua instruendo, modis omnibus. Sic enim exemplum Christi Domini ad hoc pietatis officium, eos movet, ut, quo affectu fugiunt nobiles suggestus, id est, celebriores ad docendum vel concionandum cætus, & splendidiora subsellia: eodem petant villas, pagos, & similia minus splendida minusque speciosa loca.

RATIO est, quia quem movet vera charitas ad alienæ salutis curam, ita eum verè movet, ut quo passu & affectu saluti suæ vacat, eodem vacat alienæ, neque alteri alteræ salutis curæ, ullo modo præjudicet.

Atqui, ut salus propria & aliena sine ullo sui præjudicio procurentur, oportet, ut, sicut nobilis fugietur suggestus, ita & petatur ignobilis.

Ergo quo gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem. Quæ sanè charitas eò est pretiosior quò rarior.

I. PUNCTUM.

Hoc certè mirum est, quod Christus Dominus duos hosce Discipulos rudes adhuc & ignaros mysterii resurrectionis, tam diligenter & particulatim ex scripturis docere voluerit, ut quidquid Moyses, quidquid Psalmi & Prophetæ de hoc fidei articulo scripserant, solis illis seorsim in via retulerit & declararit: nihil verò Ierosolymis, ubi ad loquendum & docendum præcipua & nobilissima erat celebritas, nihil ex quo resurrexit apud Scribas & doctiores viros de sua resurrectione dixerit!

Hoc est scilicet, quod ipse ante Dominus miratus erat: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Matt. 11.

Hic est etiam maximè proprius illius charitatis effectus, quæ nō est ambitiosa, hic eius motus & affectus; *Vt quo gressu nobilem fugit suggestum, eodem petat ignobilem:* Nec se minus libenter communicet parvulis & rudibus, quàm studiosè refugit alios; Quia videlicet illa est sincera Charitas, qua qui movetur, sic propriæ & alienæ saluti vacat, neutra ut alteri salutis cura præjudicet. Hæc enim charitas à Deo est, *quæ autem sunt à Deo, sunt ordinata;* Rom. 13. & quæ sunt à Deo ordinata, non sibi obstant, sed sese potius juvant, sicut nec Deus sibi est ullo modo contrarius. *Non est enim Deus dissensionis,* 1. Cor. 14. Id est, confusionis & perturbati ordinis sed pacis, ait Apostolus, qui & suo Timotheo utramque salutem ex æquo commendans: *Attende,* inquit, *lectioni, exhortationi &* 1. Tim. 4. *doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ: Insta in illis; hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* O verè ordinatum & instructum à charitate hominem, qui sic alios instruit, ut se non destruat: & qui sic sibi attendit ut aliis æquè intendat.

II. PUNCTUM.

ATQVI ut salus propria & aliena sine ullo sui præjudicio procuretur, oportet ut sicut nobilis fugietur suggestus, ita & petatur ignobilis.

Sic enim, dum fugitur nobilis, propria salus in tuto est: dum petitur verò ignobilis, aliena salus comparatur: quæ utraque salus & perfectio

perfectio sanè periret aut periclitaretur, si converso propositionis ordine, ignobilem fugeres suggestum, & nobilem peteres. Nam etsi apud nobiles & potentes aliquid cum Dei gratia possis efficere, tamen id rarius & suspectum est, si maximè id ambias & appetas. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Sic ipse Deus, & multò plura passim comminatur. Sicut enim prima Prædicantis conditio & commendatio est Missio, juxta illud Apostoli, *quomodo prædicabunt nisi mittantur*, & nisi ostendant se à Deo vocatos ad hoc ministerium; sic planè si desit talis missio & vocatio, prima est sese ingerentis condemnatio. *Væ Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum!* At nonne is manifestè dicendus est sequi spiritum suum, qui ex ambitione nobilem sibi quærat locum?

Ier. 23.

Rom. 10.

Ezech. 13.

In humili verò & ignobili loco nihil talis periculi, & latus ad animarum salutem aperitur campus. Verè enim de Evangelica veritate id dici potest quod Psaltes: *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ;* Auditur quidem veritas in magnis civitatibus & cætibus, sed invenitur in campis inter agrestes & pauperes. Hi sunt nempe *qui Evangelizantur; & talium est regnum cœlorum.* His prima, nato Christo, prædicatio Evangelii facta est ab Angelo; & his natus Salvator singulariter & quasi præ aliis nuntiatur; hi demum soli ad eum invisendum invitantur, & hi sunt qui primi aliis ipsum natum prædicant; sicut & resurgentem hi duo rudes Discipuli cæteris nuntiant quos ipse Dominus idcirco præ aliis docuit.

Psal. 131.

Matt. 11. Luc. 2.

1. Cor. 1. O quàm verè dictum ab Apostolo: *Videte vocationem vestram: quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.*

III. PUNCTUM.

QVO igitur gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem; quantùm quidem ex se est, suâque in electione & potestate: nam si jubeatur nobilem conscendere, patebit & omnibus omnia fiet, ut omnes Christo lucrifaciat: si verò sibi relinquatur nec aliter à Deo viderit ordinatũ; quàm verè ordinata & sincera erit charitas, tam verè fugiet quæ saluti propriæ nocent, quales sunt hi nobiles cætus & suggestus qui ambiuntur; & tam verè petet ignobiles, ubi alienæ saluti fructuosius ac sine ullo propriæ salutis damno vacet. *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando:* quasi diceret Apostolus; sic utrumque simul tempera, ut neque vacando saluti alienæ, præjudices tuæ; neque ita tuæ vaces ut desis alienæ. *Quis enim*, ut ait Sapiens, *miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis?* At certè ii sunt qui non vocati & non jussi se obtrudunt nobilibus illis suggestis, ubi apud viros dicant primarios: Ii sunt inquã, qui se ultrò lethalibus exponunt periculis, nec ulla miseratione digni censentur, meritòque suæ præsumptionis pœnas luant. Nam si Ezechieli quamtumvis vocato & jusso dicitur, *quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas;* quantò magis non vocatis & non missis? Licet enim futuri sint Auditores benigni & à quibus nihil videatur timendum: ista tamen benignitas & popularis favor, non minus sæpè obest, quàm inculta & agrestis nonnullorum austeritas.

1. Tim. 5.

Eccles. 11.

Ezech. 2.

Quidquid sit autem de humana gratia, sanè Christus iram & justitiam, in illos potius quam misericordiam, nisi resipiscant, apertè denunciat, cùm in Apocalypsi, viro alioquin Apostolico, imò & Angelico sic graviter per Ioannem scribit: *scio opera tua, & laborem & patientiam tuam*; Et post multa quibus insigniter commendatur; *Sed habeo*, inquit, *adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti*: primum videlicet illum fervorem, quo suæ simul ac alienæ indivisim saluti laborabat; unde & pergit quod tibi applices: *Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Id est, nisi te revocaveris ab insana illa mente, qua prætextu salutis alienæ, salutem tuam in discrimen vocas. *Eiice primum trabem de oculo tuo.*

Apoc. 2.

Matth. 7.

Vide in 1. parte, Die 31. Decembris.

FERIA

FERIA SEXTA.

CHRISTO LOQVENTE PEREGRINIS, inardescunt eorum corda.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

Colloquendo de divinis, quantò magis luces quàm ardes: tantò minus in te divina lucet charitas.

RATIO EST, Quia tantò minus divina lucet charitas, quantò minùs purè Deum unum spectas.
Sed loquendo de divinis, quanto magis luces quàm ardes, minus purè Deum unum spectas.
Ergo & tunc tanto minus in te lucet divina illa charitas, quæ non est ambitiosa, & quæ magis corda pungit quàm ungit.

I. PUNCTUM.

QUæ huc referuntur peregrinorum verba de ardenti ipsorum corde, licet prolata tantùm fuerint in castello, ubi recumbebant, & postquàm ex eorum oculis Christus evanuit, sicut in sequenti consideratione videbitur: quia tamen reipsa ille ardor cordium excitatus fuit, dum loqueretur eis Christus, sic de ipso ardore ut aliquid meditetis, magis hic opportunè videtur præmittendum quàm differendum.

Cùm itaq; Dominus varias de se interpretaretur scripturas, non solum hoc agebat in peregrinorũ animis ut eos de fide resurrectionis plenè instrueret, sed ut eorum affectũ planè moveret, vel in Deum, qui sic mundum dilexerat ut Filium suum unigenitum daret: vel in ipsum Filium, qui se immolandum permiserat, per tot supplicia & opprobria: vel in divinam justitiam cui semel offensæ sic reparãdum fuit; vel in sua ipsorum peccata quæ tali victima fuerunt expianda: vel in amorem patiendi, pro æternæ suæ salutis desiderio, cùm Christum oportuerit tanta pati ut intraret in gloriam suam: vel denique in similem pium animi motum, se ita permotos sentiebãt duo isti Discipuli, ut quo tempore eum audirent loquentem, non modò intelligerent quid loqueretur, sed amarent quod intelligebant, & vellent exequi quod amabant. O verè *ignitum eloquium Domini vehementer.* *Ps. 118.*

Hæc est videlicet charitas minimè ambitiosa, quæ magis planctum quàm plausum quærit, quæ plus prodesse quam placere desiderat, & quæ plus ardet quàm lucet. Quod quia plurimum ad quotidianam praxim valet, idcirco præcipua est consideratione dignum; & quàm longè errent à vera charitate, qui malunt in dicendo lucere quam ardere, non potuit evidentius demonstrari quàm Veritate proposita de divinis & spiritualibus colloquiis, sive quæ ex plano, sive quæ ex superiore suggestu, sive in concionando sive in exhortando habentur, quocunque tandem modo de divinis loquaris, *quantò magis loquendo lucere appetes, quàm ardere: tantò minus in te relucebit divina Charitas.*

Ratio est aperta, quia cùm sine dubio charitas unum purè Deum spectet in omnibus, & illud sibi Prophetæ singulariter applicet, *Mihi adhærere Deo, bonum est*; profectò quantò minus apparebis ita Deum purè spectare, minus etiam relucebit charitas, minùs spectabitur & agnoscetur. Sic enim arbor ex fructu agnoscitur, sic ab effectu causa, vel à causis effectus. *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Ipse loquitur quem nihil fallit; & ipsum nihil fallit, *in cuius conspectu non est ulla creatura invisibilis: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* *Ps. 72.* *Ioan. 5.* *Hebr. 4.*

II. PUNCTUM.

SED *loquendo de divinis, quantò magis lucet quàm ardes, tantò minus purè Deum spectas.*

Non est malum lucere, si in bonum finem dirigatur, sed si plus nimio luceas: plus autem

simio lucere dicendus est, qui magis lucet quam ardet, id est, qui magis docet, quã mover, qui magis intellectum illustrat quàm voluntatem accendat. Nam cum finis lucendi sit ardor, cũ lucere debeat discursus ut ardeat, cum sit illustrandus intellectus ut voluntas accendatur: certè qui plus lucet quam ardet, perinde facit atq; is, qui plus in mediis quàm in fine poneret, plus in medicina, quàm in sanitate; plus in utendo quàm fruendo; quod
2. Macch. 8. omni repugnat rationi & disciplinæ. *Nõ propter locum, gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit:* Quasi diceretur, quæcunque sunt illius loci bona vel mala, non propter ipsum locum immissa sunt, sed propter gentem, cujus gratia locus electus est: quia sic omnia media sunt in finem suum referenda, ut nihil sit in mediis boni, nisi quantum ad finem referri potest illud bonum: ac proinde si bonum illud medii, impediret finem, jam non esset bonum sed malum.

Quibus ita præsuppositis, evidenter patet, quod si magis luces quàm ardes, nõ purè spectas Deum; nisi enim pro fine Deum habeas, non spectas purè Deum: at quomodo dici poteris Deum pro fine te habere, qui finem dicendi à Deo positum non habeas? Quis sit autem ille finis, jam dictum est esse ardorem nõ lucem; tu verò lucem non ardorẽ pro fine habes, si plus luces quam ardes: nam quorsum illud lucere majus, quam ardere nisi quia magis id spectas & intendis? an vero id propter Deum spectes & intendas, longè minus credi potest quàm si de ardore magis cogitares; nã in lucendo quidquid naturæ corruptæ placet, facilius reperitur, quam ardendo. Quid est quod naturæ placet, nisi placere aliis, doctrinæ laudem aucupari, & uno verbo apud homines commendari, quæ omnia lucendo, id est, docendo & orationem verbis aut figuris illustrando proveniunt, aut certè prætenduntur. Itaque porrò spectetur Deus! an quid magis contrarium Deo purè spectando, quàm
Gal. 1. ista vanitas placendi auribus? *An quæro hominibus placere?* aiebat Divinus Apostolus, *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Ac proinde non *in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis*, ne nimis forte luceret, sed *in Virtute Dei*, ut magis ardere posset, loquebatur. *Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis; sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.* O quæ doctrina
1. Cor. 2. Ibid.

spiritus, qui idcirco in linguis descẽdit igneis, ut non splendida sed ardentia promerentur verba. *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Respondè, & te his sine conteri verbis, quod illa ignita non quæras verba. Ier. 23.

III. PUNCTUM.

QUANDO itaque de divinis sermo & colloquia conferuntur; quantò magis luces quam ardes, tantò minus in te divina relucet charitas; quæ cùm unum purè Deum spectet, tantò minus lucet & apparet, quantò minus Deum spectare agnoscitur: at tùm certè minus agnoscitur, cùm splendorem potius quã ardorem in animos vibrat. *Sic Deus noster, ignis consumens est.* Sic mons ille, in quo legem & præcepta dedit, totus ardere videbatur. Sic lex ipsa dicitur ignea. *Et omnis sermo Dei ignitus. Sic Elias quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.* Sic S. Ioannes Baptista, *erat lucerna ardens & lucens: NON ait lucens & ardens*, inquit S. Bernardus, *quia Ioannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim, qui non eo lucent quia fervent, sed magis fervere ut luceant, at isti planè non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis.* Deut. 4. Hebr. 12. Deut. 33. Prov. 30. Eccles. 48. Ioan. 5. Serm. in Nat. S. Ioan. Baptist.

Verum repetenda paulo altius, quæ de hoc ipso argumento idem habet in eodem sermone, quibus mirum quantum proposita Veritas confirmetur. *Est enim*, inquit, *tantùm lucere, vanum: tantum ardere, parum: ardere & lucere, perfectum. Avaũ quid dicat scriptura: sapiens permanet ut sol: stultus autem ut luna mutatur. Quia enim splendet luna sine fervore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur: mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt: modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit vel laudare. At verò solis splendor ignitus est, & cùm fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet, & si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis, ut pater suus, qui videt in abscondito, reddat ei. Va nobis fratres, si luxerimus tantùm. Nam lucernas quidem & magnificamur ab hominibus;*

minibus, sed mihi pro minimo est, ut ab humano judicer die: qui enim judicat me Dominus est, qui servorem ab omnibus exigit, splendorem verò non vult. Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.

Et post multa, concludens exemplo sancti Ioannis, qui occubuit pro veritate fœliciter; *ferveat*, inquit, *etiam in nobis zelus iste, Carissimi. Ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo: Nemo, quod in se est, æquanimiter ferat cùm viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cùm arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes maneat & consentientes.* Addo hic, quod idē Sanctus monet, aut quisquis est Author sermonis de duobus peregrinis, qui habetur inter eius sermones: *Quoties*, inquit, *in nobismetipsis marcescit anima nostra, & posident nos dies afflictionis, ad memoriam revocemus, quid aliquando in oratione senserimus, qualiter locutus nobis sit Dominus: nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Ardoris quidem sensus potest deficere, sed vigere debet semper effectus. *Fer. 2. Paschæ.*

Videin 3. parte, die 4. Augusti.

SABBATO.

CHRISTUS DOMINUS ROGANTIBUS SE Peregrinis, ut secum maneat, acquiescit.

Mane nobiscum, quoniam advesperascit. Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

In dubio, certius est, & rationi conformius, aliorū rationi te conformare quam propriæ.

RATIO EST, Quia quod propius accedit & nos ducit ad divinam voluntatem, hoc est certius & rationi conformius.

Sed in dubio, se aliorum rationi potiùs conformare quàm propria, hoc est, quod propius accedit & nos ducit ad divinam voluntatem.

Ergo id est etiam certius & rationi conformius, nec non exemplo Christi Domini, qui sic rationi peregrinorum & voluntati se conformavit.

I. PUNCTUM.

ET appropinquaverunt castello quò ibant, & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes, Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis; Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum.

Hæc Sacer Evangelista: ex quibus facillimè intelliges, quanta facilitate Christus Dominus acquieverit voluntati Discipulorum, & rationi quam protulerunt, ut ei dissuaderent à longiori via; quod scilicet inclinata jā esset dies. Pater etiam quanta cùm humilitate & charitate minimè ambitiosa, ingressus fuerit exiguum illud domicilium, accubuerit mensæ, panem acceperit & porrexerit, ac denique se illis in omnibus parem aut inferiorē reddiderit Rex ille Gloriæ, Rex ille Regum & Dominus dominantiū? Non sic humana solet ambitio & superbia cedere aliis, nō sic alienæ se conformare rationi & voluntati: sed sibi potius omnes subjicere & in suam attrahere dominationem. Vnde *inter superbos semper jurgia sunt*, ut ait Sapiens, *& ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem humilitas est, ibi & sapientia*; qua fit, *Vt in quovis dubio judicetur certius & rationi conformius, aliorum rationi se conformare potius quam propriæ.* *Prov. 13. Ibid. 10.*

Quæ certè Veritas cùm in quotidiano & frequenti sit usu, plurimum expendi debet, ne quid contra peccetur. Sic autem facile declaratur, quia quod accedit propius, & quod rectius ac securius nos ducit ad divinā voluntatem cognoscendam & faciendam, illud est sine controversia semper certius & aliis omnibus præferendū. Quid enim quærimus, aut certè quid aliud à nobis quærendū est, quàm quod ita commendat Apostolus, dum ait, *non cessamus, pro vobis orantes & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia* *Coloss. 1.*

pientia & intellectu spirituali, ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei. Rursum ibidem; *Semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei,* Expende illud *omni*, nempe ut sæpe dictum est, in substantia, in modo, & in fine rei cujuslibet peragendæ; quæ est voluntas illa triplex, de qua idem Apostolus *ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta*; Neque enim aliter dici potest fieri omnis Dei voluntas, nisi fiat, quod præcipit, & quo modo vult fieri, ac tandem quia sic illi placet. Si quod horum trium omittatur, licet alia duo permaneant, pavendum illud audietur; *Non est mihi voluntas in vobis*, id est, quandoquidem vobis non placeo, neque mihi placetis. Potestne aliquid audiri gravius?

Ibid. 4.

Rom. 12.

Mal. 1.

II. PUNCTUM.

SED in dubio, se aliorum rationi & voluntati conformare potius quam propriæ, hoc est, quod accedit propius & quod nos ducit securius ad divinam cognoscendam & faciendam voluntatem.

Primò quidem sic fieri potest, ut alter de repræsenti melius sapiat & sentiat quam nos; unde eius consilio acquiescentes *quod bonum est tenebimus, & ab omni specie mala nos abstinebimus*, ut est apud Apostolum. Deinde verò quotiescunque minus est propriæ nostræ voluntatis in quovis nostro negotio, plus esse potest divinæ; cui nihil est adeo contrarium ac nostra voluntas, disertè sanctus Bernardus: *voluntatem*, inquit, *dico propriam, qua non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum. Hæc adversus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam: Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, & infernus non erit.*

1. Thess. 5.

Serm. 3. de Resurr. Dom.

Denique, cum hoc fit propriū divinæ providentiæ, unumquemq; nostrum regere potius per alium quam per nos ipsos; certè qui se regendum sinet, is propius semper accedit ad illam divinam ordinationem & voluntatem, quàm si relicto aliorum consilio sibi confideret. Sic aptè Sapiens: *Simplicitas justorum diriget eos*, Et rursum: *Justitia simplicis diriget viam eius.* Id est, sicut simplices se sinunt facile regi, sic etiam securius reguntur, & tutius diriguntur ad voluntatem Dei perficiendā, quàm qui non sic se sinunt regi: Quando hæc sola esset simplicitas & humilitas, quâ qui se aliorum rationi summittit potius quam suo credat ingenio, sic Deo grata & accepta est, ut expresse dicatur, *voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant.*

Prov. 11.

Ibid.

Neque alia certitudo certior de divina voluntate in his ipsis operibus, quæ de se bona, dicuntur, haberi potest, quàm si non ex propria voluntate sed alieno potius fiant ductu: quia videlicet nihil est tutius ad voluntatem Dei perficiendam, quam sic regi & dirigi, ut sæpe alias dictū. Quantò id verius & certius in dubiis & incertis operibus? Nam si tam grande malum est voluntas propria, ut quæ post Esaiam sunt apertè bona, bona tamen non sint, quia sunt ex voluntate propria potius quā divina, quantò id magis timendum esset in aliis, quæ non sunt tam manifestè bona: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra! nunquid tale est jejunium quod elegi?* Quodnam verò est quod elegit? quodnam est signum eius electionis? nempe, *dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua.* Hoc est enim quod sequitur in propheta. Hoc est signum voluntatis divinæ. Hæc eius nota certior, & certitudo notior, si in re agenda non tuo sed alieno potius ducaris consilio. Vellesne reluctari tam apertæ Veritati?

In 1. parte hebd. 3. post Epiphan.

Isai. 58.

III. PUNCTUM.

IN dubiis igitur & incertis hoc est certius & rectioni conformius, aliorum se potius conformare rationi quam propriæ; quia sic certius ad divinam accedimus voluntatem, in qua perfectè adimplenda, ut non semel audivisti, tota vitæ nostræ ratio & firmamentum consistit; *sapientes voluntatem Dei ex animo*, inquit Apostolus loquens de servitio exhibendo Dominis carnalibus, in quorum voluntate ait voluntatem Dei contineri quam servi faciant, quoties Dominis suis obedient. Sic proportione quadam servata, tenendum est, quod, quando in negotio vel quovis rei agendæ occursu dubitatur de divina voluntate, certius illa dignoscitur & adimpletur ex aliorū consilio & ductu quā nostro proprio. Licet enim alius in illo dubio æquè possit errare atque nos; nos tamen eius potius voluntati quam nostræ obsequentes, minus errabimus quam si nobis solum credidissemus. Nihil ad pacem & veram libertatem securius, ut expresse habes

Ephes. 6.

bes in libro de Imitatione Christi; ubi sic Dominus: *Fili, nunc docebo te viam pacis & veræ libertatis: stude fili, alterius potius facere voluntatem quam tuam. A DOMINO egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum.* Sic parentes Rebeccæ, sic alii quivis probati viri de divina voluntate sentiunt & fatentur se melius eam per alios quam per se nosse.

l. 3. c. 23.

Gen. 24.

Quid quod ipse Dominus nihil ex se, nihil ex propria se voluntate facere toties professus est. Et quod magis mirum, non modò ex Divini Patris nutu totus pendebat, sed ex ipsis hominibus, quos vitæ suæ rectores habuit & quodammodo directores, unde aptè S. Bernardus, *Attende quid fecerit magni consilii Angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio vel magis voluntati mulieris unius, beatam Virginem loquor, & fabri pauperis; ipse est Ioseph.* Et nonnullis interjectis tandem concludit, *Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum ipsa Sapientia deserit?* Vide infra, Feria 5 quæ est Ascensionis Octava.

Ioan. 5.

Serm. 3. de Resurr. Dom.

DOMINICA III. POST PASCHA.

DE TRISTITIA ET GAUDIO APOSTOLORUM EX ABSENTIA ET PRÆSENTIA DOMINI.

Evangelii hodierni tres distingui possunt & considerari partes, quæ tamen eodem tendunt, ut confortemur in adversis.

Prima his continetur verbis. *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem:* Et quæ sequuntur de dubio Apostolorum circa hæc verba.

Secunda, cùm Dominum interrogare vellent Apostoli, nec auderent, sic ipse sermonem continuavit, *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Tertia proponit similitudinem, quâ ex tristitia gaudium nasci apparet. *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem peperit filium, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundũ. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Horum autem omnium literalis sensus duplex esse potest. Primus, ut modicũ illud tempus, quo Apostoli non essent visuri Christum, & inde tristes futuri, sit tempus passionis, nempe illud triduum quo passus, mortuus & sepultus jacuit in sepulchro. Tempus verò quo eum rursus visuri essent & gavisuri, tempus sit quo resurgens Dominus sua illos præsentia recreavit.

Alter sensus est, ut tempus tristitiæ Apostolorum, & absentia Christi, sit totum tempus, quo vixerunt Apostoli, multumque laborarunt in disseminando Evangelio, ac veluti parienda salute proximi: tempus autem eorum gaudii & præsentia Domini sit beatitudo æterna qua perfruuntur. Ex quibus omnibus, quæ sunt magis moralia & practica ut facilius eruantur, tres ex unaquaque parte proponuntur veritates.

Ex Prima Evangelii parte, de modico vitæ tempore.

1 VERITAS PRACTICA.

Nil tam modicè creditur quàm modicum vitæ tempus, cùm nil tamen sit tam credibile.

RATIO posteriorem partis, quæ magis declaranda videtur, hæc est, quòd nil sit tam credibile quàm quod sensu, ratione, & scripturarum authoritate quæ fidem divinam faciat, percipitur, ac ipsis quodammodo cernitur oculis.

Sed tale est modi cum vitæ tempus, ut sensu simul percipiatur & ratione & fide divina, quæ ex multa & plana scripturarum authoritate concipitur.

Ergo nil tam credibile, licet nihil minùs credatur.

I. PUNCTUM.

MODICUM illud tempus de quo Dominus in Evangelio, sanctus Augustinus ad totum vitæ nostræ tempus, imò & ad totum præsentis sæculi spatium transferens; *Modicum*, inquit, *est hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum.* Sic inter suos insignis ille & grandævus Eleazarus affirmabat se libenter moriturum, ne alioquin juniores *propter modicum corruptius vitæ tempus deciperentur.* Sic apertè sanctus Jacobus; *quid est vita vestra? vapor est ad modicum parens.* Quamobrem hic opportunè de hoc modico vitæ tempore, *Quod tam modicè creditur, ut nihil minus credatur, cùm nihil tamen sit tam credibile.*

Tract. 101 in Ioan.

2. Mach. 6

Iac. 4.

Quòd non credatur, evidentius est quam ut probetur, & deplorandum potius quam enarretur: sicut enim si modicum illud tam breve & evanidum esse crederetur, sicut Scripturæ referunt esse breve & citissimum, vix ullus esset hominum, qui non sibi cautius de sua provideret æternitate, quæ ex illo pendet modico & momento: sic cùm apertè pateat vix ullum esse, qui de sempiterno illo futuræ vitæ statu seriò cogitet & prospiciat, nonne hinc evidens est, quòd non credatur tam breve quàm dicitur? nonne hoc unum respondent omnes, se aliquando provisuros, nonne hoc apertè cogitant, satis esse longum vitæ tempus, satis superesse spatii quo sibi consulant, nunc se aliis distētos esse negotiis, & futuris anteferenda præsentia quæ magis urgent? O verè *nequam sæculum*, quod sic nequiter suos fallit & dementat. *Tenent tympanum & citharam & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Id est, scientiam illam quæ ad Deum ducit, scientiam illam sanctorum & salutis, quæsita est in contemptu præsentium, ex cogitatione vanitatis eorum & brevitatis. Hanc pene omnes rejiciunt, quia longè aliud de præsenti vita sibi persuadent & promittunt. Unde ibidem paucis interjectis; *Interrogate*, inquit Jobus, *quemlibet de victoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*

Gal. 1.

Iob. 21.

Ibid.

Alterum itaque, quod nil sit tam credibile, magis explicandum videtur. Neq; verò videtur planiùs posse demonstrari, quàm si sensu simul & humana ratione ac divina authoritate convincatur ita esse. Non quòd tria illa simul concurrant ad unum fidei actum, cùm sæpius impediant, juxta illud Divi Gregorii; *non habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum*; sed quòd unumquodq; ex his tribus seorsim possit ita rei cuivis credendæ credibilitatem advehere, ut si solum unum esset, rem tamen credibilem faceret; unde illud accedit commodi, ut quando tria illa conveniunt ad unam eandemque rem affirmandam, vix ullus dubitare, vix ullus eam negare possit; nam si uno quis ad credendum non ducatur, ducetur alio, si humana ratione non persuadetur, divinæ cedet authoritati; aut si forte hanc non satis reveretur, humanis assentietur persuasionibus; & ipso saltem sensu convincetur: atque ita rei fidem penitus abrogare non poterit.

Hom. 26.

Deinde verò, quod est valde observandū, cùm naturalis sensus & humana ratio plerumq; obstent, quo minus authoritati divinæ quam debemus fidem expeditè reddamus, si aliunde sensui sensus & humanæ rationi humana ratio se opponant, tunc quod obstabat divinæ fidei, tollitur; sublatoq; obstaculo, fides liberiùs & expeditiùs exercetur. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicē accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Quasi diceret Dominus, si gloriam non acciperetis ab invicem, posse tis credere; si verè gloriam à Deo quæreretis, non acciperetis ab invicem, sicq; illud tolleretis, quo sublato facilè crederetis. *Domine adauge nobis fidem*, diminue & tolle quod fidem impedit, sic enim crescunt boni habitus, quando decrescunt mali oppositi.

Ioan. 5.

Luc. 17.

II. PUNCTUM.

SED tale est modicum vitæ tempus, ut sensu simul percipiatur & ratione, ac fide divina, quæ ex multa & plana Scripturarum authoritate concipitur.

Primò quidē id sensu patére dicitur, quan-

de ipsis intuemur oculis, quàm variis & momentaneis humana vita sit obnoxia casibus & procellis; quàm facilè lethalis hauritur aër; quàm citò pravus ac malignus humor in fauces decidit & viros alioquin sanos suffocat: quàm prompti ad iram animi: quàm velox ex ira cædes: quàm sunt perfidæ hominum mentes, quàm parùm tuta & secura sint loca & tempora. Et licet ipsa trahatur ad aliquot annos vita, quantis illa succutitur periculis! quantis interciditur impendentium malorũ pavoribus! ac tandem ubi finitur, quis non sentit quàm sit illud totùm breve quod desinit, si præcipuè consideret, quàm sit illud lõgum quod incipit? *Dies nostri quasi umbra & nulla est mora. VMBRÆ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri.* Hoc probi simul & improbi, sensu communi testantur. 1. Par. 29. Sap. 29.

Deinde verò, ratio tantæ brevitatis tam multiplex afferri posset, quàm multis humana vita considerari posset modis: vel enim in se perspicitur ac in suis causis sive naturalibus sive moralibus, & sat apertam ibi suæ fragilitatis radicem invenit. Nam quid est corpus humanum, nisi mortis officina & sepulchrũ gestabile? *Quid enim aliud*, inquit S. Ambrosius, *nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento, jacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam terreni corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritis labe, puræ lucis vacuus mentẽ alit? hi sunt nostri funeris portitores.* Quæ S. Doctoris verba naturali sensu de quatuor elementis seu primis qualitatibus, quæ mortalem ac penè in horas morientem faciũt vitam possunt intelligi: vel morali dicto de pravis concupiscentiis, quæ non animæ tantùm sed & corpori vitam eripiunt. Tob. 5. in Lucam.

Quod si vitæ nostræ foris adjacentes adversarios & insidiantes hostes adverterimus, tot penè rationes occurrent momentanei nostri temporis, quot occurrunt & conspirant creaturæ jam ab ipso Creatore armatæ & instructæ omnes in ultionem perversitatis humanæ. Sap. 5.

Quid quod talè est à natura desideriũ perpetuandæ vitæ, ut quantumcunq; longa ducatur, brevis semper & modica sit dicenda, quia desiderio non satisfacit, imò etiam tantò magis acuitur, quo est vita longior, & quo plura sunt parta bona temporalia, quæ non nisi repugnanter deseruntur. *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccles. 41.

Adde quod cùm vix ullus sua sorte sit contentus, sed ultra semper & ultra, novas progrediendi vias sibi expendat, quibus vel divitiis vel honoribus vel quibuslibet vitæ commodis augeatur: ac mors interim derepente ingruat; Nonnè tùm excessurus, præcisas suas spes inclamabit, & tam breves queretur annos, quàm longè sua provehebat consilia? Nonne tùm eum Jobo dicet, *dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe.* Iob 7.

Deniq; quod est in hac materia præcipui ponderis, quia nunquam desitura sequitur vita, dum ad æternos illos consequentes annos præsens tempus referimus, planè liquet quàm verè dicat Sapiens: *Quid est homo, & quæ gratia illius? & quid est bonum aut quid nequam illius? numerus dierum hominum ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus sic exigui anni in die ævi.* Eccles. 18.

Jam quantis abundet Scriptura similibus dictis, restat expromere, ut si abessent cætera, quod est ad faciendam fidem potentius nobis non desit. Tam porrò sunt in his effusæ sacræ paginæ, ut quidquid est in universa terum mole deciduum & caducum, videanturà quatuor ipsis elemẽtis excerpsisse, notiorẽ ut nobis faciant hanc humanæ vitæ caducitatẽ.

Primò quidem à terra sic comparationem instituunt, *Homo sicut fœnum dies ejus, tanquã flos agri sic apparebit. TANQVAM fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. MANE sicut herba transeat, mane floreat & transeat: vespere decidat, induret & arescat. TANQVAM memoria hospitis unius diei prætereuntis. Tanquam umbra & tanquam nuntius percurrens DIES mei velociores cursore.* Psal. 102. Psal 36. Psal. 89. Sap. 5. Iob. 9.

Secundò sic ab aquis. *Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur, quæ non revertuntur super terram. AD nihilum devenient tanquam aqua decurrens. TANQVAM navis quæ pertransit fluctuantem aquam. QVASI naves pompa portantes*, quæ videlicet celerius properant, sive id à ventis proveniat, propter levitatem oneris; sive ex industria navigantium, ne corrumpatur fructus. *TANQVAM spuma gracilis quæ à procella dispergitur.* 2. Reg. 14. Psal. 57. Sap. 5. Iob. 9. Iob. 21.

Tertiò ab aëre. *Sicut palea ante faciem venti,*

& si-

& sicut favilla quam turbo dispergit. TAN-
Sap. 5. *QVAM lanugo quæ à vento tollitur. Tanquam*
avis quæ transvolat in aëre, aut tanquam sa-
Ibid. 2. *gitta emissa in lucum destinatum. TRANSIBIT*
vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut
nebula dissolvetur quæ fugata est à radiis solis, &
à calore illius aggravata.

Nahum. 2 Quartò ab igne. *Quasi fulgura discurren-*
Eccles. 40 *tia. SICVT tonitruum magnum in pluvia per so-*
nabunt. ET erit fortitudo vestra ut favilla stup-
Is. 1. *pæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succende-*
tur utrumque simul, & non erit qui extinguat.

Audisne ut loquuntur Scripturæ? Videsne quas exhibent ex rebus omnibus leviores, celeriores, fugaciores? Qui hoc non audiat, qui hoc non videat, nonne ex his erit, quibus Do-
Is. 42. minus per Prophetam; *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum? quis cæcus nisi servus meus? & surdus, nisi ad quem nuncios meos mi-*
si? Nonne tot tibi sunt nuncii quot in infer-
Sap. 5. no clamant: *Sic & nos nati continuò desivimus esse?* Sic videlicet quemadmodum illa omnia quæ ipsi commemorant celerrima, *sic & nos*, inquiunt, imò & nos celerius, nam *nati continuo desivimus esse.* Quasi nihil esset quod fuissent; ita modicum & nullum est hic fuisse.

III. PUNCTUM.

PATET igitur evidenter, quod, quantumcumque hic modicè nostræ vitæ tempus credatur, nil tamen esse magis credibile. Cum in eo declarando tot Scripturæ, tot rationes, tot quotidiana consipirent exempla, nostris tam apertè subjecta sensibus, ut mirum sit posse aliter sentire aliquem; & longè magis mirum, vix esse aliquem qui non aliter sentiat, & qui non sibi semper promittat crastinum, ac pene nunquam desituros annos, quasi cum morte fœdus percussisset, quasi cum inferno feciset pactum.

Erant olim Epicurei, qui hac tam aperta momentaneæ vitæ nostræ notitia pravè usi, seipsos inde magis acuebant ad suum laxandum genium, quasi hoc uno viverent ut co-
Is. 22. medarent, sic se mutuò provocabant. *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Contra quos postquam Propheta Isaias, quid sibi à Domino revelatum esset, intorsit; tum paulò post ad alios qui ex opposito nihil de morte & vita solliciti, unum curabant ut sine cura vive-
rent: *Audite*, inquit, *verbum Domini viri illusores; dixistis enim percussimus fœdus cum*
Ibid. 15 *morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.*

Non quod ita loquerentur, sed quod ita securè viverent, quasi sic loquerentur; unde & cohærenter illis denuntians, quas ipsi pœnas sibi accerserent; sic addit; *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit, flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem: quandocunque pertransierit, tollet vos; quoniam manè diluculo pertransibit in die & in nocte, & tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Quasi diceret, tunc id demum intelligent quando vexabuntur: nam quamdiu suaviter vivunt, suavitate illa tantoperè diliniuntur, ut vix aliud recogitent.

Quod præclarè sanctus Joannes Dama-
L. de Bar. & Iosaph. scenus atque ad rem nostram accommodètè præsentat, notâ illâ parabolâ, quam instituit de Juvene, qui dum horrendam fugeret belluam, forte incidit in abrupta terræ loca, unde prodibat exigua quædam arbor qua se tantisper suspensum sustinebat. At ecce undequaque succurit ille arbusculus, hinc duo simul juncti mures radicem rodunt, illinc aspides quatuor pendentis pedes involvunt, atque ex imo fundo erumpit immanis Draco qui expansis faucibus iamiam cadentem prædam excipiat. Quid tum verò agat miser ille pendulus adolescens? Dum se circumvolvit observaturus exitum, advertit in sublimi arboris ramo *modicum mellis*, quò statim manum infert, & ejus suavitate sic se totum deliniri & occupari sinit, ut nihil de periculo cogitans se satis tutum ac beatum putet.

Hæc est videlicet, hæc est imago vitæ præsentis, hic est omnium pene viventium status. Mors unumquenque insectatur, quam ut omnes fugiant, vitæ præsentis commodis quantum quidem possunt innituntur: sed quid vita præsens, nisi quædam velut arbusculæ, quam singuli dies ac noctes simul corrodunt, atque ipsa quatuor elementa dum inter se certât, de nostræ interitu vitæ decertât? Quònam verò incumbit? quònam petit nisi terrum illum & feralem inferorum locum
Is. 5. qui *dilatavit animam suam*, ut ait Prophe-
ta, quia non est in terra scientia. Denique

fallax

fallax illa mellis gutta, quid aliud quàm naturalis vitæ cupiditas, quæ sic viventem retinet, ut cæterorum oblitus, solum vivere cogitet, solumque hoc unum appetat.

Sed tandem moriendum! quis tum mundani animus? quis tum est animi sensus? *Gustans, gustavi paululum mellis, & ecce morior!* 1. Reg. 14. Hæc Jonatæ verba ex animo fusa mirum quantos concitant motus. Horum autem omnium finis & fructus est, ut vitæ præsentis amor temperetur, prosperitas si quæ est, non magni fiat; si quæ occurrunt bona & gaudia, non in bonis ducantur, sicut mundus ea ventitat; de vita denique judicetur, non ut agitur, sed ut quasi jam acta sit. Nam ut rectè concludit sanctus Augustinus, *hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur, cùm finitum fuerit, tunc sentiemus quàm modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum, quale habet mundus, de quo dictum est, mundus autem gaudebit.* Tract. 102 in Ioan.

II. VERITAS PRACTICA.

Tale est pretium hujus modicæ vitæ, ut, quantò majoris vitam hanc æstimes, tanto minoris facias illius pretium.

2. Cor. 4. *Ratio est evidens ex Apostolo, quia hujus modicæ vitæ pretium est ipsa beata æternitas;* Id enim, quod in præsenti est, *inquit*, momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Sed quantò majoris vitam hanc æstimes, tantò minoris beatam æternitatem facis.

Nam quid est magni hanc vitam æstimare, nisi quæ sunt hujus vitæ magna, ut divitiæ, dignitates, delitiæ, cæteraque mundi magnalia ex ipsius mundi sensu magnificare, & *beatum dicere populum cui hæc adsunt.* Psal. 143. Quid est autem beatæ magis adversum æternitati, quàm sic sentire & judicare? unde idem ad prædicta consequenter Apostolus, *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Quasi diceret, idcirco momentaneum vitæ hujus gloriosam æternitatem operatur, quia quæ sunt hujus vitæ gloriosa contemnimus, & quæ sunt dura & vilia, sustinemus: sic enim fit, ut laboribus quies, ignominiæ gloria, dolori gaudium, paupertati divitiæ, & miseriis beatitudo tribuantur. Sicut è contra de his, qui vitam hanc magni duxerunt, dicitur, *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18.

Hinc igitur evidenter patet, *Quòd, quanto majoris vitam hanc æstimes, tanto minoris facias illius pretium,* quod est æternum illud gloriæ pondus, cui promerendo & assequendo nihil est aptius quàm hujus vitæ contemptus. *Beati qui futura sapiunt*, ait sanctus Bernardus, *præ desiderio cœlestium, interno quodam sapore mentis præsentia respuentes. Vtinam saperent & intelligerent ac novissima providerent. Vtinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem, utinam intelligamus ad præteritæ correptionem; utinam devota in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus ipso miserante consummationem.* Serm. 2. de SS. Petro & Paulo. Et cuidam in Epistolis particulatim, *ô utinam saperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt, profectò inferna horreres; superna appeteres; quæ sunt ad malum, contemneres.* Ep. 292.

In quo mundi contemptu si quis est forte labor, cogita quàm sit modicus ad tale promerendum præmium, quale est æterna gloria. *Digna est quidem emi labore perpetuo*, inquit S. Augustinus, *sed necesse est ut labore temporali ematur. Certè tantus debuit esse, id est, sempiternus labor prorequie sempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent finem; quod tibi dabo, dicit Dominus, non habebit finem. Qualis misericordia Dei? nec dicit, decies centena annorum millia labora, non dicit, vel mille annos labora, non dicit, quingentos annos labora; cum vivis, labora, in paucis annis, inde jam requies erit, & finem non habebit. Et paucos annos laboras, & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana: sed noli gaudere in sæculo, gaude in Christo, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus, ad ipsa gaudia pertinet quod loquimur & quod auditis. Quanta ergo sunt istæ consolationes in tantis laboribus? Verum est ergo quod dixit Apostolus: Etenim quod ad præsens est, temporale est & leve tribulationis nostræ, iuxta incredibilem modum & in incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos the-* In Psal. 93.

sauros sempiternos. Siliquam laboris ad requiem incredibilem secundum quod dictum est, juxta incredibilem modum & in incredibilem modum, æternæ gloriæ pondus operatur.

III. VERITAS PRACTICA.

Ex modico illo quo vivis tempore, plus etiam vitæ perdis quàm vivas.

Ratio est, quia plus perdis quam vivas vitæ, si plus vanè quam fructuosè vivas.

Sed diligenter inquirenti de tuo vitæ statu sat evidenter patebit te plus vanè quàm fructuosè vivere.

Ergo ex modico illo quo vivis tempore, plus etiam vitæ perdis quàm vivas, quod certè est deplorandum & corrigendum.

I. PUNCTUM.

SI de brevitate vitæ dolendum tibi forte videretur, quod non sit satis spatii, vel ad beatam illam promerendam æternitatem quam speras, vel ad reddenda Christo quæ debes obsequia, vel ad dissolvenda quæ contraxisti debita, vel ob similem aliquam piam causam; dole quidem & deplora vehementer brevitatem vitæ, sed non propter illas, quæ videntur piæ, causas. Satis enim est spatii a divina providentia definiti, si solidè locaretur in illos sacros usus. Verùm ex illo etiam spatio, quod nimis modicum & breve dicimus, plus nostrâ culpâ nobis deperit quàm nostræ pietati superest. Unde si vel totum vitæ spatium dolebas esse angustius tuis persolvendis officiis, quanto magis dolere debes illas tibi etiã angustias contrahi & pene totas detrahi? Cumque à te solo tuâque solâ culpâ contrahantur, quanto id cavere debes studio, quanta sollicitudine pervestiganda illa tua culpa, ut seriò & gnaviter tibi prospicias?

Hoc ita persuasum esto, quod habet veritas: *Ex modico illo quo vivis tempore, plus à te perdi quàm vivas temporis seu vitæ.*

Hoc est enim vitam & tempus perdi, quando nullus ejus usus, nullus ejus usuræ fructus, nullum illius operæ pretium ponitur. *Non erit terra tua sterilis nec infœcunda. NON erit apud te sterilis utriusque sexus.* Quæ sic à Domino commendabantur Judæis, ut agnoscerent sub illis symbolis, quod apertius postea docuit Sapiens, *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare:* Tum evidentissimè Christus Dominus; *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur:* unde & Apostolus, *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Quasi diceret, quantumcunque laboraveritis, nisi laboris vestri probatus aliquis fructus appareat, labore vano consumpti estis, tempus vestrum ac vitam profudistis, mors est non vita sic vivere. *Non quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse; non ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim si illum multum putas navigasse, si sæva tempestas à portu exceptum huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per eadem vestigia in orbem egit? Non ille multum navigavit, sed multum jactatus est.*

Exodi 23. Deut. 7.

Eccl. 9.

Matth. 21.

Rom. 6.

L. de brevit. vitæ. c. 2.

Rectè omnino Seneca, sed malim rationem à sanctis nostris audire Patribus, quam ab illo, qui certè nimius est in suo solo sapiente commendando.

Sic itaque S. Basilius & Chrysostomus atque alii passim affirmant, non esse propriè vivere, quando homo fructuosè non laborat, quia videlicet *natus est homo ad laborem*, & laborem probatum & utilem, hic ejus humanæ vitæ finis, non ut otiosè & torpidè vivat, non ut in deliciis aut divitiis cumulandis: sed Deo, sed animæ, sed æternitati laboret; sic posuit Dominus hominem in Paradiso *ut operaretur & custodiret illum.* Quid est operaretur & custodiret? nonne terra ultrò sine ulla opera germinabat fructus suos? nonne satis erat tutus locus, ut custode non esse opus? Ita planè, sed ita tamen erat operandum homini, ut sibi custodiret paradisum, erat ei operandum quod & quo jubebatur modo; Quod quia non præstitit; desiit vivere quâ vivebat vitâ, & incepit mori quâ morte dictum est, *In quocunque die comederis, morte morieris.*

Job 5.

Gen. 2.

Ibid. 3.

Hinc illud Prophetæ, *homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Id est, jam inde à primo parente nostro didici me ad laborem natum, atque ad colendum ex divinis præceptis animæ meæ statum, sicut si agrum colerem, vitæ humanæ sustentandæ.

Zach. 13.

Cum itaque sit ille finis hominis, quem si ab homine removeris, tollis ejus moralem vitam, sicut si formam removeres, tolleres naturalem vitam; propterea verissimè dicuntur tem-

tempus & vita perdi, cùm sine labore fructuoso conteruntur. *Diem perdidi* dicebat ille, qui diem indonatum transegerat. O quanti sic dies vacant & inanes transiguntur! ò si salem hoc sentires & diceres!

II. PUNCTUM.

Sed diligenter inquirenti de tuo vitæ statu, sat evidenter patebit, te potius vanè quam fructuosè vivere.

Unusquisque videat, inquit Apostolus, *quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit.* Quasi diceret, uniuscujusque est seipsum nosse ac diligenter inspicere, an Christiane vivat & fructuosè operetur. Tanta est enim differentia inter nonnullorum hominum opera, quanta est inter aurum & lignum, inter argentum & fœnum, inter lapides pretiosos & stipulam. Et quemadmodum domus ædificata ex auro vel argento, vel ex lapidibus marmoreis, porphyreticis, & similibus non combureretur igne sicut domus ædificata ex ligno vel stipula, sic opera fructuosa illa sunt, quæ manent in æternum, alia verò quæ evanescunt vel quæ consumuntur in hac vita, vana dicenda sunt & omnino nulla. 1.Cor.3.

Ut verò etiam certius possis discernere, quænam illa sint fructuosa vel vana, vide in quo utraque fundamento super ædificentur, nam si extra Christum Jesum aliquid operaris, extra fundamentum ædificas, & nullum erit tale opus. Quamobrem hoc unum restat, probè intelligere, quid sit extra vel supra fundamentum ædificare, & quam sit totum penè vanum quod vivis.

Ad faciliorem autem intelligentiam, quæ plura de hoc fundamento dici possent, distinctè referuntur ad quatuor capita, quæ sunt velut quatuor illæ causæ, quæ concurrunt ad unumquodque opus peragendum, de quibus fusius in 3. parte Domin. 7.

Primò enim oportet, ut, quidquid facis, non sit malum, non sit vetitum, non sit ingratum & odiosum Christo, cum alioquin nullo modo dici posset ædificatum in ipso; Nonne id liquet; *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Neque verò etiam sufficit id non esse malum, aut etiam esse aliquid bonum: nam non omne bonum ab omnibus ex æquo vult, *nunquid vult Dominus holocausta, & non potius ut obediatur voci Domini?* Atque hæc est velut materia, nempe id quod à te velit Dominus, & non aliud, *unicuique sicut divisit Dominus: unumquemque sicut vocavit Deus.* Rom. 9. 1.Reg.15. 1.Cor.7.

Secundò est debita operis forma, nempe ut id agas quo decet modo, ex virtute quæ competit operi, ad exemplar & similitudinem ipsius Christi, neque enim probare posset quod vitiosè faceres, licet illud esset in materia vel substantia, quod vellet à te fieri, nam expressa vox ejus est: *Estote vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5.

Tertiò quæ est efficiens causa, oportet te in illa esse gratia, quæ sanctificans dicitur, ut sis unitus Christo, sintque ex hac unione, tua Deo grata opera, & fructuosa, cum alioquin mortua & nulla essent, *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ait Apostolus de suo quovis opere. 1. Cor.13.

Quartò denique, quod est in primis spectandum, sine recto, & pura intentione sic Christo superædificari opus nostrum necesse est, ut nisi recto fine fiat, non insit illi fundamento, & nullum planè sit. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, nempe illi qui aliis quam Deo placere volunt. Unde aptè sanctus Gregorius, ad illa Jobi verba, *super quo bases ejus positæ sunt, SICVT fabricâ columnis*, inquit, *columnæ autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt.* Et quæ plura prosequitur, quæ uno verbo Apostolus comprehendit, cum ait. *omnia in nomine Domini Iesu Christi.* Matth.6. Iob 38. Coloss.3.

Jam verò quod est propositæ quæstionis præcipuum caput, ut certò cognoscas, quam sint opera tua majori ex parte potius vana quam fructuosa, vide quantum deficiant ab illis quatuor causis: nam ut sint fructuosa, totas simul oportet convenire causas: ut sint verò vana, sufficit vel unam deesse causam. Ratum enim, fixumque est illud effatum, quod à magno Dionysio pronuntiatum sanctus Thomas confirmat; *Bonum ex integra causa: malum ex quovis defectu.* 1. 2. q. 18. a. 4.

Si quid in peccato factum, quantumcunque tibi bonum, & laudabile videretur, hoc ipso nullum est, quia deest effectrix causa

quæ est Gratia sanctificans. Si quid in illa gratia perperam & segniter agitatum, careatque sua congruenti forma : *Maledictum est illud opus, quod est factum negligenter aut fraudulenter.* Si quid denique non recto fine directum, tam illud vacuum & inane reputatur, quam si corpus esset exanime. Quibus ita necessariò præsuppositis, dic sincerè, quid ex tota die refers fructuosum, & beatæ capax æternitatis? Metire singulos, per suas horas, dies: Ex horis quatuor & viginti detrahe quæ somno dantur, supersint decem & octo vel septem in quibus vigilas: quid tum porro boni? quid tum rectè operaris? Vel enim otiaris, vel laboras: si otiaris, vanum est: si laboras, cupiditati laboras, & labor inanis est ne dicam pravus, non est enim ille laboris finis: quo in labore vacuo & inani cum totus dies absumatur, quid tandem supererit fructuosi: Preces aliquot à te recitatas fortasse suggeres, sed quantis illæ intercisæ nugamentis! quantis exagitatæ curis alienis! quantis infuscatæ diversarum cogitationum maculis! quàm illud maneum & exile bonum quis non videt! At esto tamen valeat, sed quantum est istud ad reliquas diei partes? quot in orando ponis horas? confer cum cæteris, quæ cassæ sunt & sine fructu abeunt, nonne satis evidenter patebit te magis vanè quam fructuosè vivere? Sic proinde Propheta graviter; *Ecce omnes iniusti; & vana opera eorum ventus & inane, simulachra eorum*; Quasi diceret, sicut idolum nihil est nisi quid vanum & inane, sic eorum opera, sic eorum vita. Quod & paulo post clarius repetit: *Telas aranea texuerunt: tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia.*

Isr. 48.

Isa. 41.

Isa. 59.

III. PUNCTUM.

Quamobrem apertè liquet, quod ex modico illo quo vivis tempore, plus vitæ perdas quam vivas, Neque enim vivere censendum est, quod sine vivendi caret, caret autem illo fine, quidquid totum operaris ex terrena & temporali potius cupiditate quam cœlesti & æterna. Unde in scripturis & decurtati dicuntur anni, & menses vacui, & dies dimidiati, & pueri centum annorum.

Isa. 65.

Quod & Homini pagano tam probè cognitum fuit, quàm aperte testantur hæc ejus sensa, quæ ex multis pauca, nostram ad verecundiam, legi possunt minutatim & expendi.

Persuade tibi hoc sic esse ut scribo, quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est iactura quæ per negligentiam venit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus: maxima, nihil agentibus: tota aliud agentibus. Senec. Ep. 1

Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur: sed ubi per luxum & negligentiam nostram defluit, ubi nulli bonæ rei impenditur: ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Lib. de brevitate vitæ.

Ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes eius sed prodigi sumus.

Exigua pars est vitæ quam nos vivimus; cæterum quidem omne spatium, non vita, sed tempus est.

Omnia licet quæ unquam ingenia fulserunt in hoc unum consentiant, nunquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur.

Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit: vitam unusquisque suam multis distribuit! astricti sunt in continendo patrimonio: simul ad temporis iacturam ventum est, profusissimi in ea cuius unius honesta avaritia est.

Libet ex seniorum turba comprehendere aliquem. Perveniisse te ad ultimum humanæ ætatis videmus. Centesimus tibi vel supra premitur annus. Agedum ad computationem ætatem tuam revoca, dic quantum ex isto tempore eliens abstulerit, &c. Videbis te pauciores annos habere quam numeras.

Maxima vitæ iactura dilatio est, maximum vivendi impedimentum expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunæ positum est, disponis, quod in tua dimittis, quo spectas? quo te extendis? omnia quæ ventura sunt in incerto iacent, protinus vive, &c.

Hæc ut dixi, pauca ex multis, quæ si tamen plura, quam deceret à profano derivasse Authore, cuiquam viderentur, his certè legendis abstineat: sed quæ non probat non idcirco improbet, ne probatissimos condemnet viros, in primisque Ludovicum Granatensem, qui tam multus in illius Philosophi scriptis legendis, colligendis, & commendandis fuit, ut ex eis collectanea, sacris profutura Concionatoribus ediderit: suique rationem operis, cùm ex sanctis Augustino, & Hieronymo

aymo reddat: tum ex ipso qui potest inde fructu colligi, fusè narret. Ac ne longius abeamus; quis Christianus illis lectis, quæ de jactura temporis commemorata sunt; non magis sibi dolendum sentiat, quam isti viro Ethnico, quòd non temporalem modò vitam sibi eripiat, sed divinam in se manentem, sed æternam & beatam in qua mansurus est, & de qua tot demit gradus, quot consequi poterat, si rationem sui temporis duxisset cariorem? Pavendum sanè illud, quod narratur de Apoc. 10. Angelo, quem Joannes vidit stantem super mare, & super terram, qui levavit manum suam ad cœlum: & juravit per viventem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius!*

Vide in 3. parte Dominicam 7. & in 4. totam hebdom. 18.

EX SECUNDA EVANGELII PARTE.

Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, &c.

PRIMA VERITAS.

Qui de Christo dolente non dolet cum Apostolis, nec de illo gaudente gaudere potest cum ipsis.

Ratio fusè declaratur in hac 2. parte, Feria 2. hebdomadæ 1. Quadragesimæ.

SECUNDA VERITAS.

Ut fur de furto, sic mundus de mundo gaudet.

Sensus & ratio est, quòd idcirco fur de furto malè gaudet, quia de malo gaudet.
Ergo & male gaudet, & sicut fur de furto, sic mundus de mundo gaudet.

Tota ratiocinatio est facilis. Primò quidem quàm pravè fur de furto gaudeat, quis non tam clarè videt quàm malum esse, furari. Quòd si quis non id videret, *audiat Prophetam Isaiam*, inquit S. Augustinus: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus, gaudere quod vocant impii non est gaudere. Vtique videbat Isaias homines in potatione, in luxuria, in theatris, & in spectaculis, totum mundum luxuriari variis nugis, & tamen clamabat: Non est gaudere impiis dicit Dominus; si hoc non est gaudium, quale gaudium videbat, in cujus comparatione hoc non est gaudium?* Serm. 37. de verbis Domini. l. 17.

Sic & sanctus Prosper: *Gaudere quidem bonum est, sed qui gaudet, si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor cùm desiderata rapuerit: gaudet & ebriosus cùm exoptatæ occasionem potationis invenerit: gaudet & adulter, cùm ad delectationem concupitam pervenerit. Sed cùm sit gaudere bonum, de his atque hujusmodi gaudere, grande est malum: hæc & his similia sunt unde gaudere nos vult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia, & sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & promissione futuri regni ineffabiliter gaudeamus.* L. 2. de vita cont. c. 13.

Deinde verò quod secundò dicitur, mundus de mundo gaudens sic de malo gaudet, tam facilè potest intelligi, quàm vox illa *Mundus*, quæ jam sæpissimè sic declarata est, ut significare diceretur eos, qui ex concupiscentia res mundi diligunt, qua posita declaratione nominis, tum apertè liquet quòd quando de his rebus gaudent, de malo gaudent, non quidem in se, sed in modo rei possessæ, cujus possessio parit gaudium. Non sunt quidem malæ divitiæ, sed malum est divitias ex prava concupiscentia diligere & possidere; Unde quod ex tali dilectione & possessione procedit gaudium, tam verè de malo est quàm mala est illa dilectio, *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. NVNC autem exultatis in superbiis vestris: Omnis talis exultatio maligna est.* Luc. 6. Jac. 4.

Qua de re, fusè in 4. parte, hebdomada 17.

Patet itaque veritas, quòd sicut fur de furto, sic de mundo mundus gaudet, hic perversè, sic pravè, sic falsò & non ferendo gaudio: *Veruntamen in hoc nolite gaudere.* Vellesne gaudere de furto? Quamobrem verò, nisi quia malum est quod detestaris. At si gaudere de mundo non minus est malum & detestandum, cur non minus de illo gaudere nolis? Non est, inquies, tam grande malum quàm furtum. Responderi posset, posse furtum tam parvum esse, ut *mundanum esse*, sit gravius; sed esto sit gravius furtum, non hic æqualitas mali quæritur, sed similitudo; satisque est bonæ menti malum quâ malum fugere, non quâ tale malum, sicque est satis ad veritatem similitudinis expr mendam, de-

claraſſe, quod de rebus mundi gaudere ſicut mundus gaudet, tam ſit malum, quàm furem de furto gaudere, licet non ſit tantum malum. Sic univerſim ſanctus Ambroſius: *Ut corpus*, inquit, *ægrotum nunc calidioribus fovetur, nunc frigidioribus temperatur, remediorumque mutatio, ſi juxta præceptum fiat medici, ſalutaris eſt, ſi contra mandatum uſurpetur, languoris augmentum eſt: ita medico noſtro quidquid penditur Chriſto, remedium eſt: quidquid uſurpatur, incommodum. Debet igitur bene conſcia mentis eſſe lætitia, non in conditis comeſſationibus, non nuptialibus excitata ſymphoniis. Ibi enim intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes deliciarum extrema eſt ſaltatio.*

L. 3. de virginib.

Quò etiam ſpectat ſalubre hoc Divi Auguſtini monitum: *Sicut non poteſt homo duobus Dominis ſervire, ſic & nemo poteſt in hoc ſæculo gaudere, & in Domino. Multum inter ſe hæc duo gaudia differunt, ſuntque omnino contraria. Quando gaudetur in ſæculo, non gaudetur in Domino. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in ſæculo, gaudium in Domino ſemper augeatur, gaudium in ſæculo ſemper minuatur, donec finiatur. Non ideo iſta dicuntur, quia in hoc ſæculo cùm ſumus, gaudere non debemus, ſed etiam in hoc ſæculo conſtituti jam in Domino gaudeamus.*

Ser. 39. de verbis Domini.

Vide in 4. parte, hebdomada 22.

3. VERITAS PRACTICA.

Non te contriſtes contriſtatus, & ipſa tua triſtitia jam vertetur in gaudium.

Ratio eſt, quia jam tùm triſtitia noſtra in gaudium vertitur, quando in triſtitia non malum ſed bonum eſſe agnoſcitur.

Sed ſi contriſtatus non te contriſtes, bonum in triſtitia tua clarè agnoſces.

Ergo & ipſa tua triſtitia jam vertetur in gaudium; quod certè eſt exoptandum.

I. PUNCTUM.

Licet diſcurſus ſit ſatis planus & facilis, quia tamen eſt admodum fructuoſus, & ad praxim penè quotidianam perutilis: idcircò paulò latiùs videtur explanandus. Atque hoc imprimis tanquam fundamentum ſtabiliendæ firmitatis animi, nullo caſu concutiendæ præmittatur, quod ſi quis in naturali vel fortuita ſua triſtitia, non malum ſed bonum ineſſe aliquod ſibi certò repræſentet & credat; tunc profectò gaudium tam facile ſentiet, quàm facile perceperat triſtitiam ex apprehenſo malo quo fuit excitata.

In hoc enim conveniunt hæ diverſæ duæ paſſiones, quod non niſi ex apprehenſione boni vel mali præſenti concitentur: atque ita fit ut ſicut in uno & eodem objecto, diverſa poteſt conſiderari ratio boni vel mali: ſic ex illo ipſo diverſi motus ſequentur vel triſtitiæ, vel gaudii vel utriuſque ſimul affectus, prout ſeorſim bonum & malum, vel ſimul obſervabuntur. Hinc illud Prophetæ: *Confuſum eſt gaudium à filiis hominum:* Id eſt, homines gaudent iis rebus, quibus mœrendum eſſet: & iis mœrent, quibus gaudendum eſſet: quia in illis rebus apprehendunt bonum vel malum aliter atque apprehendi deberet: unde & alius Propheta: *Væ qui dicitis malum bonum & bonum malum.* Hinc tota ratio gaudii vel triſtitiæ: *ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* O amaram mundi dulcedinem! O dulcem contra & ſuavem Chriſtianæ religionis amaritudinem, ſi, quod in illa eſt bonum, conſideraveris.

Joël. 1.

Iſ. 5.

II. PUNCTUM.

Sed ſi contriſtatus non te contriſtes, bonum in triſtitia tua clarè agnoſces.

Supponenda hìc tria. Primum eſt, duplex eſſe genus triſtitiæ; unum quod in nobis ſine nobis eſt: alterum quod ita eſt à nobis, ut ſicut illud ponere, ſic & poſſimus deponere. Secundum quod ſupponas, eſt, fieri quidem ordinariè, ut duplex illud genus triſtitiæ ſimul concurrat & ſentiatur: poſſe tamen & debere ab invicem ſeparari, adeo ut advenienti nobis ex quocunque adverſo caſu triſtitiæ, non addamus aliam: neque nos jam contriſtatos, rurſum contriſtemus. Tertium denique, ut melius intelligatur quomodo poſſimus nos jam contriſtatos non contriſtare, oportet prius ſcire quomodo nos contriſtemus; Nempe ita fit, ut cùm incipimus dolere corpore vel animo; dolemus nos dolere, id eſt, reflexione facta ſuper illum dolorem vel triſtitiæ ſenſum quo tangimur, dolet animus quòd ille dolor corporis aut animi nobis obvenerit: expendit intellectus miſeriam in qua jacemus ſen-

seu malum illud quod in illo sentimus adverso casu : repugnat & contradicit voluntas tali opposito malo, id est, vellet non adesse ; memoria tota occupatur in hujus cogitatione mali, vel in mediis excogitandis quibus eo liberari possis. Hoc est se contristare, se miserum reputare, se miserum cogitare, & dolere
Psal. 41. se miserum esse. *Quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?*

Econtra verò, non se contristare est, non cogitare de sua tristitia, non inde angi & dolere ; dolere quidem, si quid naturali contrarium cupiditati advenerit, sed non duplicare dolorem, sicut fit cogitando de infausto illo eventu quasi de gravi malo ; vel dolendo de dolore inde primum proveniente, ut dictum est : abstrahitur quodammodo animus ab ista reflexione & cogitatione ; toleratur patienter malum, undecunque obveniens : Si quod sit remedium, suaviter adhibetur, aut si nullum appareat, obfirmatur animus & cum gratia
Eccles. 2. Dei continetur, ex præscripto Sapientis : *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe : & in dolore sustine : & in humilitate tua patientiam habe.* Hoc est dicere, non te contristes. Quod
Ibid. 30. & expressius idem ait : *Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo.* Audisne illum ipsum qui dixerat, accipe & sustine quidquid mali acciderit, jam dicere, non des tibi tristitiam ? Aliud est enim accipere, & aliud est dare sibi tristitiam. Accipitur quando nobis obvenit sine nobis, ut supra dicebatur : datur verò à nobis, quando vel sine causa nos affligimus, vel cum causa jam afflictis afflictionem addimus ex consideratione mali accepti, quod à scriptura dici-
Sap. 11. tur, *duplex tædium & gemitus.*

Jam verò his ita suppositis & declaratis, quod erat hujus puncti præcipuum, *si contristatus non te contristes, bonum in tristitia tua clarè agnosces*, sic evidenter demonstratur : nam cum pacatus & tranquillus fit animus, fit etiam capax veritatis agnoscendæ, quam non cognosceret perturbatus : quando autem non se contristat, sit pacatus & tranquillus ; hoc enim uno perturbatur quod se contristet ; ac proinde hoc ipso quo se continet, redditur capax & aptus ad veritatem illam agnoscendam, quæ nos ex scripturis sacris aperte docet, in tristitia sive in qualibet contingenti adversitate, bonum & bona esse innumera.

Nonne sæpè audivisti, quanta ineffent in his malis bona, quæ non nisi Deo permittente nobis eveniunt, ad emendationem, ad probationem, ad exercitationem, ad victoriam, ad coronam ? Hæ sunt videlicet beatitudines Evangelicæ : Hæc est præcipua Evangelii gratia *sustinere tristitias*, pati tam libenter 1. *Pet.* 2.
quàm injustè pati : *Vobis donatum est*, inquit Apostolus tanquam insigne donum & eximium munus, *vobis donatum est pro Christo,* *Phil.* 1.
non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Hæc sunt Apostolatus signa : *in* 2. *Cor.* 12.
omni patientia, id est, hæc sunt signa certiora divinæ vocationis ad magnam gratiam : Hæc sunt divinæ argumenta electionis ad ingentem gloriam, quibus donis & bonis an credis alia posse esse meliora ?

III. PUNCTUM.

NOn *te contristes igitur contristatus, & ipsa tua tristitia jam vertetur in gaudium :* Sic enim fiet, ut non perturberis adversis, non perturbatus attentè mediteris bona quæ in adversis continentur ; atque illa tandem meditatu bona & commoda gaudeas & *exultes* 1. *Pet.* 1.
lætitia inenarrabili & glorificata ; SICVT exultant victores capta præda dum dividunt spolia ; *Is.* 9.
& sicut excitari solet gaudium in apprehensione boni cujuslibet. *Omne gaudium*, ait S. *Jac.* 1.
Jacobus, *existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis* ; nempe illud est omne gaudium, quod est solum bonum & solidum ; hoc autem solum tale est, quia est de vero bono, cùm cætera mundi gaudia sint de vanis & falsis bonis : unde ille, qui plura hauserat mundi gaudia, *risum reputavit errorem,* *Eccle.* 2.
& gaudio dixit, quid frustrà deciperis. Est præterea gaudium illud supernaturale & divinum ; neque enim à carne vel dæmone potest excitari gaudium de tristitia & tribulatione ; cætera verò mundi gaudia vel sunt carnalia, vel mundana, vel diabolica.

Denique gaudium est propium & solidum quod non pendet ab incertis & fluxis creaturis, sed in solo Deo fixum, in ejus colenda voluntate, in Christi Domini similitudine & imitatione, in spe futuræ beatitudinis, in charitatis & omnium virtutum praxi ; in ea denique pace Christi quæ *exuperat omnem sensum. COMMVNICANTES Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus* 1. *Pet.* 4.

gau-

gaudeatis exultantes. Sic divinus Apostolus
2. Cor. 7. non modò de se testatur, quòd *superabundaret gaudio in omni tribulatione*, sed & primis Christianis congaudet, quòd sic exultarent
Hebr. 10. in tristitia, quòd sic *rapinam bonorum suorum cum gaudio susciperent, cognoscentes se habere meliorem & manentem substantiam*; Quasi diceret, in rapina bonorum non cogitantes malum & incommodum quod ex paupertate provenire posset, sed potius bonum quod ex illa paupertate patienter accepta, derivatur: unde sicut ex malo sensibili paupertatis, poterat esse aliquis etiam dolor & tristitia sensibilis; sic in illo dolore verum erat gaudium propter bonum quod in illa tristitia continebatur; sicque tandem tristitia vertebatur in gaudium: cùm vel exhauriretur omnino per gaudium superabundans, vel tali misceretur gaudio, ut esset amabilis & suavis tristitia, longèque gravior omni humano gaudio.

Rectè igitur Sapiens, qui nos monuit accipiendam & non dandam nobis tristitiam:
Eccles. 30. *Miserere*, inquit, *animæ tuæ placens Deo & contine; congrega cor tuum in sanctitate ejus; & tristitiam longè repelle à te*; Quibus verbis tota pene veritatis declaratio continetur, nam quòd dicit *miserere animæ tuæ*, perinde est ac si diceret, satis sit te esse miserum tristitia illa, quam ex adverso casu accepisti: neque novam addas quæ alia longè pejor est, nam ejus exhaurit meritum: Atque ut facilè possis novam hanc supervenientem tristitiam reprimere, *congrega cor tuum in sanctitate ejus*, id est, recollige teipsum ad meditandum, quid insit boni in illo adverso casu: quod ut etiam commodiùs facias, repelle tristes quæ sese ingerunt cogitationes: sustine primùm patienter, tùm lætanter sustinebis.

1. Reg. 1. *Anna cur fles? & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filii?* Sic Elcana conjugi de sua sterilitate se contristanti. Sic suæ Tobias senior:
Tob. 10. *Tace & noli turbari, sanus est filius noster*: Salva sunt omnia, si te non turbes & contristes. Sic
Ps. 41. & ipse sibi David: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Id est, nisi me tristem, ipse magis contristarem, adhuc possem gaudere, quia possem de Deo cogitare, possem illi confiteri meam in illo uno repositam esse salutem: atque hæc cogitatio me totum exhilararet. nunquid tu idem posses cum graria?

EX TERTIA EVANGELII PARTE.

Et vos igitur, nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

1. VERITAS PRACTICA.

Quæ à Christo est tristitia, magis jucunda est, quàm quæ à mundo jucunditas.

Ratio est facilis, nec longiori declaranda discursu: Quia quidquid Christo volente fit, jucundius est quàm quod ipso nolente. Quis Christianus dubitet? *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Ps. 118.

Sed quæ à Christo est tristitia, ipso volente fit: & quæ à mundo est jucunditas, ipso nolente est.

Prima pars ex ipsis patet terminis, nam si à Christo est tristitia, certè non aliter quàm ab ipso volente est; Sicut enim de sua dicebat anima seu vita: *Nemo tollit eam à me, sed ego ponò eam à meipso*: sic de quavis ejus operatione nemo ambigat dici posse, quòd nisi quam vult, operatur. Quænam sit autem ab illo tristitia, perinde est ac quærere quænam sit bona & probata; nempe quæ ex peccatis propriis ver alienis concipitur: quæ ex desiderio ipsius videndi in gloria, concitatur: quæ ex interiori lucta, quam patimur contra rebellantem appetitum, præsentitur: quæ ab externis adversariis pietatem nostram insectantibus, commovetur. *Hæc est*, inquit sanctus Petrus, *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam, sustinet quis tristitias, patiens injustè.* Sicut autem nulla est gratia nisi à Christo, sive per Christum, sic illarum nulla est tristitia nisi ab illo qui *mortificat & vivificat, deducit ad inferos, & reducit.* Ioan. 10. 1. Pet. 2. 1. Reg. 2.

Altera verò pars propositionis, quòd *quæ à mundo est jucunditas, Christo nolente fiat*, tam certa est & aperta, quàm facile patet mundanã jucunditatem ipsum esse mundum, de

de quo tanquam de sibi suisque opposito, Joan. 16. Dominus dicit; *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Hoc enim ipso vel maximè mundum sibi odiosum & infensum demonstrat Christus, quòd his mundus lætetur & gaudeat quæ Christus nollet; unde si propter quod unumquodque tale est, & illud majus, certè ipsa mundi jucunditas magis est invisa Christo quàm mundus qui propter talem jucunditatem infensus est & gravi maledicto Luc. 6. feriatus: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.*

Quantùm igitur homini Christiano longè est illud jucundius, quod Christo volente & probante fit, quàm quod ipso nolente & reprobante procuratur: tantò certè tristitia, quæ ab illo est, magis jucunda est, quàm quæ à mundo jucunditas; unde hoc Davidicum meritò possit unusquisque Deo profiteri. *Quia* Ps. 83. *melior est dies una in atriis tuis super millia: Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. BONA vox*, inquit sanctus Augustinus, *gaudenda vox, eligenda vox: ipse elegit abjici in domo Domini, sed ille qui invitavit ad convivium, eligentem inferiorem locum, vocat ad superiorem, & dicit illi, ascende.* Vide suprà in hac parte, Dominicam 1. post Pascha, ubi de fontibus Salvatoris, & aquis inde hauriendis in gaudio. Nec non infrà, de piis lachrymis, Feria 4. quæ est vigilia Ascensionis Domini. Feria item 4. hebdomadæ tertiæ, partis 3. de Beatitudinibus Evangelicis quarum illa est jucundissima: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

2. VERITAS PRACTICA.

De Christo nos vidente plus esse debet gaudii, quàm de nobis Christum videntibus.

Sic ipse Dominus: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.*

Sensus autem & ratio propositæ veritatis est, quòd circa Christum Dominum plus esse debet, quàm circa nos, sacræ illius dilectionis & observantiæ, qua toti acquiescamus in ejus ordinationibus acceptandis, colendis, exequendis. Hoc jam est enim Christum nos videre, cùm nobis providet, cùm de nobis ordinat & statuit, prout ipse velit. Hanc autem ejus voluntatem verus amator & cultor Christi, longè magis amat quàm seipsum seu quàm quid seipsum spectare videat: dicitque illi corde magno & animo volenti, quod Ethai suo Regi Davidi: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* 2. Reg. 15.

Sed ubicunque est plus dilectionis, plus inde est etiam gaudii; cùm, ut supra dictum est, gaudium sit amoris proprietas quæ talis tantaque est, qualis est ipse amor unde profluit. Quapropter Sapiens: *Gaudium*, inquit, *justo est, facere judicium*: quasi diceret, cùm justus in quantum justus judicium præcipuè diligat, sic gaudium illi est, facere judicium. Prov. 21. Unde ipse Dominus: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem.* Sic indicaretis me diligere, quia de me gauderetis. Joan. 14.

Patet igitur evidenter, quod de Christo plusquam de nobis gaudendum est; aut negandus illi amor qui amorem nostri superet; nam quanto superior fuerit horum alteruter amor, tantò & gaudium cæteriique affectus prævalebunt. *Ponderibus suis aguntur omnia. Pondus meum, amor meus, eò feror, quocunque feror.* Sic de se quisque, quod sanctus Augustinus. L. 13. Confess. c. 10.

Jam verò velles ne Christum minùs quàm te diligere? velles ne Christo te præferre? Quid putas porrò vellet Christus, cùm in Evangelio toties odium nostri, ferendamque crucem ita præciperet, ut nullum alioquin se dignum esse, neque suum fore discipulum, affirmaret? Potes ne pro Christo te odisse, nec amare Christum plus quàm teipsum? Certè non potes, cùm odium illud nihil sit aliud quàm ordinatus tui amor, non sit autem ordinatus, nisi plus Deum sive Christum ames quàm teipsum, ut expressè docet D. Thomas, cùm nec teipsum nec alium possis diligere nisi propter ipsum Deum, tanquam finem ultimum nostræ dilectionis & totius nostri, unde ex toto est diligendus corde, tota mente, totaque vi, neque de illo toto quidquam demendum, quàm prout ille permiserit; ut fusè in 4. parte, Dominica 17. demonstratur. Matt. 10. 2. p. q. 26.

Itane verò sic illum diligis? itane de illius voluntate gaudes, quando repugnat tuæ, sicut de tua, quando completur? hinc expaveſce, hinc formida quod ajebat Dominus;

Ioan. 5. *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Cognovi vos, & vos vobis cognoscendos statuo ex vestris gaudiis, quæ sunt amoris vestri certa signa. Rursumque hæc tremens expende: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei.* Nemo addictus colendo Christo, quidquam aliud respicit quo magis afficiatur, sive gaudio sive tristitia; vel si quid aliud aspicit non est aptus Christo hic colendo, & Christo in cælis fruendo. Nam quod est valde notandum, amor cœlestis sive amor beatorum in cœlo talis est, ut ipsi Deum pluspuam se diligant, nec se omnino nisi propter ipsum amẽt, unde fit ut de Deo magis quàm de se gaudeãt.

Luc. 9.

Tract. de dilig. Deo. Audi sanctum Bernardum: *Quoniam Scriptura loquitur Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profectò ut factura sese quandoque conformet & concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandocunque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sinos quoque nec nos ipsos nec aliud aliquid fuisse vel esse velimus, nisi aquè propter ipsum, OB SOLAM VIDELICET ILLIVS VOLVNTATEM, NON NOSTRAM VOLVPTATEM. Delectabit sanè non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quod ejus in nobis & de nobis voluntas adimpleta videbitur: quod & quotidie postulamus in oratione cùm dicimus: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. O amor sanctus & castus; ô dulcis & suavis affectio. O pura & defæcata intentio voluntatis; eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur; eò suavior & dulcior, quo totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem; Et quomodo ferrum ignitum & candens, igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; & quomodo solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur; sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitùs transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine de homine quidquam supererit? manebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. Quando hoc erit? quis hoc videbit? quis possidebit: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Domine Deus meus, tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Putas videbo templum sanctum tuum?*

Certè non desperandum, sed tamen qui non conetur hic, quantum quidem cum gratia poterit, suum illi cœlesti tanquam suæ regulæ conformare amorem, tantum sibi timere debet, quantum hæc portendunt Christi verba! *non est aptus regno Dei*, non est aptus diligendo Deo, non se propterea satis aptat cum gratia, quæ idcirco illi offertur, dum ad proprium sui contemptum excitatur.

TERTIA VERITAS.

Quantò fœlicius est illud gaudium, quod nemo à te potest tollere, tantò tu infœlicior qui hoc à te tollis.

Ratio est, quia tantò es infelicior, quantò magis poteras esse fœlix si voluisses.

Sed quantò fœlicius est illud gaudium, quod nemo à te potest tollere, & quod tamen à te tollis, tantò magis poteras esse fœlix si voluisses.

Ergo & tantò es infœlicior qui hoc à te tollis.

Tota ratiocinatio satis per se perspicua, sic potest illustrari clarius.

Primò quidem ad primam propositionem, tua culpa est, quòd id volueris unde infelix es: deinde culpa est gravior ob ingratitudinem maximi beneficii quod erat datum, *ut nemo posset à te tollere gaudium tuum.* Tertiò pœna privationis illius gaudii, & sensus oppositæ illi tristitiæ longè est acerbior, in recordatione boni quo te ultiò privasti, & quo si voluisses, jam fruereris. Denique nulla es commiseratione dignus, qui cùm posses esse fœlix, si voluisses, maluisti esse infœlix. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso? & omnibus qui appropiant bestiis? HOC est judicium tuum quod ipse decrevisti.* Eccl. 12. 3. Reg. 20.

Quæ certè omnia cuivis infœlici declarant manifestè, quòd tantò est infœlicior, quantò magis poterat esse fœlix si voluisset. *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ in quæ nunc sum, qui jucundus eram & dilectus in potestate mea. Nunc verò reminiscor malorum quæ feci. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista; & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* Sic infœlix Antiochus, infœlicitatis voluntariæ propositum nobis exemplar. 1. Mach. 6.

Quæ

Quæ verò est altera propositio vix potest manifestiùs quàm suis ipsa terminis declarari: quid enim ad fœlicitatem gaudii jam satis per se magni desiderari potest ulterius, quàm illius certa perennitas? unde interrogatus quidam, qui ad florentem fortunam ex abjecta fuerat gratiosè promotus, quid sibi ultra vellet? *Clavum*, inquit, *quo mea sistat fortuna fixa.* Tibi autem ô infœlix, tibi erat fixum firmumque gaudium, cùm tale hoc esset, ut à te nemo posset tollere, si voluisses. Erat enim sol dum verumque de Deo gaudium, in quod nulla præter te, cuiquam magis facta potestas, quàm in ipsius Dei lucem, quam vocat Apostolus, *inaccessibilem.*

1 Tim. 6.

Nonne ergo quantò fœlicius est illud gaudium, quod nemo à te potest tollere, tantò tu infœlicior qui hoc à te tollis? *Quid perdis animam tuam in furore tuo? NON contristabit justum quidquid ei acciderit.* Nam, ut ait S. Joannes Chrysostomus, *Deum sicut oportet timens & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in mare immensum decidens exigua scintilla facilè deletur, sic quantacunque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia, extinguuntur atque perduntur.* Unde tu, qui teipsum miserè crucias, timere profectò debes ne non satis Deum timeas, cùm te illo præsertim magis exercucies tempore, quo magis gaudendum erat, nempe cùm innocenter pateris, cùm in Dei cultu grave aliquid, quod averti non potest, occurrit. Tunc erat indicanda fidelitas, quæ Deo gratis servit, & quæ in omni dato, hilarem facit vultum. Quamobrem Deus inter causas servitii à se dejecti, hanc præsertim recenset & urget acriùs, *Eò quod, inquit, non servieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque lætitia.* Nam dolenter servire Deo, non est ei servire: sed tantùm de divina servitute detrahere, quantum dolenter servis.

Job. 18.

Eccles. 35.

Deut. 28.

Hinc apertè Psaltes Regius, *exultabit lingua mea justitiam tuam.* Id est, etiamsi puniar, quia tamen justè puniar, ego in illa tua gaudebo justitia & exultanter eam laudabo. Et rursum, *lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Respice in servos tuos*, quasi diceret, hac præcipuè nota designantur fideles Dei servi; & hoc præsertim nomine singulariter ab illo proteguntur, quod tum præsertim lærentur, cùm humiliantur. Vide verbo *tristitia, gaudium.* Et nominatim in 1. p. die 10. Jan. In 4. parte, Feria 4. & 6. hebdomada 17.

Ps. 50.

Ps. 89.

FERIA SECUNDA.

CHRISTO DOMINO APPARENTE

Discipulis simul congregatis, apparet Charitas

quæ non quærit quæ sua sunt.

***Stetit Jesus in medio eorum, & dixit, pax vobis, Ego sum, nolite timere,* Luc. 24.**

VERITAS PRACTICA.

Charitas non quærendo sua, melius invenit quàm si quæreret: tantò ditior, quantò pauperior.

Ratio est, quia Charitas non quærendo sua, fit pauperior, & facta pauperior est purior.
Sed Charitas purior melius invenit quæ sua sunt, & fit ditior.

Ergo Charitas non quærendo sua, melius invenit quam si quæreret: & tanto est ditior quanto est pauperior.

I. PUNCTUM.

Duo illi Discipuli, quibuscum in itinere congressus erat Dominus, & usque in ipsum castellum Emaus introgressus, surgentes eadem hora, qua Christus evanuit ex oculis eorum, *regressi sunt in Jeru-*

salem, inquit sanctus Lucas, *& invenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes, quòd surrexit Dominus verè & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit, pax vobis, ego sum, nolite timere: conturbati verò & conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis; quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum; palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.*

Vide, admirare, ac velut si præsens adesses, afficere quantum cum gratia potes, iisdem affectibus in Christum Dominum, ejusque glorioſissimas plagas, quibus illi Discipuli permoti sunt.

Tùm verò expende, quàm manifestè hìc appareat in Christo Domino septima veræ Charitatis proprietas, *quæ non quærit quæ sua sunt*; Quanta enim Christus poterat à Discipulis & à Judæis repetere, cùm tamen nihil horum quærat? Certè quidquid damni quidquid injuriæ & infamiæ acceperat in passione & morte sua, tam justè posset repoſcere quàm quivis offensus ab alio, sive in bonis sive in fama, ut licitè fieri solet, & sæpe ita expedit ad innocentiæ patrocinium, & veritatis ac justitiæ munimentum.

At nihil planè horum, ne unum quidem Judæum adit, repoſcendæ causa injuriæ, neque Discipulis exprobrat quod turpiter fugerint, quod se negaverint, quod se prodiderint & fidem in se perdiderint, ne verbum ullum. Et quod magis mirare, ne quidem de se aliter loquitur, quàm ut eos de sua resurrectione certos faciat, mœrentes erigat, & turbatos consoletur! O verè Charitas quæ non quærit quæ sua sunt: imò & impertitur quæ restant sua! *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

Denique ut nihil desit ad amplissimam sui communicationem, præbet se palpandum omnibus, manducat cum illis, interpretatur scripturas, aperit sensum ut eas intelligant & alios doceant.

Sic ergo colenda est ex animo talis charitas, quando etiam nobis præter illam deperirent cætera omnia: nam sola charitas præ-valet omnibus, nec in ejus comparationem venire aliquid potest. Verùm ut sæpe alias, nihil tibi deperibit, *fidelis Deus, negare seipsum non potest*; Nemo propter illum aliquid de suo donet, qui centuplum recipiat. Sicque verè dici debet, *Quod charitas non quærendo sua, melius invenit quàm si quæreret; & tantò fit ditior quantò pauperior.* 2. Tim. 4.

Quæ proposita veritas ut melius expendatur, intelligenda est de omni bonorum genere, seu temporali seu spirituali; seu humano seu divino: seu terreno seu cœlesti; quidquid denique tanquam proprium possideri & quæri potest, hoc etiam dici potest charitas non quærere, atque hoc non quærendo, non quæret quod suum est, & tamen melius inveniet quam si quæreret. Matth.

Ratio est expedita, quoad illam præcipuè partem qua dicitur, charitas non quærendo sua, esse pauperior & purior charitas. Quid est enim sua non quærere, nisi se bonis suis ultrò spoliare, vel non resistere se spoliantibus, non pro jure suo repoſcere, non sublatam repetere pecuniam, non illatum vindicare probrum, non queri de injuriis, non de iniquitate temporum vel hominum: non ipsam etiam bonorum mercedem ita in operando respicere, ut si Deus operantem, omni mercede privare vellet, non desineret operans operari, diceretque cum sancto Thoma, nullam Domine aliam, præter te, mercedem posco: imo & ipso Domino paratus esset privari, optaretque cum Apostolo, *Anathema esse à Christo pro salute animarum.* Nonne hæc esset charitas quæ sua non quæreret? Nonne hæc esset tanto pauperior seu affectu seu effectu, quantò minus sua quæreret; ac denique nonne hæc esset eo purior charitas quo esset pauperior, cùm puritas charitatis in eo sit, ut nihil eorum, quæ non sunt purè Deus, admixtum habeat; ac proinde tantò magis aut minus pura sit, quantò minus aut magis cæteris omnibus expurgata, &, ut ait S. Bernardus, defecata fuerit; *Eo certè*, inquit, *defecatior & purior quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur.* Hoc est *aurum ignitum probatum*, quod Christus suadet à se emi. Rom. 9. Tract. de dilig. Deo. Apoc. 3.

Vide quo pretio id ematur, vide quibus modis id emi suadeat.

IL PUN-

II. PUNCTUM.

Sed Charitas purior melius invenit quæ sua sunt, sicque fit ditior.

Duo sunt modi quibus id expressit Dominus, duabus illis parabolis quas proposuit de thesauro abscondito in agro, & de pretiosa margarita: Ubi antè illud est observandum, quod uterque illorum qui invenit thesaurum vel margaritam, universa sua dedit ut emeret quod invenit, sic enim apertius intelligitur adumbrari seu figurari charitatem, suis se omnibus denudantem bonis. Primò itaque cum thesaurus sit aggregatio quædam summæ pecuniariæ ex multis partibus seu speciebus conflatæ, satis aptè significat innumera bona spiritualia, cœlestia, divina & æterna quibus tantò magis compensat Deus charitatem quanto est purior. Cùm enim Deus nunquam patiatur se à quoquam liberalitate vinci, licet jam pridem nos suis prævenerit donis, tamen ita etiam sibi data remunerat, & sua coronat dona, ut quò quis in eum est liberalior & effusior, ipse vicissim suas in eum profundat copiosius & abundantius gratias: nullus autem sit liberalior quam qui puriorem habet charitatem; hinc certò fit, ut is tàm multis & variis abundet bonis, ut non possint melius exprimi quam thesauro abscondito.

Quasi effodientes thesaurum, inquit Job, *gaudentque vehementer cùm invenerint sepulchrum*: Quia in sepulchris olim recondebantur thesauri; sed mysticè ad rem nostram, thesauri gratiarum effodiuntur & reperiuntur in illo spirituali sepulchro, cui pura charitas comparatur cum dicitur, *fortis esse ut mors, & dura sicut infernus*, Id est, tam potens ad separanda terrena omnia ex anima diligente, quam mors & infernus qui pro sepulchro hic ponitur, potentes sunt ad separationem naturalem animæ & corporis, seu etiam ad ipsius sepulti corporis partium dissolutionem faciendam.

Hic est thesaurus infinitus & thesaurus sine defectione sanctitatis, de quo passim scripturæ. Imo supra thesaurum est aliquid non modò quia plures memorantur thesauri, sed quod in dies singuli magis ac magis repleantur; *Vt ditem*, inquit, *diligentes me, & thesauros eorum repleam. Ponens* denique *in thesauris abyssos*, id est, investigabiles quasdam divitias quæ recenseri non possunt. Atque hinc fit quod, licet bona terrena & humana deficerent, licet bona sublata non redderentur, licet nulla illatis probris fieret reparatio: qui tamen his abundat donis spiritualibus & divinis, ita sibi satisfactum & se contentum profitetur, nihil ut eorum cogitet & reposcat. Centuplum illud est Evangelicum, quod authore sancto Hieronymo spiritualia dona significat, quæ comparatione facta cum terrenis bonis, & merito sui collato cum aliis, *Ita sunt*, inquit, *quasi si parvo numero centenarius comparetur.*

At verò, ut secundus explicetur modus, si Deus etiam pura charitate dotatam animam, suis illis spiritualibus & divinis privaret bonis, ut certè aliquando sensibili privat consolatione, atque in eum redigit statum, ut se anima nudam & vacuam bonis omnibus sentiat, quid tùm meriti est ab illo puriori charitate? quomodo charitas tunc dicitur sua invenire! *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Hoc unum quod Domino placeat anima; hoc unum quod Dominus placeat animæ; hoc unum quod Dominus Deus ejus sit, hoc unum, inquam, ita sufficit puriori charitati, ut sicut pretiosa margarita unum est aliquid quod multa in se bona continet, unde & dicitur unio; sic Deus unus & solus in anima diligente Deum, instar est omnium. *Deus meus & omnia: si quis amat, novit quid hæc vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei est ipse ardens affectus animæ quæ dicit: Deus meus amor meus, tu totus meus, & ego tuus*, Expende hæc divini Authoris verba, *magnus clamor in auribus Dei*, quasi diceret, verba sunt quæ maximè Deus audit, & quibus auditis maximè permovetur ad reciprocam dilectionem; quâ divina dilectione quid diutius quid divinius? *Major est Deus corde nostro, & novit omnia*, inquit dilectus discipulus: *Id est*, ut explanat Cornelius, *liberalior, ditior, plenior, perfectior est Deus corde nostro, qui solus ipse cordis nostri desideria satiat & explet: imò exuberat in immensum, nec in capi potest, sicut mare capi nequit cochleari.*

Matth. 13.

Job 3.

Cant. 8.

Eccles. 30

Pr. 8.

Ps. 32.

L. 3. in Matth. c. 19.

Ps. 44.

L. 3. de Imit. Chr. c. 5.

1. Ioan. 3.

III. PUNCTUM.

Charitas igitur non quærendo sua, melius invenit quàm si sua quæreret: & tantò est ditior, quantò paupprior; Quia sic purior redditur, sic gratior & acceptior Deo, qui idcirco, *bonus cum bonis, & sanctus cum sanctis* dicitur, quia se tantò illis meliorem & liberaliorem ostendit, quantò se in ipsum impendunt liberaliùs, & de suo magis effundunt. *Quoniam Dominus retribuens est*, ait Sapiens, non dicit retribuit sed *retribuens*, quasi fons perpetuo manans, & quasi sol indesinenter lucens & ardens: *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem*, inquit Apostolus: quasi diceret, non propterea Deo serviendum ut sic abundetis, sic enim charitas sua quæreret, sed recumenda semper simplicitas puri servitii & amoris Dei, ut sive abundetis sive non, vos semper Deum purè colatis & ametis. Tantum hoc cavete, ne amore vestri, vestra quæratis, & vestra quærendo minus purè quæratis Deum, quia sic duplici errore deciperemini; primò quidem quod putaretis aliquid perdi, dum servitur Deo; deinde verò quod tamet si hoc esset, prospiciendum vobis esse crederetis cum præjudicio divini cultus. Quod utrumque falsum est, nam & Deus propter se est amandus & colendus; & amanti Deum nihil peribit.

Ps. 17.

Eccles. 35. 2. Cor. 9.

Quo de argumento sæpe & fusè, Apostolo disserendum fuit, quia ex una quidem parte voluisset omnes sicut se servire Christo, *in simplicitate cordis, & sinceritate Dei*, id est, purè propter ipsum Deum: ex alia verò videbat *omnes, quæ sua sunt, quærere, non quæ sunt Iesu Christi*; Quid hic ageret, nisi utrumque sic tẽperando doceret charitatẽ sua non quærere & non quærendo tamen sua melius invenire, quàm si avidiùs quæreret. Sic ipse Dominus: *Qui perdiderit animam suam propter me*, id est, vitam temporalem, *inveniet eam*, id est, inveniet aliam vitam longè meliorem, sicque sua non quærendo, melius inveniet. *In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum & pax est electis ejus.*

2. Cor. 1. Phil. 2. Matth. 10 Sap. 3.

Vide in 4. parte, tota quidem hebdomada 17. sed præcipuè Sabbato.

FERIA TERTIA.

APPARET ITERVM CHRISTVS Discipulis simul congregatis, præsente Thoma.

Simul apparet Charitas quæ non irritatur.

Et post dies octo, iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus, januis clausis, & stetit in medio, & dixit eis, pax vobis; deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus; sed fidelis. Joan. 20.

VERITAS PRACTICA.

Esto appareant aliquæ irascendi causæ; multò tamen plures sunt & validiores ne irascaris.

Ratio est, quia rationes æternæ, quæve petuntur à superiori parte animi, longè sunt plures & validiores iis quæ ab inferiori tantum proveniũt. Sed tales sunt illæ rationes quæ vetant iram. Ergo sunt plures & validiores, quibus propterea credendum est, nec irascendum.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

Thomas autem, unus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alii Discipuli: vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, nisi videro in in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Vide textum: & ex multis quæ inde fructuosè possunt colligi, tùm illa præcipuè charitas Christi, quæ non irritatur, expendi debet. Offenderat Dominum Discipulus incredulus, ex his tribus præcipuè capitibus. Primò, quod aliis omnibus referentibus se vidisse Dominum, minimè acquieverit; Secundò, quod nec unquam creditum se affirmarit nisi ipse videret in manibus ejus fixuram clavorum, quasi ad id vellet astringere Dominum; Tertiò denique quod tamdiu obfirmatus permanserit, ut non nisi octavo die, quo Christus illi apparuit, à sua pervicacitate resipuerit. Nonne ista poterant irritare Dominum, qui duobus etiam peregrinis dubitantibus de iis quæ jam audierant, succensere visus est, cùm eis dixit, *O stulti & tardi corde ad credendum?* At ejus charitas non irritatur. En ut apparet iterum omnibus, in unius Discipuli gratiam! ut illum benignè advocat! ut ostendit plagas, manus, pedes, ipsum latus! ô singularem bonitatem! ô verè *Dominus & Deus noster!* Quid est in aliis offensis viris potentius ad iracundiam excitandam, quàm aspectus plagæ acceptæ? At non ita in Christo qui per plagas omnia placat, *& pacificat, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.*

Luc.24.

Coloss.1.

Sic disce nunquam irritari; & quia interdum apparent aliquæ irascendi causæ, disce ex veritate proposita, *multò plures & validiores esse, cur non irascaris*; Sunt enim multò validiores illæ, quæ à supremis, ab æternis & semper permanentibus principiis petuntur, quàm quæ ab inferioribus; nam illa sunt principia quæ vocant universalissima, principia fidei, principia in ipso Deo qui semper unus & idem est, fixa & rata; alia verò sunt potiùs rationum quædam apparentiæ sive species & simulachra vacua, quam veræ rationes, nihil quippe est aliud quam ipse appetitus naturalis corruptus & depravatus, qui non quidem prava & apertè mala concupiscit; sed qui non aliter movetur & afficitur ad bonum suum quam considerationibus terrenis, mundanis, & fines humanos spectantibus. *Revertimini ad judicium*, dicebat puer Daniel: & Christus Dominus, *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Itemque Apostolus, *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi: & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.*

Dan.13. Ioan.7. 2.Cor.10.

Distinctius verò & expressius de hac superiori ratione sanctus Augustinus, à quo alii acceperunt. *Sublimioris*, inquit, *rationis est judicare de ipsis corporalibus secundum rationes incorporales & sempiternas, quæ nisi supra mentem hominum essent, incommutabiles non essent.* Et paulò post explicans quænam sit illa ratio superior; *Quæ scilicet intendit æternis conspiciendis, aut consulendis, & ex his accipit regulas agendorum.* Itemque alibi: *humana anima naturaliter divinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, dum dicit, melius fieret hoc quàm illud, si verum dicit, & videt quod dicit, in illis supernis rationibus videt.*

12. de Trin.c.2. Ibid.c.7. L.3. de Lib.arb. c.3.

Ex quibus satis evidens est, quam sint hæ rationes aliis inferioris ordinis validiores: Quàm sint inde verò multiplices, seu multò plures, patebit ex sequenti puncto in materia proposita. Tu vide paululum, antequam eò devolvaris, ex quali rationum genere frequentius de humanis rebus judices, loquaris & sentias. Neque tibi jam dicas, oportere te esse omnino spiritualem & perfectum, ut sic de rebus judices, cum potius sic judicando de rebus, homo fiat spiritualis; sicut carnalis dicitur, qui secundum carnis sensus judicat, unde idem S. Augustinus; *In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi.* Judica Domine judicium meum, & redime me, cunctosque homines ab illa prava judicandi regula.

Serm.147 de Temp. Ps.118.

II. PUNCTUM.

Sed rationes, quæ suadent non irascendum, ab illis supremis, æternis, & divinis petuntur principiis.

Nem-

Nempe à Deo, & ab æterna ejus lege ; à Christo Domino & Evangelicis Veritatibus ; à Spiritu Sancto & spirituali ejus regimine ; à salute animæ & mediis ad eam ordinatis ; à cœlesti beatitudine, & aliis similibus motivis & considerationibus, quæ nituntur fide divina, & supra naturam humanam nos evehunt ; ex quibus singillatim tam multæ rationes peti possent ad iram dissuadendam, ut longius esset eas referre, satisque prostent apud sanctos Patres. Quamobrem hîc modò sufficiat, in uno ex his capitibus & principiis inhærere, unde cætera colligantur : Nempe in Christo Domino, cui per iracundiam inordinatam, decem inferuntur injuriæ, quarum vel una cùm sit validissima ratio, ne irascamur, sic poterunt dici decem rationes quæ inter alias, dissuadent iram.

Prima petitur ab authoritate Christi Domini tam expressè vetantis iram, ut primum sit quod in declaratione novæ legis supra veterem afferat. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matth. 5. Cui conformiter Apostolus : *Omnis amaritudo & ira & indignatio tollatur à vobis.* Rom. 12. Quod si alibi videatur iram permittere, proponens illud Davidicum, *Irascimini & nolite peccare,* Ephes. 4. Ps. 4. sensus est, quod si contingat irasci, sicut sæpe accidit ex naturali motu, tum statim ira sic comprimatur ne ullo modo peccetur ; Neque aliter dicimus iram vetari quàm ut peccatum est, unde primus motus qui est tantùm passio, aut motus ulterior qui rationi semper subest, non est malus nec vetitus : sed quia rarum est hos motus vel tantum esse primo-primos quos vocant, vel secundos & rationi obsequentes, idcirco satius est non irasci, sicque propterea præcipit Dominus : & præcipienti repugnat atque injuriam facit iracundus, quasi diceret ut Pharao, *Quis est Dominus ut audiam vocem eius, nescio Dominum.* Exod. 5.

Secunda ratio seu secunda injuria est, quæ infertur æquitati & justitiæ Christi Domini. Cùm enim ut optimè observavit S. Augustinus, *nulli irascenti ira sua videatur iniusta,* Ep. 100. ad profuturum. semperque iratus prætendat aliquam justam causam, quâ irasci debuerit : Quoties proponitur illi præceptum Domini, toties ille opponit suam causam, quæ si æqua & justa est, certè iniquus Dominus qui vetat & condemnat quod est justum. At nonne hoc injuriosum & blasphemum Christo ? *Nunquid condemnabis me tu ut iustificeris ?* Iob. 40.

Tertia est, quâ lædituir Christi potentia, sive divinæ virtus gratiæ, quæ ab eo nobis confertur ad temperandam iram ; si enim desit causa irascendi, dicet iratus non posse se continere, se non posse non irasci, sibi non esse satis virium. Itane verò non sit satis Christo gratiæ, aut non sit satis potens gratia ad id omne nobiscùm efficiendum quod jubemur ? Certè hoc iniquum & injuriosum est Christo, longèque ante præmonitum à Sapiente, ut caveres : *Si dixeris, vires non suppetunt ; qui* Prov. 24. *inspector est cordis, ipse intelligit, & Servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.*

Atque hinc quarta ratio, sive injuria est, quæ fit Evangelio seu doctrinæ Christi, nec non religioni christianæ, quasi minùs possit & valeat quàm sectæ Philosophorum, quæ S. Hier. Ep. 9. omnes condemnant iram, & de ira reprimenda dant præcepta, & de ira repressa reliquerunt exempla. Tu Christi discipulis negabis S. Ambr. Off. 21. te posse aut debere quod Ethnicus profitetur ? *Inimici nostri sunt iudices.* Deut. 32.

Accedit quinta ex his Christi Domini verbis : *Discite à me, quia mitis sum & humilis* Matth. 11. *corde* : quasi diceret, hoc unum præcipuè doceo non tantum verbis sed & factis, hoc unum præcipuè velim in me observetis, hoc me uno præsertim imitemini ; hoc de me referatis exemplum & placitum cui vos conformetis. At verò nihil est magis oppositum quam ira quæ directè pugnat cum mansuetudine & humilitate Christi, *qui sicut ovis ad* Is. 53. *occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os. suum.*

Quid quod in sanctissimo Sacramento se velut agnum nobis comedendum reliquit, ut hanc ejus mansuetudinem indueremus ? Certè hinc sexta noscitur ab ira esse injuria, si sanctum Joannem Chrysostomum audiamus : Hom. 60. ad pop. Ant. *Audiamus*, inquit, *& sacerdotes & subditi, quali esca facti sumus digni, audiamus & horreamus : sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum : quanam igitur erit nobis excusatio cùm talibus pasti, talia peccemus ? Cùm lupi fiamus, agnum comedentes, cùm tanquam oves pasti, more leonum diripiamus ?*

Nec levis alia inde injuria cognoscitur, quæ ordine septima dici posset, cùm se Pastorem Christus simul atque agnum fecit ut nos

Joan. 10. ut nos velut agnos pasceret & regeret, quantacura & solicitudine pastor gregem suum pascit. An verò luporum est pastor, an ovium? quomodo iracundus se finit ab eo regi? quomodo vocem eius audit? quomodo sequitur præcedentem? Nihil æquè pugnat cum hac pastoris solicitudine quam iracundia, quæ animum ira occupat, ita turbat & commovet ut nec audire possit loquentem, nec sequi præcedentem, nec retinere secum habitantem Christum, cùm *locus eius sit in pace*, nulla verò pax sit iracundo.

Ps. 75.

Quid tandem fiat, si nihil agit Christus in irato & perturbato homine, quid fiat nisi discessio & separatio, atque in ejus locum, quæ octava est injuria, succedat dæmon, cui recipiendo nulla est aptior via, quàm per iram, ut facile intelligitur ex Apostolo, qui cum dixisset, *Sol non occidat super iracundiam vestram*, statim addit, *nolite locum dare Diabolo*, qui, ut interpretatur sanctus Hieronymus, *tanquam leo rugiens quærit aditum, per quem possit irrumpere.*

Ephes. 4.

Atq; octoniæ injuriæ personam quodammodo Christi attingunt, nunc quæ supersunt duæ, ipsum offendunt in proximo & in nobis. In proximo quidem, quatenus ita semper aut sæpius desævit in aliquem minis, probris, pugnis, & omni modo lædit. *Sic autem peccantes in fratres, in Christum peccatis*, inquit Apostolus.

1. Cor. 8.

In nobis denique sic per iram offenditur, ut præterquam quod vitium est & offensa Dei, specialis tamen offensa est Christi, quatenus animam nostram tanti facit Christus, ut pro ea suam dederit, tanti decorem & pulchritudinem ejus quotidie æmulatur, ut in ea colenda, paranda & spectanda immoretur, atq; in castis suis ponat deliciis posse dicere, *quàm pulchra es amica mea: quàm pulchra es?* At verò tota per iram deformatur ista pulchritudo, quando vel sola esset ira, tum deiicitur de sua sede ratio, tùm naturalis ipse ordo confunditur; quantò magis ille supernaturalis, qui in tranquillitate consistit? sic denique anima dedecoratur, ut propterea Sapiens dixerit, *fili in mansuetudine, serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum: peccantem in animam suam quis iustificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?* Jam verò si sola nunquam sit ira, si verum est quod ait sanctus Hieronymus: *Ianua vitiorum omnium est, quâ clausâ, virtutibus intrinsecùs dabitur quies; apertâ verò ad omne facinus armabitur animus*: Quâ tandem fœditate tùm infuscari animam necesse est, & quâ injuria sponsum offendi Christum?

Cant. 4.

Eccles. 10.

In Prov. 1. 3. c. 29.

III. PUNCTUM,

ESTO igitur appareant aliquæ irascendi causæ; multò tamen plures sunt ac validiores non irascendi: Cùm sint æternæ & supremæ, cùm sint in ipso Christo fundatæ, qui est fundamentum totius ædificii, qui est caput totius corporis, qui est ratio superior totius hominis; Quid contra opponat iracundus nisi quid stultum, quid imprudens, & aliquid inconsultum ac temerarium, quandoquidem, ut ait Sapiens, *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum?* Ac proinde prorsus irasci desinat, nec prætendat aliquas iræ suæ causas; nam vel omnino nullæ sunt, vel si putet se habere causam irascendi, certè cogitet se habere plures & validiores cur non irascatur. Expendat causam cum causis, rationem cum rationibus, personas cum personis, damna cum damnis, offensam cum offensis; & quantò magis volet ratione se in iracundia tueri sua: tantò se minùs tuebitur, quia ratione potentiori revincetur; & satiùs illi esset fateri suum vitium & cum divina gratia prospicere, quam dum illi causam prætexit, non desinit esse vitium, & desinit agnosci & curari.

Prov. 21.

Hinc forte dicitur *quod ira in sinu stulti requiescit*, quasi diceretur, nonnisi stultum oportet esse illum hominem, qui causas iræ prætendit, ut quiescat in illis suis prætentis causis; nam cùm sint multò plures & validiores ut non irascatur, stultum est veris relictis, falsas & apparentes prætendere. Et quantò magis inclamat, quod illatæ sibi injuriæ remedium velit irascendo adhibere: tantò se magis stultum & deridendum exhibet, ut qui majorem sibi afferat injuriam irascèdo, quam patiendo. Non est adhibere malo remedium, quando malum augetur: nec nisi stulti est minus malum graviori velle curare malo; Unde aptè Sapiens, ut jam supra monuimus. *Impatiens operabitur stultitiam*. Et paulò post, *qui patiens est multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam*: Rursumque expressius ad rem nostram: *Qui impa-*

Eccles. 7.

Prov. 14. Ibid. 19.

impatiens est sustinebit damnum: & cum rapuerit, illud apponet. Quod sic declarat Ecclesiasticus: *Iracundia animositatis illius, subversio illius est; usque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.* Denique rem concludit quod idem ait. *Homo iracundus incendit litem: si sufflaveris in scintillam quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur:* Quasi diceret, quid faceres si quis forte scintillam ignis in vestem tuam iniecisset? an velles illam in sufflando magis inflammare? an potiùs supra expuendo extinguere? Hoc ipsum de ira seu de causa iræ cogita: si illatæ injuriæ irascaris, in scintillam ignis insufflas: si verò iram comprimis, tu in scintillam expuis, & extinguis. Nonne hoc sanius? nonne hoc consultius? Nonne hoc statues in Domino, atque aliis procurabis?

Ecclesi. 1.

Ibid. 28.

Vide passim ubi de ira vel de mansuetudine: præsertim in Quadragesima, cum de Christo patiente ageretur.

FERIA QVARTA.

APPARET CHRISTVS SEPTEM Discipulis de nocte piscantibus: Ubi & apparet Charitas quæ non cogitat malum.

Mane autem facto, stetit Iesus in littore. Ioan. 21.

VERITAS PRACTICA.

Si Charitas cogitaret malum: malum de Charitate cogitari posset.

RATIO EST, Quia malum de Charitate cogitari posset, si Charitas Charitati pugnantia faceret.

Sed si Charitas cogitaret malum, secum pugnaret seu pugnantia Charitati faceret.

Ergò si Charitas cogitaret malum: malum de Charitate cogitari posset. Quod cum omnino nefas sit, nefas est & cogitare malum de aliis.

I. PUNCTUM.

HISTORIA rei gestæ quæ fusiùs à sancto Joanne refertur, videri potest. Summa hæc est: Septem Discipuli Petro duce cùm de nocte piscando, nihil prendidissent: stetit Iesus summo mane in littore, tùm primùm quidem illis incognitus; suasitque ad dextaram navigii, mitti rete; quo facto cæperunt multitudinem piscium copiosam. Agnovit illicò Joannes Dominum, dixitque Petro, *Dominus est*; at Petrus statim cæterique ad eum convenerunt.

Quæ & alia postquam menti subjeceris & tantisper revolveris, adverte quod licet in hac piscatione non peccarint Discipuli cum ut ait sanctus Gregorius, *negotium quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post in Evang. conversionem repetere culpa non fuit*; ac proinde Christus Dominus non potuerit cogitare malùm de illis, cum revera nullum esset: Judæi tamen, aut alii si vidissent Apostolos sic una simul piscantes, fortè suspicari potuissent illos repetisse sæculum aut sæcularia negotia quæ videbantur abjecisse. Nonne illi ipsi sunt, qui relictis omnibus secuti sunt Dominum? quid ergo resumunt quod reliquerunt? Quod eò vel maximè in deteriorem partem sumi poterat; cùm diù multumque laborantes nihil magis cæperint, quàm dum primò ante conversionem dixerunt, *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Nam si bene agunt, cur non illis adest Christus? Aut si non adest, cur non liceat saltem cogitare & suspicari minus forte prudenter & consultò ab illis agi?

Hom. 24.

Luc. 5.

Has humanas cogitationes cùm suscipere possent homines, hoc saltem videbat Christus sic posse ab hominibus de hac discipulorum piscatione malè cogitari, sicque illis poterat quod alias dicere, *Non scandalizemus eos.* At verò Christi charitas, charitas est quæ nec cogitat, nec cuiquam imputat malum: non modò nec ipse Christus cogitat malum: sed nec ab aliis vel tantillum cogitari significat. Contemplare attentius hanc singularem eius chari-

Matth. 17.

charitatem, perpensis omnibus circumstantiis: vide ut amanter subvenit laborantibus; ut suaviter cum illis loquitur; ut amicè monet qua parte navigii mittant rete, fœlicius piscaturi: ut providet prunas & panem; ut deniq; familiariter cum illis prandet & conversatur; *Afferte*, inquit, *de piscibus quos prendidistis nunc: venite, prandete.* O charitatem longè remotam à cogitando malo!

Hanc ut imiteris diligentiùs, proponitur veritas expendenda, qua id ita charitati necessarium esse asseritur, ut charitas desineret esse charitas si malum cogitaret. Nam quod dicitur si charitas cogitaret malum: malum de charitate cogitari posset, hoc ipsum est dicere, charitas non esset charitas: cum si malum de charitate cogitari posset, jam mala esset charitas, ac proinde nulla esset, cum malam esse charitatem non minus repugnet, quam bonum esse malum. Quomodo verò de charitate malum cogitari posset, si charitas malum cogitaret, ex eo evidenter probatur, quòd tunc sibi repugnantia faceret: Quis autem dubitet quod si, quæ charitati repugnant, charitas faceret, si secum ipsa pugnaret, si se destrueret aut læderet, quis non videt quod mala esset charitas, & quod malum de ea cogitari posset? Cur enim invidia, cur rixæ, dissensiones, sectæ, scandala, odia, & similes animi motus sunt mali & vetiti, nisi quia charitati repugnant, charitatem destruunt & pessundant? *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas*, inquit Apostolus; quo uno dicto satis sibi visus est demonstrasse, quod malum esset sic contristare fratrem. Nonne & tibi idem videtur? Nonne oppositum bono, malum est? & oppositum optimo, pessimum? Nonne hoc jam à sapiente audivisti, *contra malum, bonum, contra mortem vitam?* Et sic reciprocè contra bonum, malum: & contra vitam, mortem? quasi diceretur, quod est contra malum, illud est bonum; & quod est contra bonum, illud est malum. Sic expressè Dominus contra eos qui charitatem læserant: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum, si quidem ex fructu arbor cognoscitur.* Id est, aut charitas bonum aget & erit vera charitas: aut si bono pugnantia & opposita quædã agat, non erit bona, nõ erit vera charitas; *Nec enim potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala fructus bonos facere.*

Rom. 14.

Eccles. 33.

Matt. 12.

Ibid. 7.

II. PUNCTUM.

SED si Charitas cogitaret malum, secum pugnantia faceret & se quodammodo destrueret.

Quando scilicet cogitatio ita esset voluntaria & diuturna, ut judicium feretur de malo alterius, nec aliter de persona nisi ut mala temerè cogitaretur; tunc planè non minus id opponeretur Charitati, quàm si proximũ læderet, cùm tale judicium, talisve cogitatio nõ possit subsistere sine aliqua proximi læsione & offensa. Sicut enim fieri potest ut revera malum, de quo cogitatur, insit in proximo: sic etiam fieri potest ut non revera sit; atque in illa incertitudine, nõ potest non ei fieri injuria si in deteriorem partẽ trahas, quod posset accipi in meliorem & suaviorem. Nam si accidat ut sæpe fit, quod falsò judices, nonne est injuria manifesta? Et cùm id sæpius accidere possit, ut falsò quàm verè judices; nonne vel quando etiam verum judicares, non desineres tamen ab inferenda aliqua injuria, quia cum possis falli & errare in judicio ac cogitatione tua, tu teipsum tamen mavis in periculum illud injicere, cum præjudicio veritatis & Charitatis, quàm salva Charitate & justitia, te continere?

Sic aptè divus Hieronymus: *In hoc errore judicii quæ potest esse certa sententia?* Quod & Cassianus fusè prosequitur in institutionibus monasticis. Quod etiam confirmatur ex naturali lege Charitatis, qua quidquid volumus ab aliis nobis fieri, hoc illis præstemus; & quod nolumus fieri, neq; hoc illis faciamus. At certum est, quod nollemus sic judicari, & vellemus nobiscum mitius agi; unde egregiè S. Augustinus: *Maxima pars generis humani, indiscreto judicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cùm tamen non ita velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare.*

Contra iudici feriantes, & Emonasticis. Cass. l. 5. c. 10.

Serm. 202 de Temp. Et in Ps. 147.

Atque hinc toties & tam graviter in Scripturis vetamur omnino judicare de aliis: *Nolite judicare ut non judicemini, in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. PROPTER quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas. TV quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Tu, quid judicas fratrem tuum aut quid spernis fratrem tuum? omnes stabimus ante tribunal Christi. Vnusquisque nostrum, rationem pro se reddet Deo, non ergo amplius invi-*

Matth. 7. Rom. 2. Ibid. 14. Ibid.

Iac. 4. *cem judicemus. Qui judicat fratrem suum detrahit legi & judicat legem: si autem judicas legem, non es factor legis sed judex. Vnus est legislator & judex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es qui judicas proximum?*

Quisquis es, quæso te, cur Scriptura id tam vehementer caveat, nisi sit certum periculum in illis incertis ferendis judiciis? Quodnam autem periculum nisi violandæ Charitatis? Unde si Charitas cogitat malum, nonne in hoc se periculum injicit, nonne secum pugnantia facit, nonne se destruit?

Adde, cùm Charitatis sit excusare delinquentem, quibus modis excusari potest, multi sint autem modi, multæque viæ, quibus qui judicantur, excusentur: quomodo Charitas non secum pugnabit si judicet potius quâ excuset! Sic præclarè sanctus Bernardus: *Etsi jamsi perperam aliquid deprehendas, nec sic judices proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi & dicito apud temetipsum, vehemens fuit nimis tentatio: quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem?*

Serm. 4. in Cant.

Denique cùm sint liberæ hominum cogitationes, ac proinde cùm Charitas in homine tam possit continere cogitationem mali de aliquo, quàm movere: quare nō eam retineat, si sit vera Charitas? aut quomodo vera esse possit Charitas si non eam retineat? Nonne id magis proprium & connaturale est Charitati, ut id omne, quod proximum tantisper lædat, averserur & avertat, quantum quidem averti potest? Sic rursum sanctus Bernardus, ubi post multa de cohibendis judiciis & cogitationibus à manifestis etiam aliorum delictis, sic concludit: *Memento quia Charitas operit multitudinem peccatorum*, applicans illud sancti Petri in hunc sensum, ut operire multitudinem peccatorum sit, quasi non videre, non cogitare; quantumcunque multa & manifesta sint, tamen ingeniosa Charitas ita scit illa operire, ut quasi non sint, quasi non videat, omnino non cogitet. Quod cùm ita sit proprium Charitati ut nemo dubitet; quis dubitare possit, si è contra Charitas intueatur peccatum & cogitet malum proximi, quod secum ipsa pugnet, seseque destruat?

Serm. 12. in Cant.

1. Pet. 4.

III. PUNCTUM.

SI ergo *Charitas cogitaret malum*: *malum de Charitate cogitari posset*: Cum cogitari posset aliquid contrarium ipsi Charitati, quod non est nisi malum. Quod cùm omnino fieri non possit, duo hæc sequantur necesse est, aut quod vera Charitas non cogitet malum; aut si quis cogitet malum, non sit in vera Charitate, sed falsa & simulata, qualis est tua sæpius, quæ sub prætexta curæ & solicitudinis de aliorum salute & profectu, nimis te angis & torques, si quid videlicet, quod non placet in proximo videas, tum statim offenditur animus, exacerbatur, commovetur, suspicatur plura quam videat, atque illud etiam quod videt exaggerat. Incertum pro certo habet & apparens pro vero credit; dumque sic mente versas aliena facta, putabis esse zelum, putabis esse Charitatem? ô mendaces in stateris homines. Non sic non sic Charitas cogitat malum; aut si sic cogitat malum: malum hoc de illa verius cogitari potest, quod non sit Charitas sed zelus ille amarus & contentiosus, qui à Scriptura reprobatur, & qui tā alienus est à vera Charitate, quam vitium à virtute. Rectè omnino Sapiens: *multos supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.* Ubi illud in *vanitate*, non tantum significat superbiam aut complacentiam sui, sed inanitatem & falsitatem rei, quasi diceret, frustra suspicantur & commoventur; nihil eorum est quod cogitant, aut non tam grave est quàm putant: suo ipsi sensu detineantur in suspicione & cogitatione mali, non certo & solido judicio. Interim verò patitur justus quando sic malè & falsò judicatur.

Ps. 61. Iac. 3. Eccles. 3.

Cave hanc in cogitando de aliis vanitatem & injustitiam. *Ad teipsum oculos reflecte*, inquit pius author, *& aliorum factis caveas judicare: In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat & leviter peccat, seipsum verò judicando & discutiendo, semper fructuosè laborat. Sicut res nobis cordi est, sic de ea frequenter judicamus, nam verum judicium propter privatum amorem facilè perdimus.*

L. 1. de Imit. Ch. c. 41.

Hoc ipsum graviter sanctus Ambrosius: *Cùm unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore qui non habet quod in ipso condemnet. Iudicet ille qui ad pronuntiandum*

In Ps. 118. Hom. 20.

Matt. 1

dum, nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. An tu hoc de te judicare præsumetes, quod nulla in judicando de aliis levitate du-caris, nihilque habeas quod in teipso condemnes?

Vide in 3. parte, Feria 2. hebdomadæ 14.

FERIA QVINTA.

CHRISTVS DOMINVS PETRO SVAS Pascendas oves concredit; simulque demonstrat Charitatem, quæ non gaudet super iniquitate.

Pasce agnos meos, pasce oves meas. Ioan. 21.

VERITAS PRACTICA.

Gaudere super iniquitate, plerumque est iniquius quam ipsam iniquitatem admittere.

RATIO EST, Quia quo magis voluntarium est malum eò est maius seu iniquius.

Atqui gaudere super iniquitate plerumque magis est voluntarium, quàm ipsam iniquitatem admittere.

Ergo & est iniquius.

I. PUNCTUM.

CVM prandissent, inquit sanctus Ioannes Evangelista, *dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis diligis me plus his; dicit ei, etiam Domine, tu scis quia amo te; Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Ioannis, diligis me? Ait ille, etiam Domine tu scis, quia amo te; Dicit ei, pasce agnos meos Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, amas me; & dixit ei, Domine tu nosti omnia, tu scis quia amo te; Dixit ei, pasce oves meas.*

Expende hic primò quàm præcipuè fundata sit Ecclesia & Religio christiana in cognitione & amore Domini nostri Iesu Christi. Quando enim Dominus promisit claves regni cœlorum Petro, hanc exegit ab eo fidei cõfessionem, *Tu es Christus filius Dei vivi*; Nunc verò cùm ei tradit quod promisit, amorem sui postulat; *& negationi trinæ trina confessio redditur, ne minus amori lingua serviat quam timori*; ut ait S. Augustinus. Matt. 16.

Deinde considera, quod si Petrus ostendit se amare Christum Dominum, acceptando curam ovium Christi, quantò magis ipse Dominus Petrum & oves suas diligere significavit, quando pastori providit omnia, quæ ad pascendas & servandas oves essent opportuna? Cumque inprimis potestas remittendi peccata fuerit necessaria, cogita quam amplam & integram primò quidem ipsi Petro tradiderit, dicens ei, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; Tùm verò reliquis simul Apostolis: *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Matt. 16. Ioan. 20.

Tertiò quod hic maximè est proprium; expende, quàm verè de hac Christi Domini Charitate dici possit, *quod non gaudeat super iniquitate.* Cùm enim tùm iniquitas maxima in mundo abundaret, & meritas à divina justitia provocaret pœnas, en potius divina clementia veniam, remissionem, relaxationem, & omnium peccatorum condonationem loquitur, & prædicat, sicut ante ex Propheta Christus ipse Dominus declararat: *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, Is. 61. prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis.* Luc. 4.

Hæc est verè Charitas quæ non gaudet super iniquitate, cum ei potius condoleat & commisereatur, & remedium afferat. Huic Charitati debes salutem tuam, cùm ei debeas peccatorum tuorum remissionem sine qua nulla est salus.

Et verò hanc ut imiteris, caveasque diligenter ne aliquando gaudeas super iniquitate, attende ex Veritate proposita, quàm illud

iniquum & impium sit supra ipsam etiam iniquitatem de qua gauderes. Nempe illud peccatum semper habetur iniquius, quod à liberiori profectum est voluntate. Est enim libertas voluntatis, & advertentia intellectus, principium & radix totius malitiæ & iniquitatis, unde quò voluntas erit liberior sive quò iniquitas erit magis voluntaria, eo erit gravior, ut expresè sanctus Thomas: *Actus, inquit, in tantum est peccatum, inquantum est voluntarius, & in nobis existens: esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem & voluntatem: unde quantò ratio & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium & in nobis existens, & secundum hoc passio minuit peccatum, inquantum minus voluntarium: passio autem consequens magis auget, vel potius est signum magnitudinis eius, inquantum demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati.* 1.2.q.77. a.6.

Idemque alibi: *Cum peccatum principaliter in voluntate consistat, quantò motus peccati est magis proprius voluntati, tantò peccatum est gravius, cæteris paribus.* Atque hinc Apostolus: *voluntariè peccantibus nobis, iam non relinquitur propeccatis hostia*: Quasi diceret, cùm alia aliis sint magis voluntaria peccata, si quæ sint magis voluntaria, sunt graviora & difficilius remittuntur. O quanta voluntati humanæ debetur vigilantia, unde tantum importatur detrimenti! 2.q.78 a.4. Hebr.10.

II. PUNCTUM.

ATQVI gaudere super iniquitate plerumque magis est voluntarium, quam ipsam iniquitatem admittere.

Cùm enim multa libertatem seu voluntarium in ipso peccati actu diminuere possint, ut inadvertentia, fragilitas, præcipitatio, acceptæ injuriæ sensus, quælibet passio, quæ dicitur antecedens, aut metus impendentis mali, vel quid simile, de quo S. Thomas & alii, tum nihil horum in gaudio quo sentitur super iniquitate, locum habere potest; valde enim liberè & plenè voluntariè concipitur tale gaudium, & est expressa quædam peccati approbatio, & supremus veluti gradus peccantium; unde Sapiens, *Qui lætantur cum male fecerint & exultant in rebus pessimis*, & itetũ, *qui exultant in malis, consenescunt in malo.* Sanctus item Iacobus: *nunc autem exultatis in superbiis vestris, omnis exultatio talis maligna est*: quasi diceretur, hoc est, quod præcipuè indicat malignitatem animi, sic exultare in peccato. *Agnitio vultus eorum respondit eis, vt enima eorum.* Sic aptè Propheta & graviter. 2.q.77. Prov.2. Eccles.19. Isa.3.

III. PUNCTUM.

SIC ergo gaudere super iniquitate, plerumque est iniquius quàm ipsam iniquitatem admittere: Quia major est libertatis & voluntatis accessio, unde major exurgit iniquitas. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis: iniquitatè in excelso locuti sunt.* Quæ certè consideratio plurimum valere debet ad compescendum illud gaudium, cùm forte nolles illud peccasse, quod alium gaudes perpetrasse, & tamen gaudendo idem peccas & gravius, ut vidisti. Quod validè confirmatur ex ante dictis, ubi ostensum est, quod qui ruina gaudet inimici, ruinam ejus in se trahit. Vide in hac parte, Sabbatum hebdomadæ 3. in Quadragesima. Ps.72.

Certè quàm verum est illud sancti Augustini, *Gaude bono meo & tuum est*, tam certum est; istud; si gaudes malo meo, tuum est; hoc enim efficit gaudium in quamcunque se dedat partem, ut meritum vel demeritum participet ejus operis, cui congaudet; *Quoniam qui Rom.1. talia agunt digni sunt morte: non solum qui ea faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus.* Adde quod cum istud gaudium sit manifestè contra Charitatem, tam longè gravius esse poterit iniquitate alterius, quàm virtus, cui opponitur talis iniquitas, erit inferior Charitate. *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem eum qui sunt ex parte illius*, inquit Sapiens; Vellesne ex parte esse Diaboli? At illius planè sunt qui gaudent super iniquitate, quoniam hoc est unum ipsius gaudium. Sap.2.

FERIA

FERIA SEXTA.

CHRISTVS DOMINVS MITTENS Suos in universum mundum, & promittens se miraculis confirmaturum quæ prædicarent, ostendit Charitatem quæ Congaudet veritati.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ. Marci 16.

VERITAS PRACTICA.

Aut amandus tui contemptus, & te contemnenti congaudendum: aut non amanda Charitas quæ congaudet veritati.

RATIO EST, Quia ubicunque est veritas, eam amat & congaudet illi Charitas, aut ipsa Charitas non amatur & deponetur.

Sed in tui contemptu est veritas, seu veritas est te esse contemnendum.

Ergo ex illa Charitate aut amandus est tui contemptus, aut illa Charitas non amanda & deponenda. Quod cum sit damnosissimum, assumenda hæc consideratio ad faciliorem contemptus sui tolerantiam.

I. PUNCTUM.

HUC referenda sunt, quæ habentur Marci ultimo, ubi Dominus apparens undecim recumbentibus, *exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent;* Et quæ plura habentur, ex quibus patet, primò quidem Christi Domini Charitas, qui mundo universo providet & constituit Prædicatores qui eum veritatibus Evangelicis imbuant; tùm verò etiam appareat ea Charitas *qua congaudet Veritati*, quando promittit se miraculis confirmaturum Veritates illas, quæ prædicarentur, & crederentur: est enim miraculum approbatio quædam cælestis & divinæ illius doctrinæ, cujus causâ tale patratur miraculum, unde prædicantibus ubique Evangelium Apostolis, cui Dominus cooperaretur & quorum sermonem confirmaret sequentibus signis, tam certò ipsa erat eius Charitas, quæ tùm verè congaudebat veritati, quàm certum erat sic comprobari veritatem.

Hinc porro disce ad stabiliendum magis magisque tui contemptum in quo tam sæpe laboras, quod si habes illam Charitatem, gaudebis te contemni, & congaudebis te contemnenti; aut si non ita gaudeas, verendum maximoperè ne desit illa Charitas. Nam ubicunque est Veritas, illi congaudet Charitas, id est, gaudet de illa veritate quisquis habet illam Charitatem; est enim proprietas Charitatis individua, ut quamlibet veritatem amet, approbet & magnifaciat. Nam cùm Veritas & Charitas sint à Deo, tam necesse est Veritatem à Charitate coli, quàm Charitatem à veritate prædicari; unde Apostolus tam sæpe utramque conjungit ut vix unam ab alia separet. *Veritatem*, inquit, *facientes in Charitate, crescamus in illo per omnia qui est Christus.* Et alibi, *in iis qui pereunt, eo quod Charitatem Veritatis non receperint ut salvi fierent.* Audisne anima? aut pereundum, aut Charitas veritatis recipienda. Ephes. 4. 2. Thess. 2.

II. PUN-

II. PUNCTUM.

SED ipsa est veritas, tui contemptus: ipsa est veritas, te contemptibilem esse & contemnendum; ipsa est veritas te dignum esse omni opprobrio & contemptu.

Licet enim is, qui te contemnit, forte peccet; aut forte id falsum dicat vel cogitet quo te contemnat; aliunde tamen tam verum est te semper esse dignum omni opprobrio, ut quidquid dicant & sentiant homines, id semper verum sit; Nam revera peccator es, & in veritate seu coram Deo, omnis peccator se omni contemptu dignum existimare debet, aut nescit quid sit esse peccatorem. Aptè Propheta; *Contemptibilis tu es valde, superbia cordis extulit te.* Cui conformiter Author libri de Imitatione Iesu. *Ego te docebo, ait veritas, quæ recta sunt & placita coram me. Cogita peccata tua cum displicentia magna & mœrore, & nunquam reputes te aliquid esse propter opera bona. Revera peccator es, & multis passionibus obnoxius & implicatus. Ex te semper ad nihil tendis, & citò laberis, citò vinceris, citò turbaris, citò dissolveris. Non habes quidquam unde possis gloriari, sed multa, unde te debeas vilificare; quia multò infirmior es quàm vales comprehendere. Nihil ergo magnum tibi videatur ex omnibus quæ agis: nil grande, nil pretiosum & admirabile, nil reputatione appareat dignum, nil altum, nil verè laudabile & desiderabile nisi quod æternum est. Placeat tibi super omnia, æterna veritas, displiceat tibi super omnia, semper maxima vilitas tua.* Et in alio capite ejusdem libri, *Quid habes homo inanis conquerì? Quid sordide peccator, potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti & toties infernum meruisti? sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo, ut cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficiis meis existeres, & ad veram subjectionem & humilitatem te iugiter dares,* PATIENTERQUE PROPRIUM CONTEMPTUM FERRES.

Abdiat.

L. 3. c. 4.

c. 13.

Digna certè consideratio quæ diligenter expendatur. Nonne pœnas inferni & opprobrium illud sempiternum meruisti! At ecce commutavit illud Deus in levem illum contemptum qui modò tibi accidit. Fecitne tibi Deus injuriam? Cur autem non auderes dicere tibi ab eo factam injuriam, nisi quia reus es & revera dignus tali pœna? An concedes te dignum quidem contemptu qui à dæmonibus apud inferos inferretur, & negabis te illo dignum qui ab hominibus hìc in mundo ferendus est? hæc est peccati tui pœna quam nisi fatearis te meteri, vix te peccatorem agnosces. *Cognovi Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.* Ps. 118.

III. PUNCTUM.

AVT ergo est amandus tui contemptus & te contemnenti congaudendum: aut nō amanda Charitas quæ congaudet omni veritati, qualis est illa quæ de contemptu tui tam certa est quàm te esse peccatorem. Quod egregiè confirmatur ex his quæ passim habet sanctus Augustinus, duos nempe amores fecisse duas civitates, unam à contemptu sui usque ad amorem Dei; alteram ab amore sui usque ad contemptum Dei; ubi manifestè opponit Charitatem, & amorem nostri; & tam necessariò infert contemptum tui ex Charitate Dei, quàm contemptum Dei ex inordinato amore tui. L. 14. de Civit. c. 28.

O quale illud, *Deum à te contemni!* possesne id admittere? Ergo admittendus tui contemptus. Et nullus ita te potest deprimere & contemnere, quin tu ipse teipsum magis infrà ducas & spernas, quia te magis quam ullus alius debes agnoscere peccatorem & contemnendum. Et licet ista sensu non percipiantur, imò contraria sæpe sentiantur; tamen agendum est fide & ratione, cum, quidquid contradicat appetitus aut reluctetur sensus, dicendum cum Davide; *Quid mihi & vobis est? Dimittite eum ut maledicat, juxta præceptum Domini: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2. Reg. 16.

Itemque cum Divino Kempensi; *Domine in cæcitate sumus & vanitate citò seducimur. Si rectè me inspicio, nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura, unde nec iustè habeo conqueri adversum te. Quia autem frequenter & graviter peccavi tibi, meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur iustè debetur confusio & contemptus, tibi autem laus & gloria.* L. 3. c. 46.

Vide in hac parte totam hebdomadam 4. Quadragesimæ. Et in 3. parte, Sabbatum hebdom. 8.

SABBA-

SABBATO

DE MIRACULIS SPIRITUALIBUS

Quæ Charitas Domini quotidie operatur, ut ostendat se congaudere Veritati.

In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Marci. 16.

VERITAS PRACTICA.

Sapienter ille, qui maluit liber peccato, possideri à dæmone, quàm vel levi cum peccato liberare possessos.

Anonymus ille est, de quo sic Surius in vita sancti Severini Noricorum Apostoli, octavo Ianuarii. *Severus*, inquit, *Sulpitius refert ex relatione Posthumii; virum quendam magnis virtutibus signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo jactantiæ vanitatem quam incurrerat, exoravisse ut permissa in se, mensibus quinque, diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curaverat.* Et post pauca: *Itaque correptus à dæmone, tentus in vinculis, omnia, quæ Energumeni ferre solent, perpessus, quinto demum mense curatus est, non tantum à dæmone, sed quod illi erat utilius atque optatius, ab elationis vanitate.*

Iam ergo quod Sapienter ille maluerit liber peccato possideri à dæmone, quàm vel levi cum peccato liberare possessos:

RATIO est, quia Sapientis est ex duobus malis semper minus eligere, seu maius evitare.

Sed possideri à dæmone, minus malum est quàm vel leve peccatum committere, quacunque de causa.

Ergo Sapienter ille, qui maluit liber peccato possideri à dæmone, quàm vel levi cum peccato liberare possessos. Quod certè est consideratione dignissimum.

I. PUNCTUM.

LICET idem Evangelium eademque veritas, quæ olim ab Apostolis, etiam nunc prædicetur & observetur, non tamen eadem semper, seu non eodem modo facta sequuntur miracula; non jam ita frequenter dæmones ejiciuntur è corporibus sicut olim; non linguæ audiuntur novæ, non serpentes, non morbi omnes sic tolluntur, aut similia patrantur miracula, sicut initio nascentis Ecclesiæ; nec tamen propterea Charitas Domini deest quin semper appareat & congaudeat veritati prædicatæ, creditæ & observatæ. Nam quod primis temporibus, sensibili fiebat modo circa corporum sanitatem, id spirituali nunc & invisibili gratia geritur circa salutem & sanctitatem animarum. Ut fusè tractat Cassianus collatione duodecima, capite duodecimo.

Quid enim est peccatum expelli aut pravos ab anima motus coerceri, nec non vitiosos exui habitus, quid aliud inquam est, quam dæmonem pelli aut serpentes vel morbos tolli? Et cùm per Evangelicæ veritatis prædicationem & observantiam sic anima liberetur peccato, suisque pravis affectibus, ut jam planè aliter vivat & loquatur, nonne ea est divinæ charitatis operatio quæ se semper ostendit congaudere veritati? Sic apertè divus Gregorius: *Habemus*, inquit, *de his signis atque virtutibus, quæ adhuc subtilius considerare debeamus: Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritualiter facit quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat.* Quæ postquàm fusius declaravit, sic concludit: *quæ nimirum miracula tantò majora sunt, quantò spiritualia: tantò maiora sunt, quantò per hæc non corpora sed anima suscitantur.* Hom. 29. in Evang.

Quæ quidem postrema verba sunt valde consideranda: neque enim ita fert communis opinio & vulgaris sensus de miraculis. Vide quanti fiat apud homines, dæmonem expelli à corpore, mortuum suscitari, aut aliud simile

miraculum; Et certè est quod colatur & celebretur gratia, quæ gratis data dicitur & cui totus non æquiparetur mundus; verũ si comparetur cum gratia sanctificante, cum charitate aut aliis virtutum heroicis & meritoriis actibus, qui dicuntur miracula spiritualia: certissimum est quod ait sanctus Gregorius, tantò hæc præstare miraculis corporalibus, quantò animam corpori, quantò sanitati corporis sanctitatem animæ, & quantò vitam spiritualem ac æternam temporali.

Noverat hoc ille Sanctus, qui cùm in dæmones ex humanis corporibus expellendos divinum quoddã exerceret imperium, timeretque sibi à vana gloria; *Sapienter maluit liber peccato ab ipso dæmone, quem expellebat, possideri, quàm vel levi cum peccato liberare possessos.* Quæ sancti Viri sententia quia plurimum facit ad discretionem veri boni, verique mali; ãdcirco veritatis loco practicæ nobis esse debet, quæ sic apertè declaretur & attentius consideretur.

Constanter illud tenendum est, quod ex duobus malis gravius semper est declinandũ, & minus eligendum: quando videlicet utrũque simul evitari nõ potest, & necessitas quædam incumbit, aut manifestum periculum incurrendi in alterutrum è duobus; tunc perinde ratio & Religio suadent majus malum esse vitandum, sicut omne malum esse fugiẽdum. Cùm sint autem duo præcipua malorum genera, quæ diversas sub se species continent, nempe malum morale seu spirituale, quod est malum culpæ: & malum naturale seu temporale, quod est malũ pœnæ: sic Propositio debet intelligi, ut si necesse sit incidere in malũ aliquod naturale vel morale; morale hoc fugiatur potius quam naturale; quia majus est malum, ut dicetur sequenti puncto. Si verò etiam duo concurrant moralia, in quorum alterum necesse sit cadere, tunc minus eligatur, sicut natura satis docet ex duobus naturalibus & sensibilibus malis; illud fugere quod est gravius, & eligere potius morbum quam mortem, medicinam quam morbum, venæ præcisionem quam brachii, aut certè jacturam brachii quam totius corporis. *Sic nemo unquam carnem suam odio habuit, sed & nutrit & fovet eam, sicut Christus Ecclesiam,* inquit Apostolus, id est si de carne seu de vita naturali conservanda solum agatur, certè debet præferri bonis aliis naturalibus, nec pro pecunia vel prædiis & domibus vita est prodigenda: Sed si agatur de anima, tunc ait idem, *debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Et præclarè S. Bernardus: *sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei à Domino, non permanebit spiritus meus in homine quia caro est: diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam servet. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci eius plus obediat quàm divinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis.*

Ephes. 5.

Rom. 8.

Serm. 10. in Ps. Qui habitat.

Dan.

II. PUNCTUM.

SED possideri à dæmone, minus malum est quàm vel levè peccatum committere, quacunque de causa.

Est enim illud malum ex eo genere, quod diximus naturale & pœnæ, nempe quo corpus divexetur, aliud verò malum est morale & culpæ; quo non tantùm anima læditur, sed & ipse Deus offenditur: unde quanta est distantia non solum animæ & corporis sed & ipsius Dei, & hominis ac totius universi, tanta omnino est inter utrumque illud malum; ac proinde minus est mali quidquid omnes patiantur homines, sive in terra, sive in purgatorio, seu etiam in inferno, quam vel unum veniale peccatum: quia quamtumcunque gravis sit illa pœna, pœna est hominum, malum est creaturæ: at peccatum, malum est Creatoris, læsio est & injuria divinæ majestatis; quod malum etiamsi leve sit in suo genere, in eo tamen genere mali est, ut minimum hujus generis malum sit majus maximo & gravissimo alterius generis malo: atque illud, quod communiter dicitur, maximè hic locum habeat: *Infimum supremi, majus est supremo infimi.*

Matt. Luc.

Jobum intuere suis involutum pœnis à planta pedis ad verticem, admirare quo mentis robore tantam malorum molem sustineat potius quam se mortali culpa inquinet: verùm quæ est humana fragilitas, in venialem incidit, & ut ipse loquitur, *insipienter locutus est, & quæ ultra modum excederent scientiam ipsius*: tanta verò eum pœnitudo hujus offensæ tenuit, ut quasi nihil pateretur, novas sibi pœnas imposuerit, quibus illam culpam expiaret,

Job. 42.

pìaret, cujus malum sentiebat esse gravius quàm quidquid in corpore sustineret, quia scilicet Iobus se majorem Deum norat, quem se vel leviter offendisse videbat *Idcirco*, inquit, *ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.*

Atque hoc est, quod pro certo apud omnes & ex fide docetur, dolorem contritionis seu attritionis vel de uno peccato, super omnem esse dolorem, non quidem in sensu, sed in appretiatione: id est, si fieret optio sustinendi quoscunque mentis & corporis cruciatus, aut peccandi: eligerentur potius quæcumque mala pœnæ, quàm vel minimum culpæ malum. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. Sic pudica Susanna, sic fidelis quæque anima; vel si quæ non ita sentiret & loqueretur, infidelis esset, impœnitens esset, peccatrix esset, atque si in eo statu moreretur, in peccato moreretur.

III. PUNCTUM.

Sapienter ille igitur qui maluit liber peccato, possideri à dæmone, quam vel levi cum peccato liberare possessos; quia Sapientis & Christiani est ex duobus malis semper evitare gravius, & eligere minus: possideri autem à dæmone, minus malum est quàm vel leve peccatum, quacunque de causa, pro damnatis etiam omnibus liberandis, commissum, cùm sit Dei offensa, quæ quantumvis minima, purgatoriis tamen ignibus expiari debet qui omnes hujus vitæ acerbitates & cruciatus sua superant gravitate pœnæ. *Amen dico tibi*, ait ipse Christus, *non exies inde, donec reddas novissimũ quadrantem: donec etiam novissimum minutum reddas*: id est; nullum est minimum culpæ malum, cujus non debitæ solvantur pœnæ, & cujus pœnæ solvendæ non sint gravissimæ, si cum hujus vitæ pœnis comparentur. Matth. 5. Luc. 12.

Illud scitote, inquit sanctus Bernardus, *quod post hanc vitam in purgabilibus locis, centupliciter quæ fuerint hic neglecta redduntur usque ad novissimum quadrantem.* Sanctus item Augustinus: *Ille purgatorius ignis durior erit quàm quid potest in hoc sæculo pœnarum videri aut cogitari aut sentiri.* Cur porro illic tam graves pœnæ pro minima culpa, nisi quia minima culpa gravius & majus est malum, malis his omnibus pœnæ? In obitu Humberti. Serm. 41. de sanctis.

Sic dæmon ipse acerrimus hominum hostis non tam curat homines divexare quàm in peccatum inducere; hoc unum pro fine habet, per pœnas vel per illecebras, in malum culpæ provocare: quia hoc scilicet novit unum esse malum.

Quin quod ipse Deus divinique homines utuntur pœnis corporalibus, atque ipso etiam dæmone, velut flagello, ad evitandas quascunque culpas. Quod non sic fieret nisi culpa majus esset malum quàm pœna, quàmve dæmon possidens corpus aut torquens hominem, unde Apostolus tradidisse se ait, *hominem, Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* 1. Cor. 5.

Denique pœnarum omnium causa, peccatum est, pœnam vult Deus & statuit; at peccatum velle nunquam potest. Tu è contra, vis peccatum, nec vis pœnam, quæ esset necessaria ad illud evitandum, & quam si velles, peccato abstineres. Cur autem non vis pœnam nisi quia majus putas malum: Cave id deinceps credas; & illud sancti Anselmi adjunge ad sententiam hujus sancti Viri quam modò explanamus: *Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorem, & necessariò uni eorum haberem immergi; prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus, cœlorum regna tenere; cùm constet solos malos in inferno torqueri: & solos bonos in cœlesti beatitudine foveri.* Tu idem fortè dixeris, quando abest peccandi occasio: sed quando hæc adest, tunc judicandum an verè dixeris. L. de similitudinibus c. 190

DOMINICA IV. POST PASCHA.

DE NECESARIO CHRISTI DISCESSU, ET IN EIUS VICEM VENTURO SPIRITU SANCTO, QUI MUNDUM ARGUAT DE PECCATO. Ioan. 6.

VERITATES DIVERSÆ PRACTICÆ.

Vado ad eum qui misit me.

Sicut à Deo, sic ad Deum.

SENSUS est, quod sicut à Deo sumus, sic nos ad eum nostraque omnia referamus. Tanta est necessitas unius atque alterius. Differentia quidem est necessitatis, quandoquidem illa est Physica & extra nos posita, quâ sumus à Deo; altera verò quâ nos ad eum referamus, est moralis, & à nobis cum divina dependens gratia; sed tamen hæc tam una tantaque est necessitas, ut verè dici possit, quòd sicut necessariò sumus à Deo, sic necessarium sit, ut nos ad eum referamus. Liberum quidem nobis est, ut id actu fiat cum gratia; sed ne desimus gratiæ, nostroque debito, persuadeamur oportet id esse nobis tam necessarium quàm si non esset liberum.

RATIO hæc est inter alias, quòd non minus de fide sit, Deum esse necessariò Finem nostrum, ad quem nos nostraque omnia referre debeamus, quàm necessarium esse Principium nostrum à quo sumus.

Sed posita illa fide, si velimus debito nostro satisfacere, tam necessarium nobis est, ut nos ad Deum nostraque omnia referamus, quam si non essemus liberi.

Ergo sicut à Deo, sic ad Deum. Sicut non dubitamus de uno, sic certi simus de alio: sicque in praxi, quod nostrum est, cum gratia constanter peragamus.

De prima propositione passim omnes Theologi, quos inter accuratè Lessius tractatu de perfectionibus moribusque divinis lib. 14. Satisque patent omnibus sacræ Scripturæ tam evidenter utrumque simul proponentes, ut qui agnoscat Deum esse nostrum principiũ à quo sumus, agnoscat & esse finem cujus gratia sumus, & ad quem nos nostraque omnia referre teneamur. *Ego Dominus, primus & novissimus ego sum. EGO primus & ego novissimus, & absque me non est Deus. PROPTER me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Audi me Iacob & Israel quem ego voco. Ego ipse, ego primus & ego novissimus; manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cœlos, ego vocabo eos & stabunt simul.* Quasi diceret, hoc in primis attende, quisquis es Dei cultor, sicut ego sum Primus & Princeps, à quo sunt omnes creaturæ, sic Ego ipse sum Novissimus, & omniũ Finis ad quem referri debent. Et quidem cæli ac terra, statim atque jussero, sistent se ut famuli ad nutum heri sui; tu verò fili, liber es, sed ut me audias, ut ad me venias invito, excito, moneo: si libertatem tuam spectas, quod voles facies; si tuum verò debitum, non minus venies quam cætera creata omnia. Is. 41. 44. 48.

Ne cui verò esset ambiguum, quin vox, *novissimus*, æque significaret finem; *ac primus*, principium; sic alibi tria hæc simul unà conjunguntur, ut nullus ambigendi supersit locus. *Ego sum α & ω, primus & novissimus, principium & finis.* Quod quidem ita de fide est, ut cum vigeret Arianismus, Christiani morientes qui se volebant orthodoxos profiteri, suis in sepulchris incidi curabant α & ω, quasi dicerent, se in illa vixisse & mortuos esse fide, quæ Iesum profiteretur æquè esse Deum ac Deum Patrem, & æquè de utroque intelligi quòd sit principium & finis noster; *Qui*, ut ait Sapiens, *universa propter semetipsum operatus est*: Et Apostolus, *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*; græcè est εἰς αὐτὸν in ipsum, sive ad Apoc. 22. Apud Corn. Apo. 1. ex Ambr. Moraler. Prov. 16. Rom. 11.

ad ipsum, ut ipsemet Apostolus alibi clarè
Hebr. 2. ait, *Propter quem omnia, & per quem omnia.*
Ibid. 2. Denique quantùm indubitanter Deus dicitur & creditur Dominus noster, Dominus
Matth. 11. Cæli ac Terræ, Dominus omnium, tam certò affirmatur esse finis noster, ut non sit aliud esse Dominum, quàm de nobis posse statuere
Eccl. 17. prout velit; nec sit aliud, esse finem nostrum, quàm ut sic, prout velit, de nobis statuat; &
1. Reg. 3. quod statuerit, planè velimus. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Nonne id credis & dicis?

SED, quæ est altera propositio, *si certa fide hoc creditur, velimusque debito nostro satisfacere, tàm necessarium nobis est, ut nos ad Deum nostraque omnia referamus, quàm si non essemus liberi*; neque enim talis libertas nos à debitis nostris magis exolvit, quàm à cæteris omnibus Christianæ justitiæ tùm positivis, tùm negativis officiis, ad quæ præstanda similiter liberi sumus. Sed quo sensu liberi? nempe ut possimus nolle, aut velle cum gratia; si autem volumus, liberè ac volùtariè id velimus quod debemus: atque hoc ipsum quod debemus & volumus, semper exequamur, non necessariò sicut animantes belluæ, non coactè sicut serviles animæ. Quo in sensu etiam dixit Apo-
1 Tim. 1. stolus, *legem justo non esse positam*, id est, non coerceri justos legibus sicut injustos, quia ultro illi & sponte legem observant: Sunt enim in qualibet lege tria consideranda, nempe *obligare, dirigere, & coercere sive punire.* Duo priora lex in justos æque ut injustos exercet, tertium verò in injustos qui se duobus primis non subjiciunt.

Hoc ipso itaque, quo agnoscis Deum esse finem tuum, tanta necessitate, tanto jure, tantaque teneris obligatione, te ad illum totum referre, quanta est ipsa quodammodò necessitas, quâ Deus est finis tuus. Expende verba, necessitatem pondera, vide etiam atque etiam qualis quantaque sit illa necessitas, *Deum esse finem tuum*, nempe ut aliter omnino non possit esse; nec enim potest Deus non esse finis noster, tanta est hujus perfectionis in Deo necessitas, quanta est ejus absolutæ perfectionis, imò & existentiæ, quâ certè necessitate nihil majus dici potest. Sic ergò de te cogita: sic te obstrictum crede ad finem illum tuum prosequendum, ut aliter licitè non possis velle. Liberum tibi quidem est licitè vel illicitè velle quod agas: sed posito quod velis tantùm, sicut tantùm velle debes, licitè agere; tam necessarium tibi est ad illum finem tendere, quàm quod de Deo dicimus, illum esse necessariò finem nostrum.

O strictissimam simul & liberrimam, atq; amantissimam necessitatem! Quis enim non libens volens sese illi subjiciat? quid illo fine præstantius? quid delectabilius? aut quid utilius? Et tamen quàm pauci se totos illò referunt? quàm multi contrà toti sunt in concupiscentiis tam studiosè complendis, quasi finem & scopum alium non haberent! Tu in quantis hic delinquas, attentè discute. Ne ita spectes quid bene agas quàm quid non bene, nam totum bene tali fini debetur. Expressa vox est in illo primo & maximo mandatorum mandato, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; Nam *cùm Deus*, inquit sanctus Thomas, *ut ultimus finis sit diligendus, ad quem omnia sunt referenda, decuit nobis mãdari, ut eum ex toto corde diligeremus.* Et paulò post, *& ideo totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione.* Et tum sequenti articulo, *convenienter nobis præcipitur, ut Deum diligamus ex toto corde, id est, ut tota nostra intentio Deum referatur intentio.* 2. p. q. 44. a. 4. & 5.

Qua de re vide in 1. parte, die 3. & 4. Ianuarii. In 4. parte, Dominicam 17. Ibidemque præcipuè Sabbato hebdomadæ 15. ubi de libertate proponuntur hæ duæ veritates suprà dictis multùm accommodæ.

Qua re una potissimum à Dei cultu avocamur, eadem potius ad eum advocandi sumus. *Nempe libertate.*

Tantùm abest quòd, qui sunt verè liberi, non se subjiciant; ut non sint aliter verè liberi, nisi se subjiciant.

Ad verba etiam proposita, *Vado ad eum qui misit me*, possent hæ referri.

Sicut à Deo quærendum est officium, ita in officio quærendus est Deus.

In 2. parte, ubi de statibus in fine, consideratione 3.

Ad Sacramentum, unde virtutes exeunt, revertuntur, ut iterum fluant.

In 3. parte, Feria 2. hebdomadæ 2.

Qui nõ est sẽper paratus, nunquã est paratus.

In 4. parte, Feria 3. hebdomadæ 28.

Qui supra mortem est, infra se videt omnia.
In 2. parte, hebdom. 2. Quadragesimæ.

ALIA DEINDE PROPONUNTUR EVANGELII VERBA, QUIBUS PRACTICÆ subjiciantur Veritates.

VERITATEM *dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.*
Non quid liceat, sed quid magis expediat.
In 1. parte, Die 8. Ianuarii.

Sic pia etiam desideria debent esse ardentia & temperata: ut qua ratione sunt ardentia, sint eadem & temperata.
In 2. parte, Feria 5. hebdomadæ Sanctæ.

Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.

Inordinata quævis affectio, licet parùm sit mala, non est tamen parvum malum.

RATIO verborum Domini, ac subjectæ Veritatis, quia non refertur alibi, sic videtur paulo hic fusius enarranda.
Non est parvum malum, quod impedit magnum bonum.
Sed inordinata quævis affectio, licet parùm sit mala, magnum tamen impedit bonum.
Ergo non est parvum malum, nec parùm considerandum.

I. PUNCTUM.

ITANE sic expediebat Christum à suis discedere, ut nisi discessisset, nunquam Paraclitus ad eos venisset? Sic planè, quandoquidem sic apertè Christus Dominus. Sed nunquid si remansisset in terris poterat æquè suum communicare spiritum? Poterat quidem sed *illi non poterant capere spiritum, quamdiu secundum carnem, Christum nosse persistebant*: sic sanctus Augustinus, ex quo & aliis mox referendis, hæc inter alias, stupenda colligitur ratio dictorum Domini, quod cùm Apostoli diligerent ita Christum ut eum à se separari non nisi ægrè & dolenter ferrent, ista dilectio non satis ordinata videbatur, & quamdiu sic minus ordinati essent, minus erant capaces sancti Spiritus recipiendi.

Serm. 20. in Cant. *Diligebant*, inquit sanctus Bernardus, *& non diligebant: Diligebant dulciter sed minus prudenter: diligebant carnaliter sed non rationabiliter. Dilectio eorum contra salutem eorum.* Sanctus quoque Gregorius: *quia Discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur, nisi abiero, paraclitus non veniet: ac si apertè diceretur, si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus non ostendo, & nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritualiter amare.* 2. Dist. c. 38. Sanctus denique Augustinus paulò quam supra expressius: *si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis: non potestis capere spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum: unde ille, qui jam acceperat spiritum, & si noveramus, inquit, secundum carnem, Christum, sed nunc iam non novimus.* Tract. 94. in Ioan. 2. Cor. 5.

Sic sancti patres; Quod certè mirum & stupendum! Quid enim amabilius Christo Domino? Quid non modò dulcius sed & desiderabilius ejus præsentia! quid justius quàm timere ne discedat, quàm dolere si discedat? Et tamen isti affectus non erant satis ordinati, & ista inordinatio quantumvis modica poterat impedire tam magnum bonum, qualis erat adventus Spiritus sancti, ac ne illud impediret bonum, hinc discedendum Christo fuit!

O quàm vera quàm solida, quæ inde nobis elicitur Veritas, *Quod inordinata quævis affectio, licet parum sit mala, non est parvum malum*, Quia videlicet non id debet censeri parvum malum quòd magnum impedit bonũ. Si enim malum in genere nihil est aliud quã privatio boni, certè malum in particulari, tale erit malum, quale erat bonum cujus est privatio; unde si bonum erat magnum, quid sequitur nisi quod etiam malum, quod privat illo bono, sit magnum malum? Sic mater Tobiæ malum absentiæ filii sui ex bono ejusdem præsentiæ perpendebat: *Heu heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ. Omnia simul in te uno habentes te non debuimus dimittere à nobis.* Tobiæ 10. Sic Antiochus tristitiam suam non aliter quam ex privatione contrarii boni exaggerat: *Qui jucundus eram & dilectus in potestate mea!* 1. Mach. 6

Sic universim non aliter metimur & sentimus malum, quàm ex privatione boni quod impedit, cujus quidem veritatis exemplum non est aliud luculentius, quàm quod in proposita

posita materia nunc obversatur. Quid enim minùs videbatur inordinatum quam hæc Apostolorum affectio, quâ Christo Domino adhærebant? aut si quid tantisper inordinata esset, quid magni mali erat in tam modica cordis inordinatione? & tamen quia spiritus sancti adventum impediebat, quis non eam dixisset magnum malum, quæ tanto privabat bono? Quam parva est pupilla oculi! quam modicus pulvis qui eam inficit; Et tamen hæc modica, quis putet parva mala quæ privant tali bono, quale est lumen oculorum?

O veritates Deus meus, fac me verè de rebus sentire, fac me de his judicare non secundum faciem, sed prout ipse sentis & judicas.

II. PUNCTUM.

SED inordinata quævis affectio, licet parùm sit mala, magnum tamen impedit bonum.

Triplex est bonum quod præcipuè retardare solet aut impedire. Primum est, pax & quies animi; Nihil inquietius inordinato affectu, unde est illud primi de Imitatione Christi, *quandocunque homo aliquid inordinate appetit, statim in se inquietus fit.* Quò etiam refer. 6. refers illud sancti Iacobi: *Unde bella & lites in vobis? nonne hinc, ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris?* Illud item sancti Iac. 4. Augustini; *minus ordinata, inquieta sunt; ordinantur, & quiescunt.* Denique non is aliter definit pacem quam *tranquillitatem ordinis.* 13. Conf. 10. 19. Civit. 13. fin.

Secundum est, unio major habitualis vel etiam actualis cum Deo; sicut enim certũ est talem unionem non esse nisi in Charitate; sic indubitatum est Caritatem eò minorem esse quò animus alicui creaturæ, inordinatè amore adhæserit; quantum enim de toto corde deduxeris quo debes amare Deum, tantò minus illum amas; *& quantum dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est ut demas de toto*, inquit sanctus Basilius: & sanctus Chrysostomus; *pro quanta parte plus aliquid amaveris, tanta parte minùs amas Deum.* In Ps. 44. Hom. 42. in Matth.

Unde & orationum ac Sacramentorum fructus non is est, qui certè esset si nulla talis inordinatio impediret. *Ego sum puritatis amator*, inquit ille, *ego cor purum quæro, & ibi est locus requietionis meæ. Si vis ut veniam ad te, & apud te maneam, expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum.* Ut 4. de Imit. Chr. c. 12.

Tertium denique, est visio Dei, qua saltem ad tempus post hanc vitam privat inordinata quævis affectio, donec in purgatorio igne planè expurgetur animus, ut expressè ait sanctus Augustinus, *Tantum necesse est urat dolor, quantum hæsit amor: à quo dolore, tantò est quisque securior, quantò ea velminus amavit, vel tanquam non habens habuerit.* L. 21. Civit. c. 26.

Et quod de venialibus peccatis alibi dicit, hic etiam locum habet, *quòd scilicet nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi specioso formæ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ dissecentur.* At affectus inordinati non ita diluuntur nisi prorsus exuantur; unde patet, quod privant illis bonis quamdiù subsistunt, & satis etiam apertè patet, quam magna sint illa bona quibus privant. *O si scires donum Dei*, & quid sit uniri Deo, aut illum in cœlo intueri! L. 50. homiliarum Hom. 50.

III. PUNCTUM.

INORDINATA igitur quævis affectio licet parùm sit mala, non est, pavuum malum; quandoquidem tam magnis bonis privat, quorum privatio non minus censeri debet mala, quàm multùm illa censentur bona. *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc afflictio pessima est*, inquit Sapiens. Et aptè ad rem nostram Divus Kempensis: *Modicum quandoque est, quod gratiam impedit & abscondit: si tamen modicum, & non potius grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet. Et si hoc ipsum grande vel modicum amoveris, & perfectè viceris, erit quod petisti.* Eccl. 4. L. 4, c. 15.

Efficax certè motivum cum gratia ut quod inordinatum in te sentis, ordines & componas. Nimis enim infame est, tantillum illud, quod inordinatè diligis sic æstimare & colere, ut præ illo, *pacem, unionem cum Deo, visionem ejus*, & innumera inde consequentia bona, tam magna, tam certa & tantopere desideranda contemnas! Hoc est enim contemnere non modo divina illa bona, sed & ipsum bonorum Largitorem, cum ultro ponis obicem bonis illis recipiendis: *Aut unum sustinebit, & alterum contemnet*, dicit Dominus de duobus quæ simul non conveniunt. *At væ qui spernis! cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Certè & si alia deessent omnia, vel hoc uno patebit Matth. 6. Is. 33.

mali-

malitia tui affectus, si postquam visum est, quanto te bono privet & quantum insit mali ac damni, adhuc retinetur. *Ephraim, quid mihi ultra Idola?* Nempe ille affectus, idolum est zeli de quo alius Propheta, & de quo Deus præcipuè queritur, quasi sibi per affectus illos opponerentur æmuli ad provocandum zelum quo nos diligit, & quo dolet se non ita purè & unicè à nobis diligi. *Post idola enim cor eorum gradiebatur! EMVNDATE manus peccatores, & purificate corda, duplices animo.* Utinam in nobis fiat quod dicebat David, *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur. Non enim receptaculum spiritus sancti quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitus evacuetur*, ait S. Gregorius.

Osee 14. Ezech. 8. Ibid. 20. Iac. 4. Ps. 103.

Huic porrò veritati multæ passim quadrāt.

Qui nimis suos diligit, non satis diligit.
In 2. parte, Feria 3. hebdomadæ sanctæ.

Minima quævis inordinatio cordis immundi, major est quavis inordinatione hujus mundi.
In 2. parte, Feria 6. hebdom. 1. post octavam Paschæ.

Si nec in ipso cælesti gustu sistendum est, longè minus in sensuali.
In 4. parte, Feria 5. hebd. 15.
Vide Verbo *affectio.*

CVM venerit ille, arguet mundum.
Si quis argui & corripi noluerit, hoc ipso magis est arguendus & corripiendus.
In 4. parte, Feria 4. hebd. 16.

Quod nos magis lætificat, hoc magis contristat Spiritum sanctum.
In 2. parte, in die Pentecostes.

Sanitas non erit tibi: tibi nil proderit Spiritus sanctus: quod gravius in te est malum, hoc est, quod ille magis, hoc est quod minus velles sanari.
In 1. parte, Feria 5. hebdomada 6. post Epiphaniam.

ARGVET mundum de peccato, quia non crediderunt in me.
Nullus est Christianus, qui non verè credat Christum esse filium Dei: Et vix ullus est Christianus qui hoc verè credat.
In 3. parte, in festo Transfigurationis Domini.

Si quid videtur difficile quod dixit Christus, hoc ipso redditur facile, quòd Christus dixit.
In 3. parte, Feria 5. hebd. 5. Pentec.
Vide sequentem Feriam, & alias passim de fide obvias.

ARGVET mundum de justitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me
Id est, arguet mundum qui meam vitam & doctrinam arguit & condemnavit quasi fallacem & deceptricem, quasi ipse mundus me esset justior & sanctior: quasi melius sentiret de pietate, de bonis moribus, & de his quæ hoc generali *Justitiæ* nomine bona solent intelligi. In hoc enim vel maximè mundus erravit, quòd Christi Domini justitiam, id est, sinceram vitam & doctrinā repudiarit, suamque falsam & oppositam supposuerit tanquā veriorem. Qua de justitia & veritate sanctitatis Spiritus sanctus arguet mundum per Apostolos, & convincet erroris ac falsitatis; *Quia*, inquit Dominus, *ad Patrem vado*, quia cælos repeto recipiendus à Patre meo & cum eo regnaturus, hoc enim est certissimum meæ justitiæ & justificationis argumentum; hæc est evidentissima demonstratio sinceræ vitæ ac doctrinæ. Nam quos Deus in cælo recipit & remunerat, sunt justi & sancti. Sed me Deus pater suscipiet, & quæcunque feci ac dixi, tum ipse in cælo probabit & remunerabit in æternum, tum Spiritus sanctus suis admirandis effectis confirmabit in terra. Ergo ipse sanctus & justus sum: ergo impius & injustus mundus est, qui mea condemnata sanctitate & justitia, suam falsam substituit. *Ire ad Patrem*, inquit sanctus Chrysostomus, *argumentum fuit, quòd irreprehensibilem vitam egisset, ne possimus dicere, peccator est, & non est ex Deo.*

Hæc est huius loci facilior interpretatio, cui possunt congruentes hæ Veritates aptari.

Nemo Christianus Christi judicio condemnabitur, nisi qui prius suo Christum judicio condemnaverit.
In 1. parte. Dominica 1. Adventus.

Si quid

Si quid nos revocat à Doctrina Christi, vel ob id maximè recipienda est.
In 1. parte, Feria 6. hebdom. 2. post Epiphaniam.

Nemo sui boni vel mali bonus judex.
In 3. parte, Feria 3. hebdom. 14.

ARGVET mundum de judicio, quia Princeps hujus mundi jam judicatus est.
Id est, ostendet & convincet mundum, nisi resipiscat, esse judicandum & condemnandum, quia Diabolus qui tanquam Princeps mundi mundanis dominatur, jã condẽnatus est, & pœnis æternis addict⁹: sed mundus qui se illi conformat, ejusque superbiam imitatur, mea humilitate contempcá, pari pœna est dignus. Sic ergo etiam judicabitur & condemnabitur. Sic apparebit evidenter mundum esse perituru & damnandum. Sic confirmant hæ veritates.

Non minus formidandum mundano præsepe Christi nascentis, quàm tribunal judicantis.
In 1. parte. Dominica 1. Adventus.

Qui nimis humana timet judicia, non satis reveretur divina.
In 1. parte, Feria 4. hebd. 6. post Epiphaniam.

Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo dæmonis humiliabitur.
In 2. parte, Feria 4. post Septuagesimam.

Superbo maximè formidandum, divini tribunal judicii.
In 3. parte, Feria 5. hebd. 12.

Illud mundanis præcipuè tremendum est Christi verbum: In peccato vestro moriemini.
In 4. parte, Feria 5. hebd. 19.

Ad illa quæ supersunt ex Evangelio, vide Dominicam, quæ est infra octavam Ascensionis, & diem Pentecostes.

HAC HEBDOMADA, quæ supersunt proprietates Charitatis, applicantur celeberrimæ illi apparitioni quæ facta est in Galilæa, seu postremis verbis illic à Christo prolatis.

FERIA SECVNDA.

APPARET QVINGENTIS DOMINVS, In monte Galilææ:

Vbi & apparet Charitas quæ omnia credit.

Abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et videntes eum, adoraverunt. Matth. 28.

VERITAS PRACTICA.

Non est prius intelligendum ut credas, sed primò credendum est, ut pòst intelligas.

RATIO est, quia præmium non datur ante meritum.

Sed intelligentia mysteriorum fidei seu rerum credendarum, est præmium ipsius fidei.

Ergo non est prior intelligentia quam fides: nec prius intelligendum est ut credas, sed potius ante credendum est, ut post intelligas: quod tamen paucis est usitatum.

I. PUNCTUM.

CElebertima est hæc apparitio & singulariter à Christo Domino denuntiata priusquam fieret. *Eant*, inquit, *in Galilæam, ibi me videbunt.* Eò igitur abierunt in montem ubi constituit illis Jesus; primò quidem undecim Apostoli, ut ait sanctus Matthæus, tùm cæteri omnes Discipuli sive Credentes, qui numero plusquam quingenti convenerunt, sic referente Apostolo, *visus est plusquam quingentis fratribus simul.* Ex his autem aliqui dubitasse dicuntur, num, qui scilicet in monte appareret, esse Christus; tùm verò cùm illum viderunt insolito quodam fulgore resplendentem, sibique proprius accedentem, & loquentem, non est dubium quin omnes crediderint & eum adorarint. Cum enim eorum testimonium producat Apostolus in confirmationem fidei, quomodo testes essent nisi credidissent? *Tunc manifestius*, inquit sanctus Hieronymus, *ostendit latus lancea vulneratum, & manus fixas clavis.*

Matth. 28

1. Cor. 15.

Sicut autem omnes affecti sunt aspectu & auditu loquentis Christi, ut credentes magis dilexerint, & diligentes magis crediderint. Præcessit fides dilectionem, sed dilectio multum auxit fidem; quando enim diligimus aliquem, à quo vicissim nos putamus diligi, tùm facilius ei credimus, nec ab eo nos decipi posse cogitamus. *Et nos cognovimus*, inquit dilectus Discipulus, *& credidimus Charitati quam habet Deus in nobis.* Itane diligis? Itane credis omnia?

1. Ioan. 4.

Hoc præcipuè circa fidem tuam examinandum, an sit firma & integra, an sit universim de omnibus; nam si vel unus deesset articulus, cui non æquè crederes atque aliis, tùm planè nulla esset fides. Hic enim vel maximè locum habet sancti Jacobi dictum, *qui offendit in uno, factus est omnium reus: Et quia*, ut ait Apostolus, *multi languent circa quæstiones & pugnas verborum*, volentes prius intelligere quam credere; Idcirco contrà proponitur veritas modo expendenda, *Non prius intelligendum est ut credas, sed potius primò credendum, ut post intelligas.*

Iac. 2.

1. Tim. 6.

Ratio est multiplex, sed illa est certior quæ petitur à natura fidei, & ab ordinatione divina sic singula disponente, ut vel simpliciter credamus sine ulla clara intelligentia rerum creditarum: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi:* vel si quid velit nos intelligere, non id nostra industria, non humano captu & labore putemus comparandum, sed à Deo expectemus tanquam singulare Dei donum, vel tanquam fidei nostræ præmium. Quæ quidem ratio ut esset evidentior, præmittendum fuit, quod per se est satis clarum, non dari præmium ante meritum, non dari mercedem laborantibus in vinea, nisi cum serò factum est: non accipi bravium nisi post cursum in stadio: non denique quemquam coronari nisi qui legitimè certaverit: unde Apostolus, *laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*, id est, si vult fructus percipere, oportet prius laborare: quasi diceret, quod videmus in natura, hoc fit in gratia, ut sicut terra non dat fructum nisi post laborem, ita nec cœlum aut ipse Deus non soleat ea impertiri dona, quæ per modum præmii solet dare, nisi post meritum. Atque hinc à regio Psalte dictùm est: *Vniversæ viæ Domini misericordia & veritas*, quod sanctus Thomas exponens ait, sic in omnibus Dei operibus reperiri bonitatem & justitiam Dei, ut sicut præcedit bonitas, sic sequatur justitia; prævenit hominem divina bonitas suis gratiis, quibus, prout homo bene vel malè utitur, tùm Justitia præmium vel pœnam ordinat. *Ecce venio ad te, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Nonne credis sic reddituram operibus Dominum quod merentur? At quomodo redderet nisi præcedant opera? sequuntur quidem morientes, sed non sequuntur nisi præcesserint in viventibus cum divina gratia.

1. Cor. 10

Matth. 20

1. Cor. 9.

2. Tim. 2.

Ps. 24.

1. 2. q. 11. art. 4.

Apoc. 22.

II. PUNCTUM.

SEd *intelligentia mysteriorum fidei seu rerum credendarum est præmium ipsius fidei, diu multumque exercita.*

Jam suprà id fusè probatum est ex sancto Augustino, qui tam multus est in hac materia, ut hæc præterea submini stret: *Si non intelligis, crede: intellectus est enim merces fidei: ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas.* Et rursum, in illud Isaiæ, *nisi credideritis non intelligetis; FIDES debet præcedere intellectum ut sit intellectus fidei præmium: fides enim illuc pervenit quò intelligentia naturalis non attingit.* Itemque alibi, quod de visione ha-

Feria 2. in post Pasch. in Ps. 118. De Pasch. & Phas.

ne habet, idem de intelligentia intelligendum est: *Meritum*, inquit, *visionis fides est: merces fidei visio est, quid quæris ante opus mercedem?*

In Ezech. Cui conformiter sanctus Gregorius: *Contemplatio Dei est merces fidei, cui mercedi recipienda, per fidem corda mundantur sicut scriptum est, fide mundans corda eorum.* Quibus l. 4. c. 18. adde pium Kempensem: *subdere Deo, & humilia sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientia lumen, prout fuerit tibi utile ac necessarium*; quasi diceret, non ad curiositatem & vanitatem sicut appeteres, sed ad utilitatem, ad pietatem & profectum.

III. PUNCTUM.

NOn est ergo prius intelligendum ut credas, sed primò credendum est ut pòst intelligas: Quia videlicet non est optanda merces ante meritum; & cùm instar mercedis & præmii, quòd meretur fides, detur intelligentia; certè tam certò debet præcedere fides intelligentiam, quàm præcedunt merita præmium. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit* Eccles. 51. *vobis mercedem vestram in tempore suo*, inquit Sapiens. Quod si quæras cum Judæis, *quid faciemus ut operemur opera Dei*, respondebit tibi quod illis Dominus: *Hoc est opus Dei ut* Ioan. 6. *credas in eum quem misit ille.* Vix ipsi credis Christo; & toties monenti de te abnegando, de cruce ferenda quotidie, de puerili servanda innocentia, de malo potius sufferendo quàm inferendo, deque aliis similibus ad salutem & profectum tuum spectantibus, cum simpliciter deberes credere & credendo exequi quod præcipitur; tu mavis semper inquirere quomodo hæc & illa sint intelligenda, unde fit ut neque credas neque intelligas, neque te Christo conformes; atque ita ipse ajebat, *veruntamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Rectè enim sanctus Gregorius: *fidei nostræ veritatem in vita nostra consideratione debemus agnoscere:* Unde si vita nostra tam longè à Christi præceptis vel consiliis distat, quomodo dicemur eis credere, nisi quo ait modo Apostolus, *ore confitentur, factis autem negant! CERTA bonum certamen fidei.* Vide in quibus; ut, quod idem ait, *milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Ah quale naufragium! quam multi jam in sæculo sic naufragantes! quale periculum, ne vel eos inde eripias, vel ab illis rapiaris; nec magis credas Christo pauperi, quàm dives hujus sæculi!

Luc. 18.

Hom. 29. in Evang.

Tit. 1. 1. Tim. 3. Ibid. 1.

Vide suprà in hac parte, Feria 6. post Pascha.

FERIA TERTIA.

DE POTESTATE QVAM SIBI CHRISTVS Datam dicit, unde est illa Charitas quæ omnia sperat.

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. 28.

VERITAS PRACTICA.

Vera Fiducia Confidenti nunquam infida.

Ratio est, quia nunquam infida est fiducia, si quod confidit se obtenturam, semper obtineat.
Sed vera fiducia semper obtinet quod confidit se obtenturam.
Ergo nunquam est infida: ac proinde quænam sit illa vera fiducia, diligenter indagandum, ut in praxi sic confidas.

I. PUNCTUM.

CUm in illo monte Galilææ, quò quingenti Fideles convenerant, conspiciendum se præbuit Dominus, primò qui-

dem putatur sublimis fuisse in aëre, insolita quadam refulgens forma, ut sic liberius videretur & adoraretur ab omnibus. Tùm verò factum est, quod narrat Evangelista: *Et accedens Iesus locutus est eis*, id est, è sublimi descendens, & ex plano loquens, dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quod idcirco dixit, ut eos excitaret ad habendam in se fiduciam. Cum enim proximè discessurus esset ab eis, multaque passuri essent in mundo, à Judæis & ab aliis, qui se prædicationi Evangelicæ opponerent: ne diffiderent animis neve turbarentur, confirmat illos, affirmans se omnem habere in cœlo & in terra potestatem; ac proinde certò confiderent nihil ipsis eventurum quod non permitteret, neque quidquam permissurum quod non illis expediret: quo certè dicto minimè dubium est, quin valdè excitata in omnibus fuerit Charitas erga eum, qui se ipsis tam benevolum & tam bene affectum demonstrarat. Deinde verò cùm tali benevolentiæ viderent summam esse adjunctam potestatem, quid est quod non in eo verè sperarent, verè confiderent, & verè dicerent: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo?* Psal. 117.

Hanc ut fiduciam verius discamus & exerceamus, sic formata est Veritas quæ modò expendatur, *Vera fiducia confidenti nunquam infida*, seu quod idem est, confidentem nunquam confundit nec decipit. Et ratio est, quia sicut hoc esse infidum dicitur, quando quid decipit & quando aliter evenit ac speratur: sic à contrario, si quod fiducia confidit se obtenturam, illud obtinet profectò non erit infida, sed fidelis. Hoc est enim, quod præcipuè in fiducia expetitur ut sit firma & certa, non inconstans & labilis: nam cùm sit vitæ sustentaculum, seu animi firmamentum in adversis, nisi firmitas & stabilitas quædam esset, non esset firmamentum aut sustentaculum. Unde spes comparatur anchoræ; atque ut etiam nullo modo spes nostra vacillaret, mirum quod ait Apostolus, Deum nobis promittentem aliquid non solo verbo, quod certè sufficiebat ad certitudinem promissionis, sed & jurejurando interposito verbum suum confirmasse. *In quo abundantius, inquit, volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus.* O qualis animorum tranquillitas in tam firma fiducia! ò qualis stimulus ad hanc firmam fiduciam conquirendam, quod sic tranquillat animos! Hebr. 13. Hebr. 6.

II. PUNCTUM.

Sed vera fiducia semper obtinet, quod se confidit obtenturam.

Quid est enim quod confidit se obtenturam? Non est hoc, aut illud aliquid in particulari: nam licet aliquando sic confidat se habituram, quod determinatè petit à Domino, ut sanitatem, incolumitatem & alia quædam; non id tamen certò semper obtinet, neque id necessarium est ad firmam & veram fiduciam ut illa particularia bona, quæ petit, obtineat; neque in eo sita est fiducia ut confidat se illa obtenturam. Licet illa petat & postulet confidenter; neque enim sæpe expedit, ut illa possideamus quæ possidenda optantur. Alia sunt Dei judicia & consilia quæ nos sæpe latent. Unde aptè sanctus Augustinus: *Exauditur Diabolus, & non exauditur Apostolus: petierunt Dæmones se ire in porcos, & concessum est: petiit Diabolus Iob tentandum & accepit. Non est autem exauditus Apostolus, qui ter rogavit Dominum. Exaudivit eum quem dissponebat damnare, & non exaudivit eum quem volebat sanare. Nam ager petit multa à Medico: non dat medicus, non exaudit ad voluntatem ut exaudiat ad sanitatem.* Non deerat Apostolo fiducia; neque Apostoli fiduciæ defuit Dominus: sed Apostoli fiducia non erat, quod confideret se obtenturum quod determinatè rogabat, nempe liberationem stimuli carnis. Quid ergo erat? quid sperabat? quid confidebat? & in quo tandem vera fiducia? In Psal. 31. 2. Cor. 12.

Nempe quod dixit Dominus: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Id est, sufficit tibi, te non deseri à me, sufficit tibi quidquid de te ordinavero. Ego scio quid sit tibi melius, confide mihi, quia volo & possum tibi illud dare. Ecce fiduciam Christianam, ecce veram confidentiam; nempe quòd Christus ita sit bonus & potens, ut, quidquid viderit expedire ad majorem Dei gloriam, & majus meum bonum, id mihi possit & velit

velit providere, ac propterea quidquid post orationem meam acciderit, id putare melius & salubrius: *Deo pro nobis melius aliquid providente*, inquit Apostolus. Hoc est, quod vera fiducia se confidit obtenturam, & hoc quod semper obtinet; tùm quia nunquam fallit Christus in quo confidimus; *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*: tum quia, ut dictum est, non aliud fiducia confiderat se obtinere, quàm quod Christus vellet, quàm quod permitteret, quam quod re ipsa eveniret; proindeque qua ratione illud habet, quod ipsi accidit, eadem planè habet & obtinet quod confidebat se habituram.

Gibr. 11.

1. Tim. 2.

Hæc est fiducia quam habemus ad eum: quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos, inquit dilectus Discipulus. Tum addit: *& scimus quia audit nos, quidquid petierimus, quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.* Quæ verba duplicem habent sensum, primò quasi diceret, idcirco scimus quòd audit nos, quia id obtinemus quod petimus; vel secundò, idcirco id omne obtinemus quod optamus & petimus, quia nihil optamus & petimus quàm quod velit nos habere; hoc pro certo habentes id fore melius quàm quod aliud petieramus. *Non quod ego volo, sed quod tu.* Itane oras? Itane tantum oras!

1. Ioan. 5.

Marci 14.

III. PUNCTUM.

VEra ergo *fiducia confidenti nunquam infida*; quia semper id obtinet, quod confidit se obtenturam; & sicut in eo vera esse discernitur à falsa quadam fiducia, quòd nihil velit aut speret melius quàm quod Deus providerit, *cujus providentia in sui dispositione non fallitur*: sic verè in omni eventu gaudet & lætatur, perinde ac si illud determinatè petiisset, quia non petiit nisi bonum suum, & hoc esse bonum suum reputat, & melius bonum, quod Christus tale judicarit & immiserit. *Vnus est bonus, Deus:* & unum est bonum quod Deus tale judicat, & nobis ordinat. *Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam.* Hoc unum mihi præstes: hoc unum volo, dicebat ille qui in spe & fiducia ita excelluit ut propterea singulariter à Deo dilectus & protectus fuerit. Hæc est *spes quæ sperantem non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: quasi diceret, ut interpretatur sanctus Augustinus, *quomodo nos ille falleret cujus tale pignus accepimus:* vel sic, idcirco spes non confundit, quia charitas nos ea tantum desiderare & sperare facit, quæ Deus nobis dare velit; atque in his sperandis non confundimur, quia non aliud expectamus quàm quod dare velit Deus; & quidquid dederit, hoc est quod expectamus; hoc semper habemus quod petimus, quia non aliud petimus quàm quod habemus.

Matt. 19.

Ps. 118.

Rom. 15.

Hoc unum itaque semper, nec aliud sentiamus, hoc loquamur, hoc profiteamur, &, ut ait Apostolus, *hanc teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit.* Unde sic egregiè sanctus Augustinus: *planè cum patientia salutem expecta: quibus te medicamentis curet, ille novit, quibus sectionibus, quibus ustionibus, ille novit. Tu tibi aegritudinem comparasti peccando, ille venit non solùm fovere, sed & secare & urere. Non vides quanta homines patiantur, sub medicorum manibus, spem incertam homini promittentium! Sanaberis, dicit medicus, sanaberis si secuero. Et homo dicit, & homini dicit: Nec qui dicit certus est, nec qui audit, quia ille dicit homini qui non fecit hominem, & non perfectè scit quid agatur in homine: & tamen ad verba hominis plus præscientis quid agatur in homine credit homo, subdit membra, ligari se patitur, aut plerumque etjam non ligatus secatur & uritur, & accipit fortè salutem paucorum dierum, jam sanatus quando moriatur ignorans, & fortassè dum curatur moritur, & fortassè curari non poterit. Cui autem promisit Deus aliquid & fefellit?*

Hebr. 10.

in Ps. 85.

Qui confidunt in illo, intelligent veritatem. Vide in 3. parte, Fer. 3. hebdomadæ 7.

Sap. 3.

FERIA QVARTA.

DE INTEGRA OBSERVATIONE MANdatorum, quam Christus suis commendat;

Et de illa charitate quæ idcirco omnia suffert & omnia sustinet.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Matth. 28.

VERITAS PRACTICA.

Aut nulla aut tota est Charitas in agendis, sicut Fides in credendis.

Ratio est, quia idcirco nulla est fides aut tota est in credendis omnibus, quod alioquin violaretur authoritas Christi revelantis.

Sed nisi esset tota charitas in agendis omnibus, aquè violaretur Christi mandantis authoritas, quæ non est minor quàm ejusdem revelantis.

Ergo aut nulla aut tota est charitas in agendis, sicut fides in credendis. Quod certè mirum.

I. PUNCTUM.

COnsiderandũ monent Interpretes præclarum illum ordinem, quem hic observat, & suis sequendum præscribit Dominus, in convertendis ad fidem hominibus. Primò quidem docendi sunt universim de credendis & agendis. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes.* Deinde fidei sacramentis sunt imbuendi, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Denique sigillatim ad omnia observanda sunt instruendi; *docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.*

Sic ipse Christus Dominus habebat in mandatis facere & docere omnia quæ fecit & docuit; *Opera enim*, inquit, *quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; Et rursum: *qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar.* Nec dubium quin etiam Apostoli non modò docuerint sic perfectè omnia observanda, sed etiam ipsi religiosissimè observarint, & tam exemplo quàm verbo nobis præiverint; *facti forma gregis ex animo*, ut ait sanctus Petrus; quo quidem in Apostolico munere quanta sint passi, paululum recole, & conclude num æque nobis sit agendum & patiendum in nostra vocatione quod illi in sua; cùm idem sit nobis Dominus, eadem sint præcepta, eadem merces, & pœna proposita; *quod vobis dico, omnibus dico*, dicebat omnium Dominus.

Certè nemo Christianus dubitet quin æquè teneatur omnia credere, atque ad credendum omnem vim facere, sicut tenebantur Apostoli: cur autem non sic ad agendum & patiendum in nostro vitæ gradu ac genere, sicut in suo quivis alii? Non enim minus universim obligat vera charitas, quàm vera fides: nec minus certa veritas quæ jam proponitur expendenda de charitate, *Quod nulla est aut tota est in agendis & patiendis, quàm de fide in credendis.* Eadem planè est utriusque ratio, idem motivum, idem declarandi modus: nempe alioquin violaretur divina Christi authoritas si ex multis quæ credenda proposuit, non omnia crederentur: violata verò divina authoritate, intereat fides necesse est, quæ illi velut motivo proprio debet inniti: quia dixit, quia revelavit, quia est veritas prima, quæ nec falli potest nec fallere.

Quantumcunque juret hæreticus se fide divina credere Trinitatem, nec tamen credat Sacro-sanctam Eucharistiam, falsò jurat, nec verè credit, sed opinatur: nam sicut nemo credit aliquid fide divina nisi propter divinam authoritatem: sic quæcunque credenda sunt per illam authoritatem, omnino credit, quandoquidem idem est motivum credendi: aut si quid credendorum non credit, neque illud quod se putat credere, credet propter Deum, sed propter aliquid aliud; ac proinde omnino non credet divina fide; sed sensu quodam humano, qui vel intellectus vel scientia vel opinio dicitur; at nullo modo fides divina. *Sicut si aliquis teneat mente aliquam conclusionem*, inquit sanctus Thomas, *non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est, quòd non habet ejus scientiam, sed opinionem solum.* Ita planè de hæretico vel quovis Christiano, qui vel uni articulo fidem abrogarit, nullum credit, quia recessit à motivo credendi

Ioan. 5. Ibid. 12. 1. Pet. 5. Matti 13. 2. 2. q. 1. a. 1. 2. 2. q. 5. c. 3.

di cui dum inhæretur, sicut creduntur omnia: sic dum ab eo disceditur, nihil prorsus creditur, perit omnino fides. O qualis jactura! quàm communis! quàm penè universalis! *Domine quis credidit auditui nostro?* vix jam Ecclesiæ, vix Evangelio creditur. *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate.* An credis purgatorium sicut infernum! an obedis Ecclesiæ, sicut Scripturæ!

Is. 53. Rom. 10. 1. Cor. 13.

II. PUNCTUM.

Sed nisi esset tota Charitas in agendis, atque violaretur Christi mandantis authoritas, quæ non est minor quàm ejusdem revelantis.

Multa hic distinctè & sigillatim explananda. Primò, quænam sit illa Christi mandantis authoritas, nempe illud divinum dominium & jus absolutissimum quo potest nobis mandare seu præcipere aliquid faciendum vel non faciendum, ac punire delinquentes. *Vos vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Joan. 13.

Secundò, quòd illa Christi præcipientis authoritas non est minoris ponderis ad obligandam voluntatem, ut velit exequi quod mandatur, quàm ejusdem Christi authoritas revelantis aliquid quod credatur, ad obligandum intellectum ut credat; *Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia*, inquit Apostolus: 1. Cor. 8. Et rursum, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*: Quasi diceret, unus & idem est in ordinandis articulis fidei, & in condendis Sacramentis & in aliis suis præceptis. Ephes. 4.

Tertiò, sicut est fidei credere propter Christum aut Deum revelantem, ita & charitatis agere quæcunque mandata sunt propter ipsummet mandantem. *Si diligitis me, mandata mea servate. Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Joan. 14. Ibid.

Quartò, quod dicitur, *nisi sit tota charitas in agendis*, perinde est, ac si diceretur, nisi homo ex charitate sit ita formatus & affectus ut velit omnia prorsus facere, dicatque cum minore Tobia, *omnia quæcunque præcepisti mihi faciam, pater.* Tob. 4.

Quintò, quod est præcipuum in hac secunda propositione declarandum, eodem planè modo per unũ defectum charitatis violatur authoritas Dei mandantis, ac violatur ejusdem revelantis authoritas, per unum defectũ fidei. Sicut enim idcirco Dei revelantis authoritas violatur ab eo, qui unum negat articulum, quod propter illam ipsam authoritatem, qua credebantur alii articuli, debebat & is qui negatur credi, sic planè authoritas Dei mandantis violatur ab eo qui unum præ te mittit præceptum, quia perinde apud ipsum, ut servaretur tale præceptum quod prætermissum est, valere debebat hæc authoritas sicut valuit in aliis, quæ servavit, præceptis; unde quod non ita universim valuerit in agendo, tam verè læsa est violata Christi authoritas ex illo defectu charitatis, quàm læsam fuisse diximus ex uno defectu fidei.

Sic expressè sanctus Jacobus: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: id est, nihil illi prodest, quòd alia legis servaverit cùm per unam offensam ita offenderit Deum, ut omnis ejus authoritas offensa fuerit: sic nempe pergit sanctus Apostolus, *qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*; Quasi diceret, cùm sit una & eadem ejus authoritas, qui unum vetuit atque aliud; planè sequitur ut in quolibet eorum infracto, quæ vetuit, tota ejus infringatur authoritas. Iac. 2.

Hinc ipse Dominus non modò legem suam violari quæritur per transgressores totius legis, sed seipsum Deum, seipsum Dominum violari affirmat, per unum particulare delictum, quantumq; fortè hominibus exiguum videretur; *Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Ezech. 13. O si noscs illum quem violas? sed tamen satis eum nosti, ne ullo modo violes.

III. PUNCTUM.

Aut nulla est igitur aut tota est charitas in agendis, sicut fides in credendis; quia non est minor obligatio voluntatis ad volendum ex charitate, quidquid Deus pro suo in homines jure mandat, quàm intellectus ad credendum ex fide, quidquid revelat; unde si ab intellectu sic tota requiritur fides ad omnes universim credendos articulos quando proponuntur, ut si desit uni non credendo, tota desit fides, & nulla planè sit; ita omnino à voluntate sic tota exigitur charitas ad omnia integrè observanda, ut si uni observando desit, tota desit charitas, & nulla prorsus sit non modò in habitu sed in actu. *Cognovi vos*, dicit Domi- Ioan. 5.

Dominus, *quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Aptè enim Salvianus: *si pro arbitrio suo servi Dominis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obsequuntur. Quando enim servus ex Domini jussis ea facit tantummodo quæ vult facere, jam non Dominicam voluntatem implet, sed suam.*

Lr. de Pro.

Et quidem quod uno solo mortali, tota intereat habitualis caritas, nulli unquam dubium fuit: quod verò actualis etiam pereat, sic facile intelligi potest, ut quamdiu quis in mortali est, nihil ex caritate faciat, nihil propter Deum operetur, nisi prius resipiscat, atque in gratiam cum ipso redeat. *Vade prius reconciliari. LAVAMINI, mundi estote, & venite.* Salviani verò dictum, quod est in praxi frequentius, sic expendi potest & urgeri; si qui nollent, qui certè multi sunt, si qui nollent, inquam, furari, mœchari, occidere, aut graviora legis violare, ne scilicet Deum offendant quem colunt & diligunt, nec tamen vererentur detrahere, aut immundis immorari cogitationibus, non illi Deum colunt, non illum diligunt ullo modo, non possunt dici propter Deum non furari aut non mœchari, nulla prorsus in eis caritas, quæ tota periit vel in detractione, vel in immunda cogitatione, aut alio simili quovis peccato: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*: Quod sæpè etiam in venialibus accidit, ut cùm quis propter Deum ab omnibus culpis abstinere paratus est, præter unam, à nullis ipse abstinet propter Deum, nulla est ejus charitas in evitandis culpis: non propter Deum vetantem, illas evitat; nam & hanc unam, quam excludit, evitaret, cùm perinde ac alias esse à Deo vetitam non ignoret.

Is. 1.

1. Joan. 2.

Non propter Labanum socerum, Jacob diligebat Rachelem conjugem, quia sic dilexisset Liam, quæ erat Labani filia, sicut Rachel. Nec propter Jacobum patrem, filii ejus diligebant fratrem suum Benjaminum, quia sic dilexissent fratrem suum Josephum, qui non minus erat patri carus quam Benjaminus. Sic planè ne tibi palpes, quod diligas aliquid propter Deum, si non id omne diligis quod diligit; ne tibi persuadeas te amare justitiam amore Dei, quod nulli velles facere injuriam, nisi sic ames veritatem & castitatem ut nullum prorsus mentiri velis mendacium, nec ullum contra puritatem cordis nævum admittere; nam si Deus amat justitiam, amat & veritatem, amat & castimoniam; & qui vetuit injustitiam, vetuit mendacium & omnem immunditiam, *Prætermitis judicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* O quàm multis hæc dicta sunt! O quàm pauci recogitant! O quale motivum perfectionis in omnibus, quod nulla sit charitas nisi tota; nulla in singulis, nisi tota in omnibus. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia vestra in charitate fiant.* Vide in 1. parte, in festo Purificationis, ubi hæc expressa declaratur Veritas:

Gen. 29.

Ibid. 44.

Luc. 11.

1. Cor. 16.

Qui à lege excludit aliquid, excludit à se totam legem.

FERIA QVINTA.

DE CHARITATE QUÆ NON EXcidit:

Et quæ apparet in Christo remanente nobiscum, sicut promisit his verbis:

Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.
Matth. 28.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Melius erat viam justitiæ non introisse, quàm retroisse.

Ratio hæc est inter alias, quia ubi major est Dei contemptus, ibi gravius est malum, & hoc melius est evitare quàm quod est minus.

Sed major est Dei contemptus, retroire quàm non introire viam justitiæ.

Ergo melius erat non introisse quàm retroisse.

Quod non modò de apostatis & desertoribus fidei seu Religionis dicitur: sed de iis etiam, qui à via perfectionis & charitatis quam inierant, excidunt.

I. PUNCTUM.

Quæ postrema sunt Christi Domini ad Discipulos verba, postremam charitatis proprietatem, qua dicitur *non excidere*, clarè demonstrant. Quid est enim dum à nobis recedit, *nobiscum semper esse*, nisi eam habere & exercere charitatem, quæ nullo unquam temporum aut locorum spatio deficiat, sed perinde ac si præsens esset, ut certè Divinitate nunquam abeat, sic charitate & beneficiis nunquam non prosequi, nunquam non adesse?

Cùm autem multi sint modi, quibus universim, Ecclesiam suam, seu in particulari quosque fideles, constantissimè comitetur & protegat, tùm verò hic præcipuè considera quàm id fideliter præstet per gratiam seu habitualem & sanctificantem, seu actualem. Joan. 14. Etenim ubi semel expulso lethali peccato, nobiscum adest per illam gratiam & charitatem, qua sanctificatur anima, & jus acquirit ad hæreditatem cœlestem, ita perpetuam & constantem apud eos mansionem facit; ut nunquam ex se nunquam prorsus discedat, nisi prius à nobis per immortalem culpam Osee 2. expellatur. *Sponsabo te mihi in æternum*, inquit divinus Sponsus. Ego verò, ait infidelis sponsa, pro tempore aut pro libito meo, te admittam aut repellam! obstupesce ad tantam perfidiam!

Itane verò Sponsus expulsus excidet à Is. 65. charitate quæ non excidit? *Ecce ego*, inquit ille perseverans per gratias suas actuales, *ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas: populus qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam semper.* Et rursum: *Hæc dicit Dominus, invenit gratiam in deserto populus, & in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*; Quæ de gratiis excitantibus ad conversionem à peccato dicuntur, & ad fervorem à tepiditate mentis, unde satis patet, quàm sit ejus firma constansque dilectio. Si quid verò in hac materia potentissimum requiras, sive ad plenius cognoscendam hanc Christi Domini constantissimam charitatem, sive ad nostram excitandam, omnino vide caput secundum & tertium prophetiæ Jeremiæ. Jer. 31.

Atque illud quod refertur, sic in dies experimur, ut potius cogitandum videatur de defectu & inconstantia nostræ charitatis, quæ vix aliquando perfectionis viam ingreditur, & quod pejus est, si semel viam introierit, tam facile & turpiter inde resilit, ut quod sanctus Petrus de sui temporis Apostatis & 2. Pet. 2. Desertoribus fidei, scripsit, nimis verè de nobis dictum appareat: *Si refugientes*, inquit, *coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti.* Prov. 28.

Quæ quàm sint gravia & damnosa quis non videt? At verò quàm sint etiam odiosa Deo, & qualem ejus inducant contemptum ac injuriam, opportunè videtur expendendum, ut proposita veritas tantò magis eluceat, quantò apparebit clariùs cum illis detrimentis, quæ ex tepiditate nostra proveniunt, conjunctam esse summam, aut certè majorem, quàm putemus, Dei optimi maximi offensionem. Hoc est enim quod *melius* aut *pejus* revera dicitur, quod est majus aut minus malum. Et hoc est quod majus aut minus malum dici debet, quod majorem vel minorem Dei contemptum & injuriam parit. Nam cùm universim hæc sit præcipua peccati malignitas, ut Deum offendat & contemnat: certè quò magis aliquod in particulari peccatum dicetur Deum offendere & contemnere,

mnere, hoc dicetur etiam quòd sit major iniquitas & malignitas: unde est illud Scripturæ, *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Id est, si tantum in peccato esset offensa hominis, non ita grave malum esset peccatum, sed cùm sit offensa Dei, hoc est quod illud grave facit, & eo quidem gravius quo major in peccato inest Dei offensa & contemptus: Ac proinde ibidem Deus: *Quicunque*, inquit, *glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

1. Reg. 2.

Ibid.

Quod & Prophetæ Ezechieli manifestè indicavit, cùm ei varios peccantium gradus patefecit, inter quos illi semper graviores censentur, in quibus major Dei apparet contemptus, *Fili hominis, putasne vides tu, quid isti faciant, abominationes magnas? & adhuc conversus videbis abominationes majores. Ingredere & vide.* Ac rursum iteratis visionibus; *Adhuc conversus*, dixit, *videbis abominationes majores his.*

Ezech. 8.

Ah qui seipsum nosset & videret sicut videtur à Deo, vix se ipse ferret. Et qui sciret, quale sit monstrum vel unum leve peccatum quo Deus spernitur, vix coram Deo stare posset:

II. PUNCTUM.

Sed major est Dei contemptus, retroire: quàm non introire viam justitiæ.

Nam ubi est major gratia & facultas ad cognoscendum & amandum Deum, ibi est major Dei contemptus, si nolis eum cognoscere, vel cognitum nolis amare. Cùm enim cognitio & amor Dei sint tam pretiosa & divina dona, non possunt certè rejici, quin magna fiat injuria non modò donis sed & Donanti, quasi aliquid illo melius & pretiosius inveniri posset. At certè semel ingresso viam justitiæ major est data gratia cognoscèndi & amandi Dei, quàm non ingresso, aut certè si satis nosset Deum, quando aggressus est institutum colendi Dei: cur in ipso progressu deficit? cur retro agitur? quid est quod illum à divino cultu revocet? Aut aliquid contra obstat, aut nihil prorsus. Si nihil obstat quo minus constanter in incepta via progrederetur, nonne injuria Dei est & contemptus, sic leviter nulla de causa, sed meræ gratis eum deserere? Quod si quid obstare dicis, si quid laboriosius, si quid minus jucundi & utilis quàm putabatur, nonne hoc injuriosum est Deo, proximo valde nocivum qui forsan inde avertetur? *Quid invenerunt in me iniquitatis*, ait Dominus, *quia elongaverunt à me, & ambulaverunt post vana & vani facti sunt?*

Ier. 2.

Sicut enim valde glorioſum fuit Salomoni, cùm Regina Saba cognovit & professa est verum esse sermonem quem de illo audiverat, & non mediam partem eorum quæ laudanda vidit, fuisse relatam; sic planè Religioni & ipsi Deo ignominiosum, cùm quis ab eo deficiens cogetur dicere, se non invenisse quietem aut illud bonum quod promittebant Scripturæ. Itane sentire de Deo velles? Sic nauseantes Israëlitæ super manna, & Ægyptum recogitantes, Deum graviter offendêrunt: Sic Judas proditurus Judæis Christum, illos in malevolentia & cogitato facinore de eo necando plurimum obfirmavit, cùm viderent unum ex familiaribus sic ab eo deficientem, sicque Domino gravem intulit ignominiam. Sic Paganis sapientibus tanquam gravissimum objicit Apostolus, *quòd, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut etiam gratias egerunt.* Itemque Galatis, *Nunc autem*, inquit, *cùm cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis?* quasi diceret, hoc est gravius, sic retroire à Deo postquam illum cognovisti, quàm si ante non cognovisses.

3. Reg. 10.

Num. 14.

Isa. 1.

Rom. 1.

Gal. 4.

Unde & idem alibi; *voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur propeccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio quæ consumpta est adversarios.* Quod expressius paulò ante dixerat: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reproba est & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Ex quibus Apostoli verbis satis patet, & quantus sit contemptus Dei, in retrogressu

Hebr. 10.

Ibid. 6.

à

à via justitiæ seu veritatis: & quanta pœna maneat talem retrogressum ac contemptum Dei. Nonne jam expaveseis ad tale impietatis portentum?

III. PUNCTUM.

MElius ergo erat viam justitiæ non introisse, quàm retroire; Cùm melius sit ex duobus malis, evitare majus: majus autem malum sit, retroire quàm non introisse viam justitiæ, quandoquidem in tali retrogressu talis est contemptus Dei, quem vix alibi reperias: & qua proportione crescit hic divinus contemptus in peccatis, eadem prorsus in gravitate & malitia crescunt peccata, quia nihil est in deformitate peccati deformius, quàm Deum contemnere, cui honor & gloria tot debetur nominibus, ut dissolvendo debito nunquam pares simus.

Hoc primum est, quod per Prophetas conqueritur, & ad quod audiendum cœlum & terram invitat, ut testes sint quàm justè conqueratur: *Audite cœli & auribus percipe terra: quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Expende singula: Deum sperni! sperni à filiis! à filiis enutritis & exaltatis! Hæc valde augent injuriam! sicut autem hi filii desertores contemnunt Deum, ita & valde contemptibiles redduntur coram Deo & hominibus: coram Deo quidem, qui propterea se illos à se ait evomere; unde hæc præclara sunt Cassiani; *Nec immeritò eos Dominus, quos jam in visceribus receperat Charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam convulsione pectoris sui evomendos esse pronunciat, qui cùm salutarem ei quodammodo potuissent præbere substantiam, avelli ab ejus visceribus maluerunt, tantò deteriores effecti illis, qui nunquàm ori Dominico illati sunt cibi, quantò id, quod nausea compellente projicimus, odibilius detestamur. Quidquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, & salutifera suavitate percipitur; quod autem semel vitio pernicioso teporis abjectum est, non dicam labiis admovere, sed etiam eminus intueri sine ingenti horrore non possumus. Rectissimè ergo pronunciatur esse deterior, &c.*

Apoc. 3. Cass. 4. Coll. 19.

Isa. 1.

Coram hominibus verò quàm sint odibiles & horrendi, ex eadem similitudine vomitus, Scriptura satis indicat cùm eos comparat in utroque testamento cani vomitum resorbenti, & immundo animali lutum repetenti, quibus quid est fœdius, quid horribilius? *Horribilis profectò res est*, inquit sanctus Augustinus, *proprium resorbere vomitum, nec in summa quidem fame à quoquam usurpatum.* *Prov. 28. 2. Pet. 2.* *In Ps. 30.*

Cave itaque tepiditatem, cave negligentiam; paulatim irrepit casus & ruina. *Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo.* Vide Job decimo quarto, & tricesimo octavo, ubi quod quæritur, *de cujus utero egressa est glacies; & gelu de cœlo quis genuit!* aptè sanctus Gregorius tibi aptat, *Quod de utero Dei tanquam glacies egrederis, quando qui jam intus incalueras, ex virtutum dono frigescis, & inde exteriorem gloriam torpendo appetis, unde ad interna diligenda ardentius flagrare debueras.* Exardesce ad fervorem. Et vide in 2. parte, Die 7. Januarii. In hac 2. parte Feriam 5. Sexagesimæ. In 3. Fer. 3 hebdomadæ 1. In 4. Fer. 3. hebdom. 18. Et verbo *Fervor*, *Renovatio.* *29. Mor. 23.*

FERIA SEXTA.

DE EADEM CHARITATE CHRISTI Domini, qua nobiscum semper manet in Sanctissimo Sacramento.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. 28.

VERITAS PRACTICA.

Quàm glorioſum eſt Sacramento, multa in nos poſſe, ſi velimus: tam ignominioſum eſt pauca poſſe, quod nolimus.

Ratio est, quia quàm gloriosum Christo est divitias bonitatis suæ nobis communicare; tam ignominiosum est eas à nobis negligi.

Sed multa in nos posse, si velimus, est divitias bonitatis communicare, & pauca posse quod nolimus, est illas à nobis negligi.

Ergo quàm gloriosum est Sacramento seu Christo Domino sic remanenti nobiscum, multa posse in nos si velimus; tam ignominiosum est pauca posse quod nolimus; unde excitanda est in Domino melior voluntas & dispositio ad illas gratias.

I. PUNCTUM.

QUanta sit charitas Christi seipsum reinquentis in Sanctissimo Sacramento, & quàm verè charitas illa non excidat, cùm sic nobiscum maneat *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, & per se patet, & apertè demonstrant hæc Tridentini

Sess. 13. c. 2. verba; *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.*

Verè hîc Christus *Emmanuel, id est, nobiscum Deus*, longè etiam commodius & opportunius, quàm cùm inter homines olim versaretur; nam in uno duntaxat vivebat loco, in una Palæstina, solis Judæis notus, nondum glorificatus, ac proinde nondum de Spiritu suo tam abundè communicans. At modò per hoc admirabile Sacramentum, ubique locorum est, ubique se totum intus in cor nostrum, in penitiora quæque animi nostri sese infundit; aut potius animum nostrum in se

Joan. 6. penitus trahit & immutat; *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. VNVM corpus efficimur*, ait sanctus Chrysostomus, *non tantùm*

Hom. 62. ad popul. Antioch. *per charitatem, verùm & ipsa re: propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus tanquam corpus capiti coaptatum; ardenter enim amantium hoc est.*

Joan. 13. O quàm verè dictum, *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos!* sed quod magis mirum dictu, & suave cogitatu: non modò sic seipsum reliquit in hoc divinissimo Sacramento, ut nobiscum esset; sed ut bonis benefaceret, & suis ita plenè cumularet gratiis, ut potius deessemus illis recipiendis quàm ille nobis conferendis. O rem supra communem hominum fidem & morem! quis crederet homines, qui nulla rerum habendarum cupiditate tantur, ita tamen parùm moveri ad has spirituales & cœlestes divitias, ut penè quantò magis velit Christus nobis eas elargiri, tantò minus velimus eas recipere! Et sicut si vellemus, nullum est boni genus, quod non posset & vellet nobiscum communicare; sic planè si tam pauca communicet, non aliunde est quàm quòd nolimus. Atque hinc fit, quod ad stupiditatem nostram excitandam non parùm valere potest cum gratia, si cogitemus, *Quod quàm gloriosum est Sacramento seu Christo, tam multa in nos posse si vellemus, tam certè est ignominiosum, tam pauca posse vel facere, quod nolimus.* 4. Reg.

Ratio jam ex dictis patet; quid enim gloriosius Christo potest accidere, quàm cùm magis agnoscitur? At quandònam magis agnoscitur, nisi cùm bonus & potens demonstratur? Ubinā verò clarius hæc demonstratio bonitatis & potentiæ Christi aperitur, quàm in hoc Sacramento, ubi divitias bonitatis suæ, id est, ipsam totam, quanta est, bonitatem effundit? *Haurite ex me tanquàm ex Nilo*, dicebat quondam Vespasianus Ægyptiis: sed quàm arctè esset & angusta illa gratia, quis non videt, cùm ipsius Nili liberalitas cui se comparat, non se multum effunderet. At verò Christus Dominus *Haurite ex me tanquam* ex Deo qui fons est bonitatis inexhaustus. Hoc certè Christo tam glorioſum est, ut quantumcunque gloriæ jam in cœlo possideat, magis ac magis ei desideretur & concinatur à cœlitibus incolis; *Dignus es Domine* Apoc. 4. *Deus noster accipere gloriā, & honorē, & virtutē.*

Verum quod est alterum propositionis caput; quàm glorioſum est Christo sic se posse & velle nobis communicare, tam certè ignominioſum est, si talis communicatio negligatur à nobis. Sicut enim gloria, quæ illi datur in cœlo vel in terra, nihil est aliud quàm testimonium excellentiæ, quæ in eo agnoscitur; sic neglectus communicatæ bonitatis & gratiæ non est aliud, quàm signum modicæ vel nullius æstimationis quæ habetur de tali gratia; nihil quippe negligitur nisi quod non æstimatur: non æstimare autem aliquid in Christo, tam est indignum & probrosum quàm illud est glorioſum & æstimabile, quod

Osee 4. æstimatur. *Commutaverunt gloriam ejus in ignominiam.* O humanæ portentum nequitiæ! vellesne hoc tibi objici?

II. PUN-

II. PUNCTUM.

SEd quando dicitur Chriſtum vel Sacramentum multa in nos poſſe ſi velimus, & pauca facere quod nolimus, perinde eſt ac dicere, quas Chriſtus Dominus divitias ſuæ bonitatis nobis communicat, à nobis negligi.

Cùm enim ex ſua parte Dominus ita ſit paratus ad profuſionem ſui communicandam, ut quod eſt in Scriptura hoc unum à te petat, 4. Reg. 4. *Affer mihi vas*, id eſt, puritatem animi, id eſt, voluntatem pronam & bene affectam ad recipiendas & conſervandas gratias; profectò ſi quid non faciat, defectus humanæ voluntatis eſt, ſicut nonniſi deficientibus vaſis ſtetit oleum à Propheta impetratum. *Et non vultis*, inquit, *venire ad me, ut vitam habeatis!* Ioan. 5. *QVOTIES volui, & noluiſti!* Matth. 23

At verò nolle tale bonum, quale eſt vita ſpiritualis, vita æterna, vita Chriſti, vita Dei, nonne eſt illud negligere, cum præcipuè nihil impediat ab eo recipiendo, non impenſa, non labor, non dedecus: immò multa invitent & compellant; rei ipſius dignitas, Chriſti offerentis bonitas, donorum ampla utilitas, & ſexcenta hujuſmodi. *Menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile eſt*, ait Propheta, aut potius ait impius per Prophetam, qui quas offert Sacramentum divitias, nolendo recipere negligit, & negligendo perinde facit, ac qui reputaret vile & contemptibile quod offertur in menſa Domini. Velleſne hoc dicere; velleſne hoc de te diceretur? Et tamen is, qui tàm multa in te poſſet ſi velles, facitne quæ poſſet omnia? facitne vel mediam eorum partem? At unde hoc niſi quia non vis, niſi quia negligis? niſi quia *divitias bonitatis ejus contemnis?* Mal. 1. Rom. 2.

III. PUNCTUM.

QVam glorioſum eſt igitur Sacramento, multa in nos poſſe, ſi velimus, tam ignominioſum eſt pauca poſſe quod nolimus: quia quæ illi gloria eſt a bonitate, quam demonſtrat, vertitur quodammodo in ignominiam, à pravitate noſtra quæ talem bonitatem recuſat & negligit; quaſi non eſſe tale bonum, quod multum æſtimetur & magni fiat à nobis! *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*, dicebant Iſraëlitæ de manna? & hoc dicentes nonne ipſi mannæ vel potius Deo tantùm inferebant injuriæ & ignominiæ, quantùm illi gloriæ debebatur, quod, ſicut ait Sapiens: *Angelorum eſca nutriret populum ſuum, & paratum panem de cœlo præſtaret eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem?* Hinc aptè ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Si Chriſtus nos attenderet, & non infinitam ſuam bonitatem, jam à nobis abſtuliſſet divina Sacramenta: dignos enim nos hac pœna efficimus, & indignos ipſis Sacramentis, dùm ea ſuſcipientes minùs dignè, & illa & Chriſtum traducimus, & quantùm in nobis eſt, fama & honore privamus.* Sap. 16. Hom. 66.

Certè ſi vellet ſua ſumma & abſoluta uti poteſtate, poſſet in te quod vellet, quis eſt enim qui poſſit ei reſiſtere? ſed poſt oblatam primam gratiam, quâ ſi velis, potes quod à te Chriſtus exigit, jam id à te non aliter exigit & repoſcit, quàm ut libenter velis quod potes. At verò tam multa ſunt, ut ante dixi, quæ te movere debent ad id libenter volendum, ut tametſi flagella, & morbos, mortem, & ſi quid eſt aſperius tibi inferret, tu libenter acceptare deberes, quia Dominus eſt, quia bonus, quia juſtus, quia Deus; & niſi abſolutum, quod in te habet, dominium libens agnoſceres, tùm forte cogereris illud nolens volenſque venerari & dicere: *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo.* Quando autem nihil niſi delicias offert & divitias, tu qui deliciis & divitiis maximè permoveris, quid eſt, quod aſperneris & negligas quas tibi offert opes? quid eſt, quod illi reſpondere poſſis, niſi quod alias habes delicias, quæ tibi ſuaviores videntur, & alias cupis divitias quæ tibi apparent commodiores? At quid eſt injuriam & ignominiam Chriſto inferre niſi hoc ſit? Quaſi ille neſciret, quales eſſent veræ deliciæ & divitiæ, aut quaſi non poſſet aut nollet tibi conferre quas ſciret eſſe opportunas? *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit!* Affice re magis ac magis in ſanctiſſimum Sacramentum, deſidera vehementius, ſuſpira frequentius, & ſemper cum Jobo dicas; *antequam comedam, ſuſpiro.* 2. Macch. 9. V.S. Greg. in l. 1. Reg. c. 2. Iſ. 1. Iob 10.

Videri poſſunt in 3. parte, duæ primæ hebdomadæ; necnon poſtremæ tres Feriæ hebdomadæ 13.

SABBATO.

DE EADEM IPSA CHARITATE CHRISTI Qua constanter nobiscum manet, per Superiores & Directores.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth. 28.

VERITAS PRACTICA.

Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idiolatriæ, nolle acquiescere. 1. *Reg.* 15.

Ratio est, quia ariolari & idola consulere idcirco peccata sunt, quod relicto vero Deo quaratur dæmon tanquam director & actor rerum agendarum.

Sed quando repugnamus aut nolumus acquiescere superioribus, idem quodammodo præstamus.

Ergo quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. Quod per se patet quàm sit horrendum.

I. PUNCTUM.

ETiam nobiscum adest Dominus constantissimè, usque ad consummationem sæculi per Pastores, Rectores, Superiores & Directores, per quos sic universim regit Ecclesiam, & particulatim unumquemque, ut verissimè propterea dicat Apostolus, *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* Hebr. 13 Sic nempe voluit homines per homines regere, primò ut suavior & accommodatior ejus esset gubernatio; deinde ne si solis ejus inspirationibus regeremur, nostras sæpius inclinationes naturales, aut falsas dæmonis illusiones, pro divina voluntate sequeremur; verè enim sanctus Gregorius, *alioquin fiet ut, dum se quisque sancto Spiritu impletum præsumit, Discipulus hominis esse renuat, & magister erroris fiat.* Denique sic plurimæ excellentes exerceri possunt virtutes, in primisque humilitas, abnegatio judicii & voluntatis, obedientia, simplicitas & similes, quibus exercendis non modò ingentem meritorum cumulum nobis comparamus, sed gubernationem Superiorum suaviorem & efficatiorem reddimus, sicut ait Apostolus, *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Ibid.

Quod quanti referat, quantumque ad id meritò affici debeamus, ut apertius constet, certè plurimum valet attenta consideratio veritatis propositæ, quæ tota est ex sacris Literis, sic Samuele ad Saulem loquente: *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere; pro eo ergo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis Rex.* 1. Reg. 15. Itaque non tam probanda est ista veritas, quam breviter declaranda & attentè consideranda, in hunc finem ut discas quàm grave sit & horrendum non acquiescere superioribus: Nempe hoc, *quasi peccatum ariolandi est, & quasi scelus idolatriæ:* quo quidem dicto quid gravius, cùm id præsertim fide divina non minus tenendum sit quàm quidvis aliud ex credendis?

Et revera quid est ariolari, aut quid est quod tam grave sit peccatum, quos divinos vocant adire, & idola consulere, nisi quia sic dæmon consulitur ad res nostras agendas, & ab eo expectatur, quod à solo esset Deo expetendum & expectandum? quæ certè Dei est atrox injuria, quasi non possit Deus aut nolit dicere, quod nobis necesse sit scire; aut quasi nos attentemus id investigare & scire quòd nobis ignotum esse vult, & quod expresè vetuit,

tuit, ne quæreremus. *Non inveniatur in te, qui*
Deut. 18. *ariolos scisciteturr, & observet somnia: neque*
qui Pythones consulat, neque divinos, & quærat
à mortuis veritatem. ALTIORA te ne quæsieris,
Eccles. 4. *& fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præ-*
cepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluri-
bus operibus ejus ne fueris curiosus.

II. PUNCTUM.

SEd quando repugnamus aut nolumus acquiescere, quasi dæmon consulitur, relicto Deo.
Sic expresè sanctus Gregorius, cujus etiam
1. Reg. c. 15 authoritas declarationi veritatis fidem conciliabit: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, quia velut contempto Divino altari ad aras Dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, & salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere, idololatriæ sceleri simile dicitur, quia nimirum in inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum non gestaret. Dum enim agenda in corde concipit, quasi idolum facit: & dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat; quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. Quasi ergo scelus idololatriæ est, nolle acquiescere, quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in majorem contemptum erigitur, quia intus eis, quæ fingendo statuit, propositi sui simulachris incurvatur.* Videri potest idem sanctus Doctor in eodem Commentario, capite 4. ubi de Samuelis obedientia. Et libro 35. Moralium, capite decimo.

Quæ sic declarata quomodo practicè & reipsa fiant à nobis, quando repugnamus, aut nolumus acquiescere, ex ipso Saulis facto cujus occasione prolata est à Samuele sententia, patebit evidenter. Ecce enim à Prophera tàm apertè declaratur Sauli, divina voluntas circa universum Amalecitarum interitum, ut de hac nullo modo dubitare possit: sed ille quasi contemneret, aut Sanctius, accuratus Interpres, quasi non probaret divina consulta, quasi aut iniqua essent aut Israëliticis commodis importuna, ad alias aras sese convertit, alia petit oracula à sua suorumque prudentia. Jubet Deus ut pereat Amalec: at contrà humana prudentia judicat durum esse & inhumanum; antiquum illud genus extingui, perire Regem luculentum & nobilem: neque prudentis esse consilii pretiosas vestes, quæ ornamento esse possent Israëlitidi genti, aboleri flammis; neque præterea fas esse illis carere exuviis milites, quorum studia & labores non alio modo compensari poterant. Deinde non satis videri religiosum ac pium, ut oves pingues, & armenta crassa atque nitentia, ferro concisa corvos alant potius aut putrescant, quàm sacrificiis deserviant, & sacerdotes alant.

Sic meditabantur humana judicia contra divinum, ac tandem ex hac ratiocinatione, quæ vocari *potest Idolorum responsio*, concludunt isti impudentes arioli contrà quàm esset à Domino constitutum, parcendum esse Regi & pretiosis ornamentis. & ex gregibus optima quæque servanda, & satis videri præcepto satisfactum esse divino, si, quidquid esset reprobum ac vile, ferro ac flamma perderent. Sic nos planè discurrimus, sic ratiocinamur in nostris repugnantibus concupiscentiis, sic prudentiam carnis, quæ mors est spiritus, cœlesti & divinæ opponimus; sic uno verbo Rom. 8. diabolicis potius quàm divinis suggestionibus nos regendos tradimus. O impietatem! Ier. 2. ô scelus! *Populus meus mutavit gloriam suam in idolum!*

III. PUNCTUM.

SIc ergo quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.
Ac proinde patet, quantopere id cavendum & dicendum quod Israëlitæ: *absit à nobis hoc* Ios. 22. *scelus, ut recedamus à Domino, & ejus vestigia* c. 11. *relinquamus, extructo altari præter altare Domini Dei nostri.* De hoc etiam fusè Cassianus tota collatione secunda, ubi hæc inter alia: *Nullo vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit & perducit ad mortem, quàm cum neglectis consiliis seniorum suo judicio persuaserit, definitionique confidere.*

Tum universim de omnibus, Idem ibidem, *Impossibile est quemquam qui proprio fidit judicio, Diaboli illusione non decipi: ut è contra nullatenus fraudibus & insidiis inimici decipi possit, qui non suo iudicio sed maiorum vivit exemplo.* Quod quidem eò periculosius est quo religiosior apparebit prætextus repugnantiæ, sive apparentis oppositæ rationis; Undè aptè S. Bernardus: *Eant nunc, qui se faciunt religio-* Serm. 3. de *siores alios, qui non sunt sicut cæteri hominũ; ecce* Resurr. *Arioli*

Arioli & Idololatræ facti sunt, si tamen vel ei, qui dixit hoc, plus quam sibi judicant esse credendum.

Alia quidem & plurima sunt argumenta quibus ostendi possit quantum expediat, sic se sinere regi & dirigi, ut tota hebdomada tertia post Epiphaniam, ostensum est; sed hîc illud unum urgendum, quòd alioquin relicto Deo requiratur dæmon; hoc enim quàm sit impium & sceleratum cùm facilè concipiatur, unum sufficiet ad rem conficiendam. *Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebuth, Deum Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* 4. Reg. 1. Hæc uni semel dicta, semper dicentur omnibus, qui repugnant & non acquiescunt. Vide infrà in hac parte, Feria 4. Octavæ Ascensionis, ubi hæc Veritas exponitur.

Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ.

DOMINICA V. POST PASCHA.

DE ORATIONIS EFFICACIA, FREQUENTIA, & aliis proprietatibus.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16.

VERITAS PRACTICA.

Ne dicas te petere in nomine Domini; aut ne dicas te nihil obtinere.

Sensus est, quod quidquid petitur in nomine Domini, obtinetur; aut si quid non obtinetur, non petitur in nomine Domini: ac proinde qui dicit se petere in nomine Domini, non debet dicere se nihil obtinere, cùm alioquin mentiretur & blasphemaret.

Ratio est, quia vel petes aliquid aliud quàm quod velit Deus, vel hoc planè unum.

Sed si petis aliquid aliud, non petes in nomine Domini: aut si hoc unum petis, semper illud obtinebis.

Ergo ne dicas te petere in nomine Domini, aut ne dicas te nihil obtinere.

I. PUNCTUM.

Sic suis Christus Dominus, ne quid dubitarent de orationis suæ virtute ac efficacitate, asseveranter loquebatur; *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

Hic primò contemplare tria illa potissima Dei attributa, Bonitatem, Potentiam & Sapientiam, ut in Christo relucent. Bonitas est in promissione facta nostris orationibus; Potentia in effectu quem consequuntur; Sapientia in docendo quem suggerit orandi modo.

Deinde verò ut melius promissionem Christi intelligas, ac ne dubites aliquando, quin certissima sit, etiamsi tibi aliud videretur, expende accuratè, quod habet veritas atque ejus declaratio; *Aut te non petere in nomine Domini, aut semper obtinere quod petis: ac proinde non aliter esse loquendum.* Quidquid enim petis, vel conforme sit oportet divinæ voluntati, vel ab ea quovis modo alienum. Quid censes? horum alterutrum omnino negari non potest, neque in eo discutiendo longius tibi est immorandum; sed hoc vide tantum ex illis duobus utrum tibi sit familiarius, utrum Dei an tuam magis voluntatem exquiras? quanta sit utriusque voluntatis differentia & distantia; Nempe ut ait sanctus Augustinus, quantum Deus dignitate & merito distat à te, tantum ejus voluntas, quæ Deus ipse est, distat à tua. Quanta porro est illa distantia? ô prodigium perversitatis, cum se homo In Ps. 31.

homo comparare Deo non veretur, & se etiam illi præfert! ò quam præclarè Iob : *Verè scio quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo.* Iob 9.

II. PUNCTUM.

SED si petis aliquid aliud quàm velit Deus, non petes in nomine Domini; aut si hoc unum petis, semper illud obtinebis.

Prima pars propositionis nihil habet dubii, nec enim ullo modo est cogitandum in nomine Domini posse peti à Deo, quod Deo non sit acceptum; nam, ut rectè monet sanctus Augustinus, & jam supra retul mus, *non sonum literarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere cùm dicit,* IN NOMINE MEO. Quid porro est aliud, quod rectè ac veraciter intelligi queat, nisi quod spectat ad Dei gloriam, nostramque salutem & perfectionem, prout singulatim de unoquoque nostrum disposuit Deus? Tract. 102 in Ioan.

Hoc est enim nomen Domini, nomen Jesus, nomen Salvatoris, & hæc est ejus nominis ratio, ut, quidquid ad salutem spectat, eo nomine contineatur, nihil verò præterea; unde idem aptè S. Augustinus, *non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* Est autem ratio salutis non modò ipsa salus, sed modus, sive media unicuique ordinata ad salutem, quæ cùm in mera sint Dei providentia & voluntate, hinc manifestissimè patet, non peti in nomine Salvatoris, si quid petitur quod non velit Deus; nam sicut non potest esse ratio salutis sive medium ad salutem, quod non est conforme divinæ voluntati, ita nec continetur hoc nomine Salvatoris. O verè *sanctum & verè terrible nomen*, quo rationes illæ occultæ & pavendæ uniuscujusq; salutis hominum continentur! Psal. 110.

ALIA verò pars propositionis, quâ dicitur, semper obtineri quod petitur secundum voluntatem Dei, tam certa est, ut etiamsi res ipsa, quæ petitur, negaretur, dicenda tamen sit obtineri æqualiter : Id est, quod negando conceditur, æquare id merito & pretio quod petebatur: seu quod idem est, æquè in petentis verum bonum redundabit, quando quid negabitur; ac si concederetur. Nam ut aiunt sancti Augustinus & Bernardus, *misericordia est aliquando subtrahere misericordiam, quemadmodum ira & indignationis misericordiam exhibere, ut cùm data sunt carnes Hebræis, quas murmurando postulabant.* Qua de re fusius in superiori hebdomada, Feria 3. Tr. 73. in Ioan. Serm. contra vitium ingrat.

Quod autem ista rei petitæ quæ dicitur æqualitas, sive æquivalentia, sit infallibilis, quatuor sunt quæ omnino persuadent. Primum est promissio Christi, quæ vana esse non potest & de qua nos voluit esse tam certos, ut non semel sed iterum & pluries affirmarit, quod, quidquid rectè peteretur, id fieret; confirmatq; S. Joannes, hanc esse habendam non modò ipsem sed & fiduciam, *quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Secundum est, ipsius Christi meritum, quo fit ut, quidquid in ipsius nomine nec alienum à divina voluntate petitur, obtineatur; sicut si ipse peteret : *Ego sciebam*, inquit ipse ad Patrem, *quia semper me audis* Tertium est, divina bonitas, quæ cùm ex se satis sit propensa in omnem benignitatem, quantò magis cùm oratur in tali nomine, & tali fine, ut nihil nisi secundum quod velit, donet. *Si vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Quartum denique, petentis dispositio quæ talis est ex hypothesi, ut nihil aliud velit quàm quod Deus, ac proinde si res petita negatur, cùm ex voluntate Dei peræquè negetur ac si concederetur, profectò illud sequitur, quod intentum obtinetur. Sic aptè Psaltes Regius, cùm etiam puniretur; *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me: aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.* Hoc est enim exaudiri, quando fit nobis Dominus in salutem, id est, quando id nobis salubre redditur quidquid de nobis ordinaverit : vel potius, quando à nobis tanti fit Dominus, ut sit nostra salus illi servire ac placere. *Ipse autem Medicus, salus est*, ait, ibi sanctus Augustinus. 1. Ioan. 5. Ioan. 11. Luc. 11. Psal. 117.

III. PUNCTUM.

NE dicas igitur te petere in nomine Domini, aut ne dicas te nihil obtinere; cùm falsum & blasphemum alioquin loquereris, quandoquidem nil petitur in nomine Domini, quod non petatur secundum voluntatem Dei, &

nihil ita petitur, quod non obtineatur ; *Secundum propositum eius qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suæ ut simus in laudem gloriæ ejus, nos qui ante speravimus in Christo.* Sic opportunè Apostolus, qui sic obtinuit quod petebat, licet negatum fuerit, neq; enim aliter petebat quàm secundùm illud divinæ voluntatis consilium, quod tale erat, ut pateretur angelum Satanæ. Sic ipse Christus Dominus *exauditus est pro sua reverentia*, licet Calicē biberit quē trāsire petebat; quia nō aliter petebat quā prout vellet Deus, *Nō mea volūtas*, inquit, *sed tua fiat.* Itane oras? *Pensate*, inquit S. Gregorius, *petitiones vestras, videte si in nomine Iesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatu. In domo enim Iesu Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importunè pro temporalibus oratis.* Expende illud *importunè*, quod vitiosum esse potest in modo & fine. In modo quidem, si nimis avidè temporalia peterentur: in fine verò, si ex affectu ipsorum temporalium minimè ordinato ad salutem: unde S. Jacobus, *petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis* ; id est, ut sic concupiscentiæ satisfaciatis. Quo in sensu apud Cassianum hæc sunt egregiè dicta: *Nihil caducum vult à se, nihil vile, nihil temporale æternitatum Conditor implorari. Itaque magnificentiæ ejus ac munificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis sempiternis petitionibus pratermissis, transitorium aliquod & caducum ab eo maluerit postulare ; & offensam potius quàm propitiationem Iudicis sui, vilitate orationis incurret.* Sic S. Augustinus: *si illa petieritis, injuriam facies illi, & damnum tibi, præponendo illi quod fecit, cùm velis seipsum dare qui fecit. In hoc amore dixit illi anima quædam : Nunquid ipse es pars mea Domine? Eligant sibi qui volunt quid possideant, faciant sibi partes de rebus : pars mea tu es, te mihi elegi.* Et iterum ; *Dominus pars hæreditatis meæ : possideat te ut possideas illum : eris prædium ipsius, eris domus ipsius : possidet & possidetur ut prosit, Nunquid ut aliquid ei tu es prosis? nam dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Ephes. 1.

2 Cor. 12.

Hebr. 5.

Luc. 22.

Hom. 27. in Evang.

Iac. 4.

Coll. 9. c. 23.

In Ps. 34.

Hûc etiam spectant hæ consequentes Veritates.

Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.

In 1. parte, In die Circumcisionis, ex 2. Tim. 2.

Sensitivæ Devotionis subtractio, veræ & solidæ Devotionis est probatio.

In 1. parte. Die 12. Ianuarii.

Sicut in adversis, ita & in prosperis invocandus est Dominus.

In 1. parte, Dominica 2. post Epiph. Vbi ad nuptias vocatus est Iesus.

Si ad humanam gratiam divina postulas, divinam ipsam repellis gratiam.

In 1. parte, Feria 2. hebdom. 2. post Epiph. Vbi de Nazarenis miracula petentibus.

Nulla in adversis conquerendi est ratio, aut nulla erit conquerentis oratio.

In hac 2. parte, Sabbato post Sexagesimam, Ad ipsa Evāgelii hodierni verba jam suprà exposita.

Si ordinatis ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.

In 2. parte, Sabbato post Cineres.

Qua ratione terrena tantùm & non cœlestia desideras, eadem necesse est, ut cœlestia tantùm, & non terrena desideres.

In 2. parte, Feria 3. hebdomadæ sequentis.

Eiranti in dubiis, & non oranti, nulla est erroris excusatio.

In 2. parte, Feria 6. post Octavam Ascensionis. Vide ibi & sequens Sabbatum : Necnon Feriam 4. Pentecostes, de consulendo Deo,

De septem verò petitionibus orationis Dominicæ quibus septem opponuntur vitia capitalia: Tota est in eis declarandis hebdomada 6. per singulas Ferias, in 3. parte. Quæ omnia sic in unum conflari possunt, ut demonstretur *usque modò non petisse quidquam* eos, qui suis pravis desideriis seu vitiis reprimendis non vacant. Sibi enim contradicunt & obstant in orando. Unde hæc ad fructuosam praxim formatur veritas :

Qui sibi non contradicit in suis malis desideriis : sibi contradicit in bonis.

RATIO EST ; Quia ille sibi contradicit in bonis suis desideriis, qui sibi Dominicam oranti orationem contradicit.

Sed qui sibi non contradicit in suis malis desideriis : ille sibi Dominicam oranti orationem contradicit.

Ergo

Ergo & sibi contradicit in suis bonis desideriis; ac proinde nihil obtinet, nihil orat, nihil quidquam petit; simulator est, hypocrita est, ex illis unus est, de quo bene Isaias, & Christus Dominus Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Is. 29. Matth. 15.

I. PUNCTUM.

PRIMA propositio tam certa est, quàm verè S. Cyprianus de singulis orationis Dominicæ petitionibus scripsit: *Hæc ubi petierimus à Deo, nihil remanet quod ultra debeat postulari.* Hoc enim est apertè dicere, nullum esse bonum desiderium, seu nullum esse bonum desiderandum ac petendum, quod illis septem petitionibus non contineatur, ac propterea, qui sibi talem oranti orationem contradicat, sibi manifestè contradicat & repugnet, in suis bonis desideriis. *Labia dolosa in corde & corde locuti sunt*, ait Psaltes: Contra verò Moses, *Iustè quod justum est persequeris.* Id est, cave ne dum justa injustè prosequeris, tibi contradicas & obstes. Unde & Sapiens, *Qui custodierint justa justè, justificabuntur*, quasi diceret, Illi demum habebuntur justi & integri, qui suis in bonis operibus sibi cohærebunt, sibi consentient; non autem illi qui sibimetipsis contradicūt, dum ore aliud & corde aliud profitentur. *Væ duplici corde, & labiis scelestis!*

Tr. de Orat. Dom.

Ps. 11.

Deut. 16.

Sap. 6.

Eccles. 2.

II. PUNCTUM.

SED *qui sibi non contradicit in suis malis desideriis, ille sibi Dominicam oranti orationem contradicit.*

Tria sunt hic enodanda. Primùm est, quòd quæcunq; sint mala desideria seu vitia, referuntur ad illa septem quæ dicuntur capitalia, ut expressè docet Divus Thomas, tùm authoritate S. Gregorii, tùm ratione quàm fusè prosequitur, quod videlicet *finalis causa tot sint nec plures principales & primariæ rationes movendi appetitum.* Videri potest S. Doctor.

1. p. q. 84. a. 4. L. 31. Mor. c. 31.

Secundum est, quod qui sibi non contradicit suis in malis desideriis seu vitiis, censetur ea velle, non tantùm quādo illis actu consentit, sed quamdiu voluntatem servat illis consentiendi quoties libuerit, quod est habitu vitiosum esse, quo in statu sunt pene omnes, qui suis malis desideriis reprimendis non vacant, quod idem est ac dicere, qui sic affecti sunt ut pro libito suo suis se sinant vitiis, *juxta proprias concupiscentias ambulantes.* O quam multi sic ambulant, quos deplorat Apostolus, *inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*

2. Pet. 3.

Philipp. 3.

Tertium est, talem vitum sibi oranti orationem Dominicam contradicere & repugnare, quia volendo septem illa vitia, vel unum ex his aliquod, voluntatem habet oppositam septem illius orationis petitionibus, aut earum uni vel alteri, prout magis aut minus pravè affectam gerit voluntatem. Sicut enim vitia virtutibus suis contrariis opponuntur, ita & opponuntur Dominicis illis, quas S. Chrysostomus vocat, *sententiis*, nos communiori vocabulo, *petitionibus*, quæ septem singulæ, septem virtutes includunt, planè & directè pugnantes cum totidem vitiis capitalibus sat ex se notis.

Hæc essent declaranda sigillatim, sed quia longiùs traheretur oratio, viderique possunt, quæ suo designato loco reservantur uberius explananda, sic in pauca contrahuntur. Primæ petitioni respondet Humilitas, superbiæ seu vanitati repugnans. Secundæ, Liberalitas seu quævis alia virtus, avaritiæ contraria. Tertiæ, Mansuetudo iræ opposita. Quartæ, Temperantia gulæ contratia. Quintæ, Charitas invidiæ adversaria. Sextæ, Castitas inimica Luxuriæ. Septimæ, Diligentia sive devota sedulitas contra pigritiam aut acediam.

Quibus ita manifestè propositis, jam accedat vitiosus ad orandum, jam effundat orationem Dominicam, jam pronuntiet quod à Patre nostro cælesti petendum Filius docuit: volvat illud & revolvat quantum volet, nihil dicit, nihil nisi sibimet contradicit.

Nescitis quid petatis, dicebat Dominus duobus illis Discipulis, qui primas ambiebant sedes in ipsius regno: nam si sciviſſent quænam essent illæ sedes, & quid esset esse primum in regno Christi, nunquam illo postulassent animo talem primatum, Prima sedes in regno Christi est humilitas, humiliatio, contemptus sui, contemptus mundi; *qui voluerit major esse, sit omnium minor, sit minister & servus omnium*, ait Rex noster; at certè hoc non petebant qui de primis contendebant sedibus, imò planè oppositum, quale sibi fingit

Matth. 20.

Ibid.

Luc. 22.

appetitus, cum ambit eminentiores gradus & primas cathedras; unde sibi totis repugnabāt, nam petebant præesse simul & subesse cæteris: præesse quidem, prout ambitione movebantur; subesse verò, prout Christus statuerat primos sui regni fore demissiores; quæ quàm essent pugnantia & contradicentia quis non videt?

Sic tu planè peccator, sic tu quisquis superbus oras *sanctificari nomen Dei*: vel omnino nescis quid ores, vel superbiam deponas necesse est, & veram induas humilitatem, vel tibi prorsus contradicis. Nam idem est sanctificari ac celebrari; unde dicitur *sanctificate Sabbatum*, id est, celebrate seu celebrem & festum diem habetote: Quid est autem celebrari nomen Dei? quid est ante omnia primum hoc postulare, nisi sigillatim unumquemque profiteri se nihil desiderare vehementius, quàm ut Deus in his omnibus quæ nos spectant, agnoscatur Author & promotor: illi uni gloria deferatur, non nobis Pater, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: tu enim bonorum es author omnium; unde si soli bono debetur gloria, tibi uni debetur qui solus es bonus, & à te omne est bonum, omne laude dignum & gloriâ; quod verò nostrum est, sola est infirmitas, solum peccatum, sola malitia. *Tibi Domine Iustitia, nobis autem confusio faciei.*

Deut. 17. Exo. 20.

Dan. 9.

Hoc est sanctificari, hoc est celebrari & glorificari nomen Dei, nec planè aliter. Unde Divus Chrysostomus, *digna prorsus oratio eo qui Deum patrem appellavit, nihil omnino prius quàm pro illius gloria supplicare: iuxta illud scilicet Domini, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*

Itane verò superbus hoc primum & vehementius velit? itane velit de se nihil ut boni cogitetur? nihil reddatur gloriæ, nihil commendetur, nihil celebretur, non scientia, non nobilitas, non divitiæ, non peritia, non pulchritudo, non vestes, non capilli, non quidquid gloriosum appareat, nihil horū in se spectetur? Deo, cujus est totum, totum deferatur, nihil sibi præter suum nihilum & peccatū suum, cui non gloria, sed confusio reddenda est? Itane superbus hoc de se dicat & sentiat, quod revera dicendum esset vel tacitè sentiendum, si verè primum & vehementius peteret Dei nomen celebrari? Vel non esset superbus si hoc sentiret, vel nisi hoc sentiat, superbus est; & quamdiu superbus est, tam alienus est ab illa mente, quâ prima petitio debet fieri, quàm aliena est ab humilitate superbia; tantumque sibi contradicit, quantum qui volebant primores gradus in regno Christi, & qui petebant primas sedes.

Psal. 77

Sic avarus qui petit *ut adveniat regnū Dei*, nihil minus petit, nihil magis timet. Nā cum terrenis bonis suis sit valde affixus, & nova in dies congerenda & cumulanda cogitet, nihil magis timet quàm mortem, nihil magis optat quàm longævam, & si fieri posset, perpetuam vitam. Petere autem ut adveniat regnū Dei, & simul petere diuturnum vitæ tempus, ita sunt sibi opposita, sicut mors & vita. Nam ut adveniat regnum Dei, regnum cæleste, regnū illud beatitudinis sempiternæ, necessum est omnino mori, & tametsi desiderium mortis expressum non exigatur ad hoc ritè postulandum, debet tamen paratus esse animus, aut profectò non debet ita esse aversus & alienus, qualis est avari animus, qui dum nihil magis timet quàm mori, nihil minus petit quàm quod petit regnum Dei. *O Mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus*: Id est, qui sibi sic providit in omnibus quæ sunt vitæ propagandæ opportuna, ut nihil timeat nisi mortem.

Luc. 12. Eccles. 41.

Hoc idem de iracundo, de guloso, cæterisque notato vitiis, probatum habes in memorato tertiæ Partis loco. Sicut enim nulla re magis nota fit voluntas Dei, quàm quæ necessitate aliqua implicatur, sic iracundus, qui orat ut voluntas Dei fiat, nihil magis alienum in animo versat. Quid est enim unde magis irascitur & excandescit, nisi quia non potest quod vellet? at unde illud non potest, nisi ex voluntate Dei, quæ tantò illi manifestiùs innotescit, quantò illud, quod magis vellet, minus potest? Unde in libro Iob rectè describitur: *Tetendit adversùs Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est; cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.*

Gal. 6. Prov. 1 Ibid. 19 Ibid. 21 Iob 15.

Cùm verò gulæ addictus panem à Deo petit: quæro, an à solo expectat Deo quod petit, an ab alio? si ab alio, non levem Deo facit injuriam, qui quod minoris ducit, nempe panē, à solo expectet Deo: quod autē in majoribus habet deliciis, aliunde sibi procuret. Quod si suas simul delicias & lautiores cibos à Deo postulet,

postulet, nonne hoc rursum est injuriosum Deo, sic ab eo postulare, quod gulæ suæ serviat, quod peccati fomitem subministret, quod divinam incurrat offensam? *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Psal. 77.

Quid porro petit invidus, quid acceptæ memor injuriæ, quid ultionis appetens, quãdo sua sibi petit dimitti debita, sicut dimittit debitoribus suis? An revera desiderat sibi remitti, vel fictè & simulatè tantùm orat? affirmabit se revera desiderare, vel desperatæ est mentis; sed falsò affirmabit: nã vox illa, *sicut*, quam interponit, manifestæ hunc arguit falsitatis; cùm enim suis non dimittat debitoribus, nec aliter sibi velit dimitti, quàm sicut ipse dimittit, quid est nolle quod petit, nisi hoc sit? Et præclarè Sapiens, *homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cũ caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo: quis exorabit pro delictis illius?* Quasi diceret, nihil pugnantius fingi potest, quam ut homini homo non parcat, & sibi à Deo parci petat! Iesus. 28.

Audebis verò etiam, impudice, Cælestem rogare Patrem, ne te inducat in tentationem, in quam teipsum effusè projicis? Cave id præsumas, cave id audeas, nam hoc apertè est irridere quem rogas; Deus autem impune *non irridetur.* Gal. 6.

Restaret de pigro dicere, nisi de illo jam à Sapiente dictum esset, *vult & non vult piger,* quod tũ maximè profitetur, cùm petit à malo liberari. Vult enim quia petit, & tamen non vult quia piger est, *& abscondit manum sub ascella, nec ad os suum applicat eã,* Id est, illa præstare non vult quæ de suo conferre debet cum divino præsidio, ut à malo liberetur. *Pigrum deiicit timor,* hoc est, sic abjicit, ut quantumvis velle videatur aliquid, non tamen velit, quia non facit, quod ille faceret, qui verè veller. Prov. 13. Ibid. 19. Ibid. 28.

III. PUNCTUM.

QUI sibi ergo non contradicit in suis malis desideriis, sibi contradicit in bonis, vel certè nulla dici potest habere bona desideria: nam si quę sint bona, non est dubium quin septem orationis Dominicæ petitionibus compræliendantur, ac si quando depromi debeant, cùm vel illo maximè tempore, quo talis pronuntiatur oratio: nam ut ait sanctus Cyprianus, *intentione sincera Dominum debet non vocis sonus, sed animus & sensus orare,* unde hoc primum rectè asseritur, quòd si tùm oranti sibi vitiosus contradicit, sibi contradicit in bonis desideriis; nonne id patet? At verò aliud non minùs est evidens, quòd ille ipse, qui est vitiis implicitus, tum sibi oranti contradicit, cùm unicuique petitioni suum sit oppositum vitium, quo fit ut corde neget quod affirmat ore; Quis hoc non videat, & quidem ipsum sibi tot se diversis modis opponere, quot habet vitia Dominicis opposita propositionibus? *Arguet te malitia tua.* Ierem. 2.

Et certè pernicioſa malitia, quæ vel omnino non sinet te orare, vel nisi fictè & simulatè, quod pejus est quam si penitus non orares! vellesne sic interdici sacris omnibus, ut ipsa tibi Dominica vetaretur oratio, nec tibi plus relinqueres pietatis erga Deum, quam si Deũ prorsus ignorares? Possetne fingi status isto miserior? Et tamen, ô deplorandam vitiosæ mentis perniciem! si Deum oras in tuis illis vitiis, quibus exuendis non vacas, miserius & damnosius est aliquid quam status ille qui extremam miseriam tibi videbatur attingere. Nam sic fictè orando, vel cor tuum putas Deo notum vel ignotum; si putas ignotum, quem tu facis Deum? Deum nescientem! Deum ignorantem! ô blasphemiam! Quòd si Deo notum putas quod fingis, quem te ipsum facis qui hoc audeas? tu præsenti! tu scienti videntique Deo non verearis affingere, non erubescas illudere? Hoc est *audacter provocare Deum.* Iob. 12. Sic Scriptura, sic Iob Deo plenus loquitur, sic Deus ipse sentit; *Ad iracundiam me provocavit Ephraim, in amaritudinibus suis.* Id est, in peccatis quæ mihi valde displicent, vel quæ fingit peccator aliquando sibi displicere. Quod est etiam *accedere malignè ad Dominum, & cor habere plenum dolo & fallacia,* quod quam sit capitale, pluribus urget Sapiens. Osee 12. Eccles. 1.

Fictè locutus est, vel semel Adonias Salomonis frater, quando Abisag Sunamitidem sibi uxorem dari petiit, quod cum sensisset Salomon, *hæc,* inquit, *faciat mihi Deus & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc; Et nunc vivit Dominus quia hodie occidetur Adonias.* Notanda verba illa, *contra animam suam;* nam & simul significant contra mentem id factum & contra salutem; quod evidentissimum est oranti vitioso accidere. 3. Reg. 2.

dere, qui non semel, non una in re, non in re temporali aut civili; sed quoties septenas illas iterat precationes, in quibus salutis nostræ summa vertitur, toties ille cõtra animã suam loquitur, contra mentem, contra salutem; *Oratio eius execrabilis*, ORATIO *eius in peccatum.*

Prov. 28. *Ps.* 108.

Certè si duntaxat uni deesset petitioni sincera mens, si vel unum oranti adesset vitium, quod uni è septem adversaretur virtuti; solum hoc sufficeret ut quod ait sanctus Augustinus, tota penitus exhauriatur oratio; quantò magis id pavendum, quando vix unum deest, quin omnes simul ex æquo pessundentur precandi formulæ!

Quamobrem nõ modò id manifestè patet, quòd *usque modò*, nihil quidquam vitiosus petierit, quod sanè est luctuosum; sed quod sibi etiam graves accersiverit pœnas, qui contra animam suam tam sæpe tam audacter locutus est. Et quanti refert non in eo moti statu, in quo nullus sit orationis usus & fructus, tanti scito tua interesse, non in his vivere vitiis, quorum finis interitus, interitus fictionũ, interitus precum, interitus salutis animæ.

Quæ de Oratione hîc plura suggeri possent, vide in sequenti Feria Rogationum.

Ad hæc verò Verba quæ supersunt ex Evangelio: *Ipse Pater amat vos quia me amastis*: Tota est hebdomada 3. Adventus in 1. parte, ubi de amore Christi.

HAC HEBDOMADE, conformes Mysterio Ascensionis Domini Considerationes & Veritates, ex primo Capite Actuum Apostolorum enuntur: atque his velut stimulis & motivis excitantur corda nostra, *ut quæ sursum sunt quærant & sapiant, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Coloss. 3.

FERIA SECUNDA. IN ROGATIONIBUS.

DE PRIMO MOTIVO COELESTIS Desiderii. Quod ibi promissum nobis sit Regnum Dei.

Prabuit seipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta, apparens eis, & loquens de Regno Dei. Actuum 1.

VERITAS PRACTICA.

Quantam in te vim habet desiderium Regni Cœlestis, tantam tibi vim facies.

RATIO est, quia quantam in nobis vim habet desiderium rei cuiuslibet, tam potens est & efficax, ut complectatur medium, quod ad eam obtinendam in primis est necessarium.

Sed ad Regnum cœlorum inprimis est necessaria vis & violentia nobis facienda.

Ergo quantam in te vim habet desiderium Regni cœlestis, tantam tibi vim & violentiam facies: aut certè quantum deeris huic violentiæ, tantum & desiderio.

I. PUNCTUM.

TAMETSI Regnum illud, de quo cum Apostolis sæpissimè Christus egisse dicitur, possit Ecclesia intelligi, sive Religio Christiana, cuius sacramenta, præcipuasque ceremonias tunc ordinavit & suis observanda tradidit: quia tamen non alio fine militantem

litantem hic Ecclesiam instituit, nisi ut Triumphantem in cœlo faceret & regnantem, neque alia lege subditos sibi homines habere voluit nisi ut eosdem Reges constitueret; idcirco commodè Regnū illud Dei, Regnum ipsum est cœli, ubi non modo Deus regnat in Beatis, sed & Beati regnant in Deo. *Accipient*, inquit Sapientia, *regnum decoris & diadema speciei de manu Domini.* Et aperte Apostolus, *si sustinebimus, & conregnabimus.* Denique sic agnoscunt omnes Beati dicentes Domino; *Redemisti nos & fecisti nos Deo nostro Regnum.* O qualis ille Rex est, & quale eius Regnum, cujus quotquot sunt servi, tot sunt Reges! Quàm piè sanctus Augustinus: *Non timuit ille habere coheredes quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint: Illi ipsi certè eo possidente fiunt hæreditas ipsius, & ille vicissim fit hæreditas illorum.*

Hoc itaque cogitandum esset attentius, atque inde motivum efficax deducendum ad excitanda nostra desideria, hoc vel maximè tempore, quo Christum illuc ascendentē colimus, ubi nos secum aliquando regnare vult, & interim regni sui cupiditatē accendi. Quale illud est, proh Deus immortalis! quale illud in omnium hominum animis, *Regem esse!* & quanta regnorum disparitas, Terreni & Cœlestis! Quidquid enim est in terreno incommodi, longè abest à cœlesti! & quidquid in illo est fœlicitatis & commodi, purius & abundantius in cœlo est. *Percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. DABO tibi coronam vitæ. POSSIDETE paratum vobis regnum à constitutione mundi.* O quis hæc credat & non excitetur? ô quis hæc audiat à Scripturis, & non credat?

Verùm audienda est etiam proposita Veritas, & altè animo infigenda: *Quod quantum est desiderium Regni huius Cœlestis, quantum est efficax, & quantam in te vim habet, tantam tibi vim & violentiam facies.* Quando enim res desiderata non potest acquiri sine aliquo medio, certum est tantum esse huius medii desiderium, quantum & rei cujus est medium; unde fit ut tanta in omnium mortalium animis infixa sit pecuniæ cupiditas quanta sentitur; quia cùm multa desiderent homines & ad illa comparanda medium singulare sit pecunia, quantò omnes honorem, commoditates, vitamque ipsam diligunt, tantò pecuniā amant sine qua commodè non putant posse vivere. Atque inde translatum est, ut, si quid etiam valde opportunum ad beatitudinem vel sanctitatem sacra nobis Scriptura commendatum velit, tanquam pecuniam illud commendet; *Si quæseris eam*, inquit Sapiens de sapientia, *quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam*, id est, quanto affectu solet quæri pecunia. Certè est pudor si non majori affectu cœlestia & spiritualia prosequamur, sed longè magis pudendum, cùm hæc etiam multò minus quam pecuniam inquiramus.

Prov. 2.

II. PUNCTUM.

SED *ad Regnum Cœlorum inprimis requiritur ut vim & violentiam nobis faciamus.*

Sic enim expresè Christus Dominus; *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Atque ita quando nihil aliud esset, quā eius ordinatio & tale decretum, ut nullus regnum illud possideat, nisi sibi suisque motibus inordinatis violentiam faciat ad eos comprimendos, satis superq; esset ad fidē & praxim. Quis enim in re tam aperta dubitare possit?

Matt. 11.

Verum & manifesta ratio est, cur ita necessariò vis & violentia nobis sit adhibenda. Nā cùm necessaria sit virtus, necessaria Humilitas, Castitas, Caritas & aliæ similes; non possint autem virtutes efficaciter exerceri, nisi naturæ corruptæ vis & violentia inferatur; tam necessaria est hæc violentia, quàm ipsa virtus; & sicut de una virtute ait Apostolus, *patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*, sic planè de vi nobis inferenda, cùm alioqui nulla sit solida virtus. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum patre meo in throno eius.* O SICUT ET EGO VICI, quam multa hic ad affectum! quasi apertè diceretur, non aliter sedebit mecum, nisi pugnet & nisi vincat; cum ego ipse non aliter sessionem illam meruerim quàm pugnando & vincendo.

Hebr. 10.

Apoc. 3.

III. PUNCTUM.

QUANTUM *ergo in, te vim habet desiderium regni cœlestis, tantam tibi vim facias omnino necesse est*; Quia hæc est certissima & unica nota veri desiderii, ut sit efficax, & amplectatur medium necessarium ad rem desideratam obtinen-

obtinendam; aut si non aliud amplectitur, nō est efficax, non est verum desiderium sed cassum, inane & miserum; unde Sapiens: *Prov. 21.* *desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari, tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est tribuet & non cessabit.* *Ib. 13.* De illo scilicet pigro loquitur, de quo antea dixerat: *vult & non vult piger,* id est, vult finē, & non media, quod est absolutè nolle; nunquam enim finem assequetur, & hoc unū habet ex desiderio suo ut valde torqueatur & penè occidatur sine ullo fructu, quandoquidem non assumit media necessaria: qui autem justus est; id est, qui justè de rebus judicat, & qui in his comparādis ordinata servat media, tali rerum abundantia fruitur, ut de suo etjam aliis liberaliter & indesinenter tribuat.

Hic tibi quis animus? quale est tuum cœli desiderium? qualis vigor & violentia quam tibi facis? qualis esse soles in occursu difficultatum? An emollescis! an expugnas & vincis quidquid durū & asperum sese objicit? Tùm enim maximè vis inferenda cùm reluctatur appetitus, tùm de Regno Cœlorum agitur, tùm ostendis quantùm illud facias & appetas. O quam remisse & frigidè, cùm vix unquam tecum pugnes & semper difficultati cedas! Itane verò Regnum contemnitur? Quæ bella, quæ vitæ discrimina non libenter suscipiunt homines, ut Regnum, ut provinciam, ut urbem, ut castellum acquirant aut conservent! Et pro immortali gloria, pro nunquam perituro Regno vix decertatur, cùm tamē nisi pugnetur non adveniat: certa verò sit & parata decertanti victoria & corona! *2. Tim. 4.* *Bonum certamen certavi,* ait Athleta nobilissimus, *cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi Corona iustitiæ, non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum eius.* Et verò, *Ibid. 2.* inquit idem: *qui certat in agone, nō coronabitur nisi legitimè certaverit.* Et rursum; *Omnis autē qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem corenam accipiant,* *1. Cor. 9.* *nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, nō quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutē redigo, ne forte cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Audisne anima, & non expavescis! Hem, nisi Apostolus pugnet, timet excidere regno, licet parato, & tu nō timebis! *Apoc. 3.* *Ecce venio citò,* dicit Rex Regum, *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

AD Evangelium de Rogationibūs, Lucæ undecimo; præter illa, quæ proxime præcedenti Dominica proponuntur de oratione, distribui possent in trēs Rogationum dies, tria illa quæ à Domino commendantur, *petite, quærite, pulsate.* Quæ tria verba licet unum & idem, ad majorem commendationem, videantur significare; nō deest tamen in singulis, observanda vis aliqua, quæ rem magis auget. Est enim in quærendo nonnihil amplius operæ quam in petendo. Et dum moram quis patitur in pulsando, quis non videt ibi diutius persistendum, & aliquid gravius obeundum? Quamobrem eæ potissimum seliguntur Veritates quæ & unicuique Verbo conformes sint, & proponant præcipue, quid ex nostra parte desit, quò minus rectè defungamur his quæ à Christo commendantur, ut detecto malo remedium facilius adhibeatur.

PETITE *& dabitur vobis.* Luc. 11.

Nisi diligenter advertas; Quod petis à Deo justius; hoc est quod petis injustiùs.
In 3. parte, Feria 3. & Sabbato hebdomadæ 7.

Si vis quod non habes, da quod habes
In 1. parte, Dominica 2. post Epiphaniam.

Si forte times mediatorem Christum; non ille timet alios mediatores.
Tot ipse tibi exhibet, si velis, adhibendos; quot habet sanctos.
In 4. parte, Sabbato hebdomadæ 26.

QUÆRITE, *& invenietis.* Luc. 11.

Quò sæpe vehementiùs aliquid Deum oras, ore quidem illi astas propiùs, sed corde distas longiùs.
In 3. parte, Feria 4. hebdom. 14.

Si quod creditur necessarium, quærenti desit: credendum potius non illud esse necessarium, quàm quòd quærenti desit.
In 4. parte, Feria 2 hebdom. 21.

Sicut pietas valet ad omnia, sic omnia valent ad pietatem.
In 2. parte, Feria 6. hebdomadæ Pentecostes.

PULSATE *& aperietur vobis.* Luc. 11.

Nisi

Nisi cor, lingua, & manus ad devotionem simul conspirent, ipsa exspirabit devotio.

In 4. parte, Feria 5. hebdomadæ 26. Vbi quæ dicuntur de devotione, facile possunt de oratione & de perseverantia intelligi.

Vera fiducia, confidenti nunquam infida.

In 2. parte, Feria 3. hebd. 4. post Paschæ.

Sicut qui nimis satagit, non satis Deo fidit, sic neque is, qui de suo non satis agit.

In 3. parte, Sabbato hebdomadæ 14. ubi de Cananæa.

Vide & in 2. parte, Feria 5. hebdom. 3. in Quadragesima, ubi de perseverantia, quæ, *dum cætera pugnant virtutes, sola vincit.*

FERIA TERTIA.

DE SECUNDO MOTIVO EXCITANDI In Cœlum desiderii: quod ibi omnia nostra desideria compleantur.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes; Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel? Dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Act. 2.

VERITAS PRACTICA.

Qua ratione terrena tantùm & non cœlestia desideras, eadem necesse est ut cœlestia tantùm & non terrena desideres.

RATIO est, quia idcirco terrena tantùm & non cœlestia desideras, ut appetitiones animi sic facilius expleantur.

Sed explendis appetitionibus animi necesse est potius, ut cœlestia tantùm, & non terrena desideres.

Ergo qua ratione terrena tantùm & non cœlestia desideras, eadem necesse est ut cœlestia tantum & non terrena desideres; Quod quàm sit ad praxim perutile, diligenter inquirendum.

I. PUNCTUM.

CUM nondum scirent Discipuli, quo Christus tempore quove modo, Regnum suum in hoc mundo manifestaret, vehementer id avebant rescire, ac propterea illum omnes interrogant, quasi uno omnes desiderio rei tantæ & tamdiu expectatæ tenerentur: *Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel:* Id est Israelitico populo, cui à Romanis erat substractum & translatum ad Herodem Idumæum. At Christus volens eos avertere à cogitatione Regni temporalis ad Cœleste & æternum, hoc unum eis respondit: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*; quasi diceret, quamdiu hic vivitur, ponendus modus curiositati ac humanis desideriis; non est hoc tempus neque locus cupiditatis etiam licitæ & honestæ adimplendæ; Cœlo ista reservantur, ubi quidquid volet rationalis appetitus obtinebit; sicut ante illis expresse dixerat, *In illo die me non rogabitis quidquam*, quia videlicet, ut ait sanctus Augustinus, *videbimus eum ubi jam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.* Ioan. 16.

Hic ergo attentius cogitari posset de hac futura in Cœlo fœlicitate, quâ plenè satiabitur anima; & inde sic exardere desiderio Dei videndi, nihil ut præterea desideres, *Apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua!* QUAM *dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Qui ut affectus solidè & efficaciter ad fructum & effectum concitentur, opportuna est admodum veritas, qua sic urgemur ad reprimenda quæque terrena & humana desideria, *Vt illâ ipsâ ratione, quâ ter-*

Ps. 16. Ps. 83.

rena tantum & non cœlestia desideras, eadem necesse sit cœlestia tantùm & non terrena desideres.

Quænam porro est ratio, cur terrenis adeo teneamur affectibus, vix autem cœlestia nos ullo modo moveant? Nempe ut rei desideratæ appetitus sic facilius expleatur. Est enim desiderium animæ, velut quædam fames corporis seu velut appetentia cibi, quæ tamdiu corpus vexat, donec satietur. Sic à Sapiente, concupiscentia comparatur *sanguisugæ cuius filiæ*, id est appetitiones *semper dicunt, affer, affer*: Quia scilicet hæc earū est natura ut semper appetant, donec expleantur. Atque hinc fit, ut, cùm terrena sint magis sēsibilia & præsentia quàm cœlestia, non modò magis illis afficiamur quàm cœlestibus, sed ita toti afficiamur, ut quod dicit Psaltes, *transeamus in affectum sive in concupiscentiam cordis*, id est, quidquid sumus, intellectu, voluntate, memoria, & totis affectibus, circa res terrenas & humanas occupemur, seu sperando, seu timendo, seu gaudendo, seu dolendo, prout illæ occurrant, vixque aliquid superfit animi ad res cœlestes & divinas cogitandas. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem!* Imò etsi cœlitùs, ut sæpe fit, æternæ beatitudinis infunderetur cogitatio, statim repellitur, ne quid subducat aut detrahat humanis illis affectibus quibus toti, terrenis bonis inhiamus. *O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!* *FILII hominum usque quo gravi corde!*

Prov. 30.

Ps. 72.

Ps. 105.

Prop.

Ps. 4.

Certè oportet humanum cor esse valde grave, quod non obstantibus tot motivis quibus ad cœlestia sursùm attrahitur, semper deorsum recidat, & quærenti Prophetæ *usque quò* sint homines tam gravi & depresso corde, respondendum sit ita esse ab incunabulis, aut ab ephebis, usque ad tumulum. *Hæc videlicet occupatio magna creata omnibus hominibus, & iugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium*, ut ait Sapiens. Hæ sunt spinæ suffocantes sementem Evangelicam, ut nullum ferat fructum. Hæ sunt eorum excusationes, qui ad cœnam magnam invitati nolunt venire. Hæc denique *desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Nempe ita immergūntur suis desideriis ad explendum rei desideratæ appetitum, ut potius intereant quam expleantur, & potius desinant vivere quam appetere. O verè nociva desideria.

Eccles. 40.

Luc. 8.

Ibid. 14.

2. Tim. 6.

II. PUNCTUM.

ATQUI ob hanc ipsam causam, nempe ut appetitiones nostræ plenius & facilius expleantur, res nobis tantum cœlestes & non terrena desiderandæ sunt.

Quia videlicet si solæ desiderentur, solæ sunt capaces explendis nostris desideriis, non in hac quidem præsenti vita, sicut in futura, pleniſſimè & *superabundanter magis quam credimus*: sed quantùm interim idonei sumus præguſtandæ illius supremæ fœlitatis, tantùm illa sola fœlicitas verè concupita, seu Deus ipse desideratus nostrum potest explere desiderium. *Qui replet in bonis desiderium nostrum.* Hoc illi tanquam proprium & singulare dicitur: hoc ille solus efficit, sed diversimodè secundum statum nostrum: perfectè quidem & completè in cœlo à possidentibus; hic autem à desiderantibus inchoatè & incompletè, si videlicet comparetur desiderium cum ipsa possessione.

Ps. 102.

At si fiat comparatio cælestis desiderii cum terreno, tunc cœleste dicendum est explere animum tam perfectè quam hic potest expleri, dummodo scilicet sit purum & defecatum desiderium, id est, nullius rei terrenæ affectu permixtū, sive ne ut illa permixtione inficiatur, sive ne in plura dividatur & debilitetur. Hoc enim habent desideria cordis humani, si pura sint & non permixta, ut rei desideratæ naturam & proprietates participent & quodammodo induant; unde fit, ut sicut terrena desideria non possunt satiare appetitum, quia res ipsa terrena quæ desideratur non est capax hujus satietatis efficiendæ: ita planè cœlestia desideria nos replent & satiant, quia hoc est proprium rei cœlestis quæ desideratur, ut nos exsatiet & repleat.

Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum, ait Dominus de terrenis desideriis: *qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, NEMPE, inquit S. Chrysostomus, *qui habet in se fontem nō afficitur siti*, sic desiderium vitæ æternæ comparatum cum desideriis hujus mortalis vitæ, fons quidam est quo ita expleatur appetitus, ut non sitiat sicut sitit desiderando terrena.

Ioan. 4.

Sitiunt certè desiderantes cœlum *sitivit in te anima mea*, sed siti quadam suavi & beatifica,

Ps. 62.

fica, qualis in ipso cœlo reperitur, ubi *qui bibunt adhuc sitiunt, & in eum desiderant prospicere quem vident Angeli.* Unde sicut sitis & desideria in cœlo nõ impediunt satietatem Beatorum, ita neque hic sanctarum mentiũ, quæ illuc desiderando aspirant. At verò sitis terreni cordis aspera est, inhumana est, crudelis est & barbara, quæ tanto magis inanem & vacuũ reddit animum quo se magis explere putat. *Sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit & anima eius vacua est,* inquit Propheta: Et paulò pòst: *Ecce servi mei bibent, & vos sitietis: Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini.* Tum enim præcipuè sentitur confusio cùm aliter atque expectatur, accidit, quod in siti terrena tam familiare est, quàm decipi & illudi in humanis & terrenis desideriis, frequens est & prope quotidianum.

Eccles. 24. 1. Pet. 1. Is. 29. Ibid. 65.

Domine, da mihi illam aquam quam promittis, ut non sitiam, neque illuc amplius pergam haurire, ubi *cisterna sunt cisterna dissipata quæ continere non valent aquas.* Ier. 2.

III. PUNCTUM.

QVA ergo ratione terrena tantùm & non cœlestia desideras, eadem necesse est ut cœlestia tantum & non terrena desideres: quia cùm desideria sint velut quædam animi vacuitates, quas desiderando animus vellet expleri, nunquam explebit terrenis & caducis, sed solum cœlestibus ac æternis: & sicut terrena desiderans avocatur à cœlestibus, ne quid terreno desiderio detrahatur: ita desiderantes cœlestia prorsus avocandi sunt à terrenis, quæ animũ ita dividunt & distrahunt, ut illis cœlestibus ac beatis satis dignè desiderandis par & idoneus esse non possit. Hinc Sponsus sponsæ: *Pone me,* inquit, *ut signaculum super cor tuum,* In signaculo scilicet sunt cavitates sicut in corde nostro vacuitates illæ quas diximus; si qua autem in materia impressum est & formatum signaculum, nunquam replentur illæ cavitates nisi per ipsiusmet signaculi superimpositam formam: sic planè desideria nostra nunquam replebuntur nisi per illum ipsũ, ad cuius imaginem & similitudinem formati sumus; Unde illud tam frequens sancti Augustini: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrũ donec requiescat in te:* Necnon illud Divi Bernardi, *Capacem quippe Deo animum quidquid Deo minus est nõ implebit: cæteris rebus occupari potest, at non repleri.* Quod non minus piè quàm verè & fusè Thomas Kempensis; *Quidquid desiderare possum vel cogitare ad solatiũ meum, non hic expecto, sed in posterũ. Expecta modicũ anima mea, expecta divinum promissum, & habebis abundanter tam omnium bonorũ in cœlo, si nimis inordinate ista appetis, perdes æterna & cœlestia; sint temporalia in usu, æterna in desiderio. No potes aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda nõ es creata; etsi omnia bona creata haberes, nõ posses esse fœlix & beata, sed in Deo qui cuncta creavit, tota beatitudo tua & fœlicitas cõsistit, nõ qualis videtur & laudatur à stultis mundi amatoribus, sed qualem expectant boni Christi fideles & prægustant interdum spirituales ac mundi corde quorum conversatio est in cœlis.* Cant. 8. L. 3. de Imit. Chr. c. 16.

Vide in 3. parte, in fine, Ubi de Votis Paupertatis & Castitatis. Necnon in 4. Sabbato hebdomadæ 18.

FERIA QVARTA.

QVÆ EST VIGILIA ASCENSIONIS DOmini. De tertio motivo desiderii sursum ferendi: Quod illuc suspirare nos faciat, qui in nobis habitat Spiritus Sanctus.

Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti, in vos. Act. 1.
Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Ps. 147.
Ad maxillam descendunt, & à maxilla ascendunt usque ad cœlum. Eccles. 35.

VERITAS PRACTICA.

Lachrymarum descensus, ascensus est: quò est descensus celerior, eò & ascensus velocior.

RATIO postremæ partis, quæ priorem satis declarat, hæc est, quòd descensus lachrymarum ex cœlesti desiderio manantium quò est celerior, eo & cœli desiderium vehementius esse designat.

Sed quò cœli desiderium sic per lachrymas designatur esse vehementius, eò magis valet apud Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, quod est ascensum lachrymarum esse velociorem.

Ergo quo earum descensus est celerior, eo & ascensus velocior. Ac proinde quando fiabit spiritus & fluent aquæ, fluant quantum fiabit, & cœleste desiderium magis semper accendatur.

I. PUNCTUM.

HÆC Spiritus sancti virtus quam illi erant accepturi, quibus Christus Dominus loquebatur, nō erat tantū fortitudo ad corroborandos contra difficultates eorum animos, sed etiam pietas ad eos ita emolliendos consideratione rerum divinarum & præsertim cœlestis Beatitudinis, ut, quod ait Apostolus, *ipsi intra se gemerent* eò suspirantes & festinantes. *Et nos ipsi*, inquit, *primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Et rursum alibi: *scimus enim quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis, nam & in hoc* INGEMISCIMUS, *habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes.* Rom. 8. 2. Cor. 5.

Cùm enim ex una parte, mirum in modum afficerentur erga Deum, & res divinas; ex alia verò non parum inde retraherentur ob importunas corporis & vitæ præsentis necessitates; tanto inde desiderio tenebantur cœlestis illius libertatis consequendæ, qua uni Deo tranquillè vacarent; ut quò magis accederent ad beatam illam vitam, eò se longius adhuc positos crederent & ingemiscerent; quibus gemitibus illud inter alia boni accedebat, ut sic minus mundo & creatis rebus adhærerent, tanquam advenæ & peregrini, imò ut exules nihil nisi patriam respirarent: *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo*, inquit idem Apostolus, *ingemiscimus gravati, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Ibid.

O jucundiores omni terreno gaudio lachrymas! O utinam mihi cœlitus depluant & de Dilecto annuntient, quando veniet, *aut quando veniam & apparebo ante faciem eius?* Ite gemitus pectoris mei, ite & nuntiate Dilecto, quod eius amore langueo. Sic nos frequentissimè movet Spiritus sanctus & *sic postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; Unde illæ manant lachrymæ cœlestis desiderii, quæ quo descendunt ex corde & ex oculis uberiùs, eò in ubera Dei ascendunt verius, id est, divinam eius pietatem tangunt & movent certius ad multas obtinendas gratias. *Talium lachrymarum descensus, ascensus est; & quo descensus est celerior, eo ascensus est velocior.* Quod certè est cogitatu pium & utile. Ps. 41. Rom. 8.

Ac primò quidem paulo attentius illud est considerandum, quod cùm ex diversis causis piæ lachrymæ possint excitari, tum verò ex duabus præcipuis, quæ sunt *irriguum illud superius, & irriguum inferius*, de quo est mentio in libro Judicum & in libro Dialogorum S. Gregorii. Irriguum inferius sunt lachrymæ promanantes ex peccati culpa vel pœna, quales illæ tam multæ Davidis, Magdalenæ, & aliorum verè pœnitentium. Irriguum verò superius est quando ex desiderio cœlestis patriæ ita colliquescit anima, ut toti in lachrymas defluant oculi, sive ob prægustata illius æternæ beatitudinis gaudia, sive ob certam spem, ac fiduciæ quādam teneriorem sensum eò perveniendi, sive ob dilatum dissolvendi corporis tempus, sive ob vehementius quoddam desiderium videndi Dei nunquam à nobis offendendi, de quo desiderio hic potissimum agitur, quod tantam cum piis illis lachrymis cognationem habet, ut quò desiderium est vehementius, eo sint uberiores & celeriores lachrymæ: & quo sunt uberiores lachrymæ, eo magis significent desiderium illud esse altius, seu profundius & vehementius. Sic sanctus Augustinus, *quantò*, inquit, *quisque est sanctior, & desiderii sancti plenior, tanto vit. c. 11. fit eius in orando fletus uberior.* Et in Psalmos, Ioſue 15. Iud. 1. 3. Dial. 34. L. 20. Ci-

ad

ad hunc versiculum: *fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte*, sapienter advertit non esse dictum a Davide lachrymas fuisse potus, *ne si lachrymando potaret, videretur sitim, qua inardescebat ad fontem vivum, extinxisse; sed cum dicit lachrymas velut panem manducasse, sic indicat manducando plus sitivisse ad fontes.* Et cùm additur, *die ac nocte*: hic explicit, *sive in prosperis sive in adversis rebus, ego desiderii mei lachrymas fundo, ego desiderii mei aviditatem non desero.*

O Suprema civitatis mansio beatissima! ô dies aeternitatis clarissima quam nox obscurat, sed summa veritas semper irradiat. O utinam dies illa illuxisset!

II. PUNCTUM.

SED quò Cœli desiderium sic per lachrymas designatur esse vehementius, eò magis valet apud Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, quod propriè est, ascensum illarum lachrymarum esse velociorem, quasi gradu pari descendant & ascendant, seu qua vehementia descendunt, eadem simul tangant & *moveant sinum divinæ pietatis.*

Duo enim sunt, quæ seorsim sumpta magnam apud Deum vim habent; nempe desiderium, & lachrymæ: at quantò magis simul juncta poterunt apud ipsum? Sic agnoscebat David: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; id est, ut habet quædam versio, *intra te, in sinu tuo*; quod illustrans sanctus Chrysostomus, *nihil*, inquit, *ita conglutinat atque unit Deo, ut lachrymæ*: Itemque alibi: *Neque enim perinde amnium fontes, floridos reddunt hortos, ut plantam precationis fontes lachrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere* Atque huc referas ex Ecclesiastico, quod suprà partim indicatum est: *Non despiciet Deus Dominus preces pupilli, nec viduam, si* EFFUNDAT LOQUELAM GEMITUS. *Nonne lachryma viduæ ad maxillam descendunt & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum; & Dominus exauditor non delectabitur in illis?*

Quæ postrema Sapientis verba duplicem possunt habere sensum & quidem contrarium, sed tamen ex æquo convenientem. Primus quasi interrogando *Nonne delectabitur in illis?* Nonne placebunt illi eius lachrymæ? nonne se his sinet permoveri? Alius sensus quasi affirmando, *non delectabitur in illis*, id est, compatietur, condolebit, statim movebitur ad id concedendum quod orant lachrymæ. *Nec erubescunt*, inquit jam suprà relatus sanctus Ambrosius, *nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Causam non dicunt, & misericordiam consequuntur. Vtiores lachrymarum preces sunt quam sermonum: sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum.* Adde quod sermo est longior, lachryma verò quantocyus sese explicat.

Atque hinc notant quidam interpretes, quod diceate Scriptura, Ezechiam *flevisse fletu magno*: dicit tamen Deus se *vidisse lachrymam eius*, sic enim ex Hebræo vertunt: *audivi orationem tuam & vidi lachrymam tuam*, quia videlicet, prima Regis lachryma, quæ in tanto fletu cæpit defluere, Deum statim commovit. Non expectavit Deus postremas lachrymas, non tertiam non secundam; sed prima decidente, tum Dei viscera commota sunt. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte non mortuos*, sed me viventem? Esto una tantum sufficeret lachryma, non oberunt aliæ, cùm nulla vanè fluat coram Deo, & quæ suum non referat fructum ac meritum.

III. PUNCTUM.

LACHRYMARUM ergo descensus, ascensus est: & quo illarum descensus est celerior, eò ascensus est velocior seu potentior: quia sic uberrim & celerius fusæ lachrymæ indicant, quale sit lachrymantis desiderium, quàm ardens, quàm incensum & spirituale, quo desideriorum ardore ita permovetur divina bonitas, ut cùm ad eminentem Beatitudinis locum præparare vult aliquos homines, sic disponat & emolliat per pia illa desideria & suspiria, ut aptè Psaltes regius: *Beatus vir cuius est auxilium abs te: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Atque idcirco, ut ait sanctus Augustinus in hunc Psalmum, *desiderium differtur ut crescat, crescit ut capiat, non enim parvum aliquid daturus est Deus desideranti, aut parùm exercen-*

dus est ad capacitatem tanti boni : non aliquid Deus quod fecit daturus est, sed seipsum qui fecit omnia: ad capiendum Deum exercere: quod semper habiturus es, diu desidera. Reprobati sunt in populo Israel qui festinaverunt assiduè : & affectus iste reprehenditur in scriptura, festinantium ; nempe eorum, quibus præ desiderio suæ quietis tædet longius vivere, & in illo tædio desistunt à propositis & retrò respiciunt.

Sic itaque desideria cœlestia sunt temperanda, ut, quàm ardenter excitantur, tam patienter sustineantur; Quod utrumque fusè & eloquenter cœlesti eloquentia expressum ha-
L. 3. c. 49. bes apud Kempensem : *Fili mi, cùm tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundi sentis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, ut claritatem meam sine vicissitudinis umbra contemplari possis : dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe. Redde amplissimas superna bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit, clementer visitat, ardenter excitat, potenter sublevat, ne proprio pondere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo, aut conatu accipis, sed sola dignatione superna gratia & divini aspectus : quatenus in virtutibus & majori humilitate proficias & ad futura certamina te præpares, mihique toto cordis affectu adhærere, ac ferventi voluntate studeas deservire.*

Evangelium Vigiliæ suprà in hac 2. parte declaratur, tota hebdomada Quinquagesimæ.

FERIA QVINTA.

ASCENSIO DOMINI.

DE QVARTO MOTIVO COELESTIS Desiderii quod Christus in Cœlum ascenderit, ibique regnet.

Et cùm hæc dixisset, videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Luc. 1. Act.

VERITAS PRACTICA.

Nemo veriùs ascendentis Christi Mysterium assequitur, quàm qui veriori desiderio ascendentem Christum sequitur.

RATIO est, quia nemo veriùs Christi ascendentis mysterium assequitur, quam qui mysterii finem attingit.

Sed nemo veriùs mysterii finem attingit, quàm qui veriori desiderio Christum ascendentem sequitur.

Ergo & nemo verius ascendentis Christi mysterium assequitur, quàm ille ipse qui sic ascendentem Christum prosequitur. Quæ certè consideratio plurimum valere potest augendis nostris desideriis.

I. PUNCTUM.

CONSIDERARI potest hodie Christus Dominus uno eodemq; ferme tempore, in triplici statu valde diverso. Primò quidem stat in monte olivarum cum Apostolis, cæteraque illa beata turba, quæ ex ejus præscripto illûc convenisse creditur, præsertim Beatissima Virgo mater. Deinde post extrema verba, post suavissimam valedictionem, atque impertitam benedictionem, *Ascendit in altum captivam ducens captivitatem.* Eph. 4.
Denique *sedet à dextris Dei, constitutus in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem.*

Contemplare quàm sit amabilis in primo

catu; cum Apostolico illo cætu, cui valedicens benedicit! Quàm sit admirabilis in secundo, cum beata illa captivitate quam secum in triumphum ad cœlos ducit! Quam adorabilis in cœlo cœlorum cum Angelis, qui certatim sua illi deferunt obsequia, Regem agnoscunt Reparatorem venerantur, Creatorem colunt & adorant. Dic illi cum
Psal. 131. Apostolis; *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Dic cum beatis comitibus: *Attollite portas, principes vestras, &*
Psal. 23. *elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Ac denique cum Angelis alternatim cantantibus: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens. Dominus potens in prælio, Dominus*
Ibid. *virtutum, ipse est Rex gloriæ.* O qui labores ante hanc Gloriam! ô qualis gloria post tot labores!

Sic piè quidem & religiosè Christum Dominum ascendentem prosequéris & coles; sed longè verius & perfectius, si verè cum A-
Phil. 1. postolo dicas: *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*; Dices autem & senties, si attentè consideras idcirco vel maximè Christum Dominum cœlos ascendisse, ut hoc sui videndi desiderium excitaret; neque aliter quilquam verius ascendentis Christi mysterium assequetur, quam qui veriori desiderio ipsum ascendentem sequetur.

Nam cùm in hoc, atque in quolibet vitæ Christi mysterio, sit certus quidam finis ab ipso Christo intentus; nihil aptius ad mysterii intelligentiam & cultum dici aut cogitari potest, quàm quod spectat & attingit illum finem. Est enim finis in moralibus velut forma in physicis, quâ posità vel sublatâ ponitur aut tollitur res ipsa naturalis; sic posito vel sublato fine: unde hæc sunt expressa san-
1. 2. q. 1. a. 2. cti Thomæ verba, *Causarum adinvicem ordinatarum si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi. Prima autem est causa finalis.*

Sic verò aptè sanctus Augustinus univer-
In Enchir. c. 54. sim de mysteriis Christi: *Quidquid gestum est in Christi Cruce, in Resurrectione & Ascensione, ita gestum est ut his rebus consignaretur vita Christiana quæ in terris agitur*: Quasi diceret, in quolibet mysterio, est aliquid certi propositum à Christo Domino ad imitationem, sive ad affectum nostrum concitandum, sive etiam ad effectum conformem producendum: quod quidem præcipuè est in illo mysterio investigandum & recolendum. O singularem Christi Domini bonitatem, qui mihi sic intendit & consuluit, ut non sibi magis quàm mihi vacet!

II. PUNCTUM.

SED nemo verius Christi ascendentis mysterium attingit, quàm qui veriori desiderio Christum ascendentem sequitur.

Nam hic est inter alios præcipuus Mysterii finis, ut quod ait sanctus Thomas, *nostræ* 3. p. q. 57. *Charitatis affectus erigeretur ad cœlestia, ut ubi* a. 1. *est thesaurus noster, ibi sit & cor nostrum.* Atq; hoc ipsum est quod Christus suis dixerat: *Va-* Ioan. 14. *do parare vobis locum, & si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Quid apertius? quid amabilius?

Et certè si de cœlo venit in terras ut nos ad cœlestia pertraheret, quantò magis putandum est illud ipsum spectasse quando cœlos repetiit, cùm id longè validius è cœlo quàm è terra nobis hoc persuadere possit? Etenim quamdiu inter homines remansisset, præterquàm quod cælum minimè obvium & apertum erat, vix etiam persuasisset hominibus, cœlum terræ præferendum, cùm ipse terram cœlo præferret; & quò se amabiliorem redderet, eò minus se ab illo separari paterentur quotquot eum nossent, ut patet in Apostolis, quibus admodum gravis & molestus fuit sermo quem cùm illis habuit de instanti suo discessu. Nunc verò cum terras deseruerit & in suprema Cœlorum ita conscenderit nunquã ut inde nisi ad Judicium sese dimoveat, quis illum amet & illum videre non cupiat, illiq; perpetuò convivere & conregnare?

Nonne hoc ipsum est etiam quod dicebat, *& ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham* Ioan. 12. *ad me ipsum.* Sic ergo ascendit, *sicut aquila* Deut. 32. *provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas*; Et alius aptè Pro-
Mich. 2. pheta, *Ascendit pandens iter ante eos*: unde nihil prorsus restare potest dubii, quin idcirco ascenderit ut nos ad se attraheret, sicut sponsa ptidem exoptabat: *Trahe nos post te, curremus* Cant. 1. *in odorem unguentorum tuorum.* Itane sentis, itane postulas?

III. PUN-

III. PUNCTUM.

NEMO igitur verius Christi ascendentis mysterium assequitur, quàm qui veriori desiderio Christum ascendentem sequitur: quia cum in omni mysterio non modò Patris æterni suamve gloriam spectarit Christus, sed aliquod particulare nostrum bonum, quod voluit etiam à nobis particulatim intendi, quid est, quod cogitari possit vel Christo glotiosius vel nobis utilius quàm quod ipse Dominus sibi & nobis præfixit tanquam unum finem spectandum? quis autem ille præfixus finis nisi quem ipse designavit, ut UBI ILLE EST, & NOS SIMUS, nunc quidem mente & affectu, post verò corpore & effectu, seu præsentia magis effectiva & reali. Sic de se ac de nobis luculentè Apostolus *sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu: quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et post pauca, quibus miserandum eorum statum deploravit qui terrena saperent, sic pergit: *Nostra autem conversatio in Cœlis est, unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* O quando erit illa hora? Interim verò nostra conversatio sit in cœlis. De hac præclarè sanctus Bernardus Sermone quarto: *Vide*, inquit, *quid sit conversari in uno loco: quam suave sit conversari in cœlo, quam glorioſum & utile!* Et verè vide, quam id tibi rarum & infrequens, in cœlo conversari! Unde hæc raritas? unde hæc infrequentia? Nimis terrena sapis; pluma infecta luto non potest ita sursum erigi sicut evolaret, si non esset lutosa. *excutere de pulvere, consurge, solve vincula colli tui:* & audi sanctum Augustinum: *Ascendamus cum Christo interim corde, ut cum dies eius promissus advenerit, sequamur & corpore.* Et paulò pòst: *si ergo rectè si fideliter, si devotè, si sanctè, si piè Ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus.* Itemque alio consequenti sermone: *Elaboremus ergo carissimi, ut, quemadmodum Dominus hac die, nostro eum corpore ad superna conscendit, ita nos post illum quomodo possumus, spe ascendamus, & corde sequamur. Ipso affectu pariter & profectu ascendamus post illum, etiam per vitia & passiones nostras. Si utique unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum constituit quo possit ad superiora concendere. Elevabunt nos si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.*

Ioan. 17.

Phil. 3.

Serm. 4. in Asc. Dom.

Is. 52. Ser. 175. de Temp.

Serm. 176 de Temp.

O quæ divina bonitas, quæ de malis nostris tanta bona eliciat! quis se audeat ab hac ascensione mentis excusare, cum nullus sit qui vitia non habeat per quæ possit ascendere!

Videnda sunt quæ hac tota proponuntur hebdomade; quorum omnium hic unus & idem finis: ad quem vehementius etiam excitandum adhiberi potest & hæc veritas.

Tanti cujusque refert se à terra retrahere, quanti ad cœlum trahi.

Ratio est, quia tanti refert impedimentum boni possidendi tollere, quanti bonum ipsum possidere.

Cum videlicet alioquin nisi sublatis illis impedimentis vix aut ne vix tale bonum acquiri posset. *Usquequò marcetis ignavia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus Patrum vestrorum dedit vobis?* sic Iosue concitabat suos ad excutiendam illam ignaviã, quæ tali obstabat bono possidendo. *Sed se à terra retrahere, hoc est tollere impedimentum cæli possidendi, seu divinæ attractionis ad cœlum desiderandum & possidendum.*

Ios. 18.

Licet enim multa sint quæ sese opponant; aut potius licet unum in lethali peccato versetur obstaculum: tamen vel illa omnia, vel hoc unum lethale, quod cœlesti obstat bono, sic referuntur ad amorem terrenorum, tanquam ad singularem cœli obicem, ut illo amore sublato vel mitigato, dicantur cessare cætera; vel quia terrenus ille amor, quicquid est illud impedimenti, complectitur; vel quia peccati labes inde damnosior effluit; vel quia cum humanus animus omni vacare affectu non possit, quæratque sibi semper aliquid, quo vel possidendo vel inquirendo se occupet, quando semel se terrenis exuit curis, tum facilè se divinis admiscet: vel quia cum secundæ sive sequentes gratiæ semper à nobis exigant, ut primis obsecundemus, siqui illa

illa prima gratia quâ provocamur in melius, ut à terrenis recedamus: sic proinde fit, ut ille terrenorum recessus sit accessus ad cœlum; neque aliter accedendi fiat potestas, quàm recedendo; quia sic est statuta divinitus via, quam prætergredi nefas sit & præcipitium. Job. 23. Unde beatus Job: *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.*

Denique quocunque intelligatur modo, sic Scripturæ penè omnes, quando de cœlis agitur, de terra primùm loquuntur; quando ad cœlestem nos excitant assequendam beatitudinem, à terrenis antè nos evocant cupiditatibus, ut evidenter liqueat hoc unum interesse obstaculum, quo sublato cœlum teneatur. Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.* CONSIDEREMVS, inquit sanctus Ambrosius libro de Abraham Patriarcha, c. 1. *ne fortè hoc sit exire de terra sua, de hujus terra, hoc est, de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exivit Paulus, qui dixit, nostra autem conversatio in cœlis est.* Quod apertè declarans Apostolus, sic de illo ipso Patriarcha; Hebr. 11. 13. *Fide*, inquit, *demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob coharedibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatē, cujus artifex & conditor Deus.* Id est, idcirco sic illi Patriarchæ sua deseruerant, ut quæ sibi à Deo essent promissa, consequerentur, quia sic Deus jusserat, & quia sic figurabant deserenda esse vel effectu vel affectu terrena nostra, ut promissis cœlestibus perfruamur.

Quod & confirmat exemplo cæterorum omnium veteris testamenti Principum ac virorum, qui fide illustriores habentur, *quibus* Ibid. *dignus*, inquit, *non erat mundus*, ac proinde à patria libentes exulabant, *ut meliorem invenirent*, nempe cœlestem: Quos inter eximius Moyses, *grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Quasi diceret, sic videbat contẽptu temporaliũ, remunerationem promerendam.

Sed quid umbram & figuram consectamur, cùm ipsa lux & veritas Christus Dominus tam apertè se prodat, ut alterum ex altero suadeat, *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autem vobis in cœlo. VADE, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Quod cùm Adolescens, cui loquebatur, renuisset; tum Jesus Discipulis suis: *Filioli quàm difficile est confidentem in pecuniis in regnum Dei intrare! Facilius est camelum per foramen acus transire quàm divitem intrare in regnum Dei*, nempe affectu suis bonis adhærentem; quo affectu deposito, quàm facile protinus & pervium reddatur illud regnum, & jam ante dixerat docendo, *Beatos esse pauperes quorum esset regnum cœlorum*, & consequenter confirmat, dum ait Petro inquirenti, quid sibi relinquenti omnia futurum esset: *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc; & in sæculo futuro vitam æternam.* Matth. 6. Ibid. 19. Marc. 10.

De quibus Domini verbis fusè in 4. parte, tota hebdomada 17. ubi ex multis propositis Veritatibus, hæ viderentur præsenti argumento commodiores.

Hoc amanti cœlum paupertas est: quod amanti terram, divitiæ.

Quantò id minus verùm putant divites quod de ipsis Christus dixit, tantò id magis verum est putandum.

Non fit à Christo divitibus difficultas regni cœlorum, sed illam sibi faciunt divites contra ipsum Christum.

Quanta est facilitas divitiarum ut amentur, tanta est difficultas divitum ut salventur.

Quantumcunque sint necessariæ & licitæ divitiæ, nunquam tamen est necessarium & licitum, velle esse divitem, sicut omnes volunt.

Vix se ullus talem putat divitem, qualis in Evangelio improbatur; Et vix tamen ullus est qui non sit talis.

Nempe affectu omnes nimio suis adhærent commodis vel deliciis, sub prætextu quodam necessitatis, unde est illud impedimentum cœli possidendi, de quo hic agitur, & ad quod auferendum concluditur:

Tanti ergo refert cujuscunque nostrum se à terra retrahere, quanti ad cœlum trahi. Quæ

quidem uberius ex Apostolicis scriptis, & sanctorum Patrum sententiis illustrari possent: sed Christus hodie præsertim audiendus: ac propterea sequens etiam Veritas erit opportuna:

Sedentem in cœlo Christum, & inde nobis loquentem non audire, periculosius est, quàm dùm in terris loqueretur.

Hebr. 12. HOC IPSUM EST QUOD PROPONIT APOSTOLUS: *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur: multò magis nos qui de cœlis loquentem nobis avertimus.*

Id est, si consideremus illos qui olim in deserto sibi loquentem Deum sæpe recusarunt; sive illos qui Christum Dominum in Palæstina prædicantem repudiarunt, non est dubium quin utrique graviter peccaverint, ac meritas peccati pœnas dederint; sed id certum nobis esse debet, nos multò gravius peccaturos & puniendos fore, si de cœlis modò loquentem nobis Christum avertimus.

Ratio est, quia tantò gravius est peccatum eorum, qui loquentem sibi Christum recusant, quantò magis cognoscitur Christus esse Deus.

Sed cùm è cœlis modò nobis loquitur, magis cognoscitur esse Deus, quàm cùm in terris loqueretur.

Ergo nos gravius & peccabimus & puniemur, si loquentem nobis Christum avertimus aut recusamus. Seu quod idem est, ergo id periculosius ad peccatum atque ad pœnam, quàm dum olim loquereturet recusaretur.

I. PUNCTUM.

Quando Theologi tractant de objecto, quod vocant formale fidei, quo tanquam motivo firmissimo innitamur ad credendum, una voce omnes affirmant cum sancto Thoma, non esse aliud quàm ipsum Deum, ut est prima & infallibilis veritas, quæ nec decipi cogitando, nec loquendo
2.2. q.1. a. 1. potest decipere. *Nihil credimus*, inquit sanctus Doctor, *nisi quia Deus revelavit*: At quando etiam scimus aliquid divinitus revelatum, id tam certò debemus credere, quàm certum est nihil aliud fide divina credendum esse. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Quasi Propheta diceret, sicut statim ad leonis rugitum timent omnes; sic ad Deum loquentem minas, flagella, cædes, & adversos quoscunque casus, licet a sua bonitate multum alienos, tam certò tamen timendum est id futurum quod dixit, unde infidelitatis peccatum, quo se loquenti quis opponit Deo, & quod primæ contradicit veritati, grave profectò peccatum est, gravique pœna dignum; sed cùm peccati, pœnæque gravitas major aut minor esse possit ex variis, qui circumstant, peccatum casibus: tantò erit peccatum illud gravius, quantò quis magis scire poterat Deum esse qui loquitur, & cui loquenti resistit. Amos 3.

Sunt enim aliis alia notoria signa; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, ait Propheta Regius, id est, omnes hoc signum habent à naturali lumine, quòd sit Deus, & quòd sit colendus: ac propterea nullus excusari potest ab aliquo Dei cultu. Sed cùm ad illud rationis lumen magis illustrandum accedunt alia, sive à creaturis, sive à Deo; sive ex mirandis naturæ effectibus, sive à stupendis supra naturam signis; tunc illi minùs excusantur magisque peccant, qui clariùs Deum vident, nec tamen confitentur; Unde ex Gentilibus illi perfidiores, qui doctiores: supra Gentiles verò Judæi nequiores, & ex Judæis illi miserrimi, qui erant beatiores ex præsentia colloquioque Christi Domini, cujus doctrinam respuerunt, mores contempserunt, vitam sustulerunt, *qui & Dominum occiderunt Iesum & Prophetas*, inquit Apostolus, *& nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos Gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.* 1. Thess. 2.

Quale est enim illud incredulitatis portentum non illi credidisse, cujus Divinitatem antiqua denunciarant oracula, nova in dies probabant signa, Dæmones expulsi corporibus loquebantur, cœli, aquæ, terra, totus universim orbis confitebatur, ipsius denique sanctitas vitæ & doctrinæ palam demonstrabat! Quàm dura illi cervice & incircumcisis cordibus, qui tantæ obsisterent crudelitati! Cui crederent nisi loquenti Deo? Quem verò 3.p. q.43. a. 4. Deum esse credent, nisi qui divina patrat opera, Deum ut se testetur esse? unde & illis dice-

Ioan. 10. dicebat, *si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Sic ostendebat illis, inquit D. Chrysostomus, *se nihilo esse minorem Patre ab operum qualitate, substantiam enim ejus videre non poterant.* Quamobrem tantò gravius eorum peccatum fuit, qui loquentem recusarunt, quantò apertiùs scire poterant ipsum esse Deum, quia quicquid hoc nomine loqueretur, non poterat non esse veritas, & illi certò non poterant sine peccato veritati loquenti resistere.

II. PUNCTUM.

Sed cùm modò de cœlis nobis loquitur Christus, magis cognoscitur esse Deus, quàm cùm in terris loqueretur.

Tria hic essent explananda nisi alibi fusiùs haberentur.

Primum, quomodo nobis jam è cœlo loquatur Christus. Secundum, quid loquatur. Tertium, quàm verè modò magis cognoscatur esse Deus, cùm de cœlo nobis loquitur.

De primo, vide in 3. parte, Dominicam undecimam, ubi hæc veritas exponitur, *Qui non audit, non audietur.*

Septem ibi producuntur voces seu modi, quibus Christus dici potest nobis loqui, juxta septenarium illud quod in Psalmis refertur: *Vox Domini super aquas; vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia*; & quæ sequuntur, ex quibus satis modò nobis sit unam aut alteram vocem seu formam loquendi nobis proponere; magisque laboremus in re ipsa efficienda quàm loquitur, quàm in modo indagando quo loquitur.

Ps. 28.

Complectemur itaque, brevitatis causa, secundum ex illis propositis cum illo primo, simulque proferemus, quid & quomodo jam Christus nobis loquatur. Jam audivistis, jam vox emissa est, jam vobis proclamatum, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autem in cœlo.* Nonne vox Christi est? nonne ad nos perinde modò dirigitur, ac cùm illam primò protulit Dominus? Nonne fides, nonne spes nostra tota posita est in ejus verbis? Quorsum verò in ejus verbis, nisi nos illa spectent verba? Vobis ministrabant, inquit opportunè S. Petrus, *vobis ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis.* Quasi diceret, dum Christus loquebatur Judæis aut Discipulis suis, vobis parabat, quod modò vobis loquerentur. Vos habebat ita præsentes atque illos omnes quibuscum aderat. Tam probè norat futurum hoc tempus, quo illa verba vobis erant nuntianda, quàm cùm ea primùm enunciaret. Nec minorem à vobis reposcet rationem de servatis aut non servatis suis verbis, quàm ab illis qui loquentem audierunt. *Qui crediderit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Quasi diceret, sicut omnium ego sum Judex, sic omnes ex sermone jam habito, quasi ex sententia jam prolata, judicabo. At nonne tu ex illis es, quorum Christus est Judex? Quomodo verò te ex verbis suis judicabit, nisi ad te verba illa sua prius retulerit?

1. Pet. 1.

Ioan. 12.

Sed dices, non diffiteor ad me spectare illa Christi verba, verùm quod erat in quæstione, quomodo quæ in terris olim pronunciavit, jam de cœlo proferre dicendus est? Respondetur primò, satis esse ad propositam veritatem, jam illum esse in cœlo qui nobis olim in terra locutus est. Deinde verò, etiam de cœlo nunc loquitur, quando nunc per me vobis hoc ipsum prædicat & condemnat, nam ipse est qui per suos loquitur, ipse est qui revera jam auditur & spernitur; quàm verè dixit suis, *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Unde audacter Apostolus, *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Nec oportet esse Apostolum ad hanc Christi personam exhibendam; satis est esse approbatum ejus verbi ministrum; satis est si quis legitimè & ordinatè verba ejus enuncier. Quæ quidem enunciata Christi verba si quis sperneret, nonne ipsum diceretur Christum spernere? Quamobrem verò, nisi quia Christi sunt loquentis verba, Christus ipse repræsentatur, ipse loquitur, ipse in dicente sicut in dictis suis spernitur aut honoratur; *Non te abjecerunt, sed me.*

Luc. 10.

2. Cor. 13.

1. Reg. 8.

Denique quando Christi verbum audis, nisi sis omnino saxeus, nonne cor tuum emollitur, nonne accenditur, nonne pavet, nonne terretur, nonne quoquo modo commovetur? At unde quæso est illa commotio? Non est profectò, non est humanæ vocis op⁹. Non est in omnium potestate hominum vel

exilè veræ pietatis comovere sensum. Divina Christi vox & virtus è cœlo est, quæ, quidquid boni sensus est, operatur. Vox loquentis
Ps. 28. in Christi nomine, *vox est Clamantis*: vox quidem solùm humana est, sed non solus homo qui loquitur, quantum ad vocis effectum spectat; *Vox Christi est in virtute, in magnificentia, vox confringentis cedros, vox commoventis desertum.* Sicut in Sacramentis humana vox est pronuncians sacra verba, sed vis divina Christi est, effectum voci de cœlo
2. Thess. 2. præbens: unde Apostolus suis: *Christus exhortetur corda vestra*, quasi diceret, autem ferire possumus corporis, at Christi solius est cor
2. Cor. 3. movere; *sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.*

Quamobrem, quod tertium est & præcipuum propositionis nostræ caput, facile est explanare, quàm sit videlicet majus & illustrius ad declarandam Christi Domini Divinitatem, quod sit ipse in cœlis, atque inde nobis modò loquatur, quàm cùm in terris esset. Nam & illa omnia suæ divinitatis argumenta, quæ Christus dabat Judæis, nos habemus; & illud insuper eximium & singulare, quod non habebant, nobis collatum est, ut quod resurrexit & ad cœlos ascendit, credamus & profiteamur omnes. Dico illud esse eximium & singulare præ cæteris, quæ conferre possint ad certissimam Divinitatis Christi fidem roborandam; nam ut notârunt Sancti Patres, in aliis Christi mortalis mysteriis semper occurrit humanum & infirmum aliquid, quod tametsi à divina non est alienum persona, tamen humanæ magis est proprium naturæ quàm divinæ: cùm autem in cœlis est, cum se illuc sua virtute promovet, cùm supra quidquid creatum est, ad dexteram Patris sedet, & æqualis est cum illo potestatis; cùm inde sanctum emittit Spiritum, quo totum in se convertat mundum; eùm nos denique ad se ita trahit, ut in odorem unguentorum ejus curramus, quid est, quòd in isto mysterio non sit eximium & singulare, in quo totum est cœleste, totum divinum? Quid est quod desideretur apertius ad Christum verù Deum
Hebr. 1. agnoscendum? *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis*, ut præclarè Apostolus.

Matt. 12. Hoc est quod experebant illi qui de cœlo signum petebant, sed nobis erat reservatum. Hoc est quo uno præcipuè Christus suam ex veteri testamento Divinitatem indicavit, cùm à Judæis quæreret, quid sibi videretur de Christo, cujus esse filium dicerent? Cùmque respondissent esse Davidis; at quomodo, *Ibid. 22;*
ait eis, *quomodo ergo David in spiritu vocat eum* *Ps. 109.*
Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Quasi diceret, nonne hinc manifestè videtis supra hominem esse quem David Dominum vocat, & cùm revera Dominum apparere, cùm sedet à dextris Dei? Hoc illud ipsum est quo, ut supra est expositum, quidquid in vita Christus gesserat, quàm sanctè & justè gestum esset, affirmabat manifestandum fore; *quia*, inquit, *ad Patrem vado*, quia sic patebit me esse Deum, ac proinde *Ioan. 16.*
nihil nisi justum egisse.

Hoc est *unde ipsi beati Apostoli, qui*, ut ait *Serm. 2.*
sanctus Leo, *tot miraculis confirmati, tot ser-* *de Asc.*
monibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ *Dom.*
Passionis expaverant, & veritatem resurrectionis ejus non sine hæsitatione susceperant: tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quidquid illis priùs intulerat metû, verteretur in gaudium. *Rom.*
Totam enim contemplationem animi, in Divinitatem ad Patris dexteram sedentis erexerant, nec jam corporeæ visionis tardabantur objectu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec à Patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat. Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis, Dei filius excellentiùs sacratiùsque innotuit, cùm in paterna majestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cœpit esse Divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. *Gal.*
Tunc ad æqualem Patri filium eruditior fides gressu mentis cœpit accedere, & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, qua Patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eo fides credentium vorabatur, ubi non carnali manu sed spiritali intellectu par genitori unigenitus tangeretur. *2. Th*

Sic denique Divus Thomas, ubi de rationibus Ascensionis Domini, hanc in primis affert, *ut magis agnosceretur Deus, in cœli sede,* *3. p. q. 57.*
inquit, *tanquam Deus & Dominus qui dona dat* *& 58.*
hominibus juxta illud, ascendit super omnes cœlos ut impleret omnia, suis scilicet donis: Et augetur nostra reverentia, dum jam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum *hb*
cœlestem, citatque illud Apostoli, *etsi cognovimus secundùm carnem, Christum, id est, hominem mortalem, sed nunc jam non novimus. Nunc magis cum considerantes in cœlis quàm in terris,* *2. Cor. 5*

magis

magis cum eo, ut Domino Deo, conversamur quam cum mortali homine. O felicè humanæ sortis commutationem! Cum hominibus conversatus est in terris Deus, ut jam in cœlis homines conversentur cum Deo!

III. PUNCTUM.

SEdentem igitur in cœlis Christum & inde nobis loquentem non audire periculosius est, quàm dum in terris loqueretur: periculosius est, inquam, ad lapsum, ad noxam, ad pœnam & detrimenta quævis tantò gravius incurrenda, quantò facilius est & illum agnoscere Deum esse qui de cœlo loquitur; & qui loquenti Deo repugnat, veritati manifestæ repugnare: qua repugnantia quid sceleslius ad culpam? & ad pœnam quid gravius? *Revelatur enim ira de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis* Rom. 1. *manifestavit. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium.*

Videsne Apostolum hoc uno magis veteranos illos Infideles insectari, quo magis manifestæ veritati repugnarunt. Unde & in alios, quibus etiam illustrior irradiarat veritas, vide quanto acerbius invehatur: Gal. 3. *O insensati Galatæ, qui vos fascinavit non obedire veritati.*

Ac denique illorum miseriam, qui ab Evangelio dissentirent, propterea vel maximè 2. Thess. 2. deplorandam ait, *eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent*, id est, veritatem practicam & agentem: *ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati sed consenserunt iniquitati.* Quasi diceret, primò quidem eorum fuit culpa, quòd noluerint credere manifestæ veritati, cùm possent illi facilè credere; post verò, hæc est eorum culpæ pœna, ut non possint tam facile, licet velint. Palpabunt in meridie. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in* Job 5. *meridie.*

Quapropter attentè modò nobis est audiendus Apostolus, ut deinceps attentius audiatur Christus: *Videte ne recusetis loquentem.* Videte quas illi subierint pœnas, qui loquentem in terris recusarunt. Videte quantò sit modò damnosius illum è cœlis loquentem nobis avertere. Videte quis loquatur, quid loquatur, quibus modis & à quibus avertatur? *videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.* Videte quantis partibus supra cæteros omnes via vobis ad eam veritatis notitiam sit aperta. Videte quid inde vos avertat, quam sit vanum & ludicrum! Videte quòd si à vobis aliquid terrenum petitur, pro terreno cœleste, pro temporali æternum, pro modico summum & quod est unicum bonum promittitur. Videte quòd res vestræ non tam postulentur quàm temperatus rerum affectus, unde nihil vobis deperit, sed potius accedit plurimum & quietis & honoris & gratiæ. Videte quòd sit solus defectus fidei; quàm sit pavendum illud incredulitatis vitium, quo retardamini. Joan. 2.

His & similibus, cum gratia, vehementius exardesce ad contemptum terrenorum & amorem cœlestium juxta illud etiam Apostoli: *festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut* Hebr. 4. *ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum:* Est enim festinare, non retardari terrenis affectibus, sed recta quò vocamur, & indesinenter pergere. Quod & præclarè sanctus Serm. 2. Leo, *sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos* 1. Pet. 2. *devotionem beatissimus Apostolus Petrus incitat, & secundùm illam dilectionem, quam pascendis Christi ovibus trina Dominici amoris professione concepit, obsecrans dicit, Charissimi obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant adversus animam. Cui autem nisi Diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ipse excidit, gaudet abducere?*

Vide in 3. parte, Feriam 6. hebdomadæ 13. ubi ad verba Christi Domini, *ego sum panis vivus qui de cœlo descendi*; quibus hæc Apostoli conformantur, *sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*, exhibetur hæc veritas.

Qui cælesti pane sic vivunt ut cælestes fiant, sic in suis vivunt corporibus, sicut Cælites in assumptis.

Vide etiam in 4. parte, in festo Sanctorum omnium.

FERIA SEXTA.

DE QVINTO MOTIVO EXCITANDI In Cœlum desiderii:

Quod tam juste debitum sit hoc desiderium, ut injustissimus & indigni Cœlo consequendo, nisi Cœlum desideremus.

Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum. Act. 1.

VERITAS PRACTICA.

Sic dignum est Cœlum nostris desideriis, ut nisi cœlum desideres, cœlo sis indignus.

Ratio est, quia nisi cœlum desideres, cœlū despicis. Sed si cœlum despicis, cœlo es indignus. Ergo sic dignum est nostris desideriis, ut nisi cœlum desideres, cœlo sis indignus, & omnino privandus; Quod quàm sit pavendum satis patet.

I. PUNCTUM.

CUm Apostoli cæterique spectatores Ascensionis Christi, ut refert sanctus Lucas, *intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt; Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quasi dicerent, sic spectate & prædicate ascendentem Dominum, ut sciant omnes sic eum Judicem aliquando descensurum ad exigendam vitæ actæ rationem & ad reddendum unicuique secundum opera sua. Quod præclarè sanctus Gregorius; *Oportet*, inquit, *ut illum sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos jam delectet in infimis qui patrem habemus in cœlis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit. & quidquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc à nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam sui dum valet agere negligat, quia Redemptor noster tantò tunc in judicio districtior veniet, quantò nobis ante judicium magnam patientiam prærogavit.*

Hom. 19.

Ex quibus sancti Doctoris verbis patet, quod sicut non est satis cœlum desiderare, nisi adhibeatur cura salutis comparandæ, ita etiã ad eam comparandam multùm valere cœli desiderium; Neque aliter cogitare possumus interrogatos ab Angelis Apostolos, quid tamdiu mirarentur & cœlum aspicerent, nisi ut monerentur, non esse quidem satis cœlum intueri aut desiderare, nisi simul cœlo laborarent; Et verò etiam ad hunc laborem suscipiendum non parum valere cogitationem & desiderium cœli, de quo agitur in illo labore & opere peragendo. Quod ut efficacius persuadeatur, sic est proposita veritas, ut non modò desiderii cœlestis utilitas aut dignitas demonstretur, sed & ipsa necessitas, *Sic enim dignum est cœlum nostris desideriis, nostris votis & suspiriis, ut nisi cœlum desideres, cœlo te indignum ad omnem æternitatem præstes.*

Ratio est facilis & evidens: nam nisi cœlum desideres, cœlum despicis: sicut si proponeretur facili pretio, res æquè commoda, & utilis,

utilis, ac pretiosa & rara; Quis talis rei desiderio non tangeretur? aut quis nullo rei tantæ tactus desiderio non diceretur vel insipiens vel rerum suarum negligens, vel ipsius rei propositæ contemptor & irrisor? Nam si res esset tantum præstans & non utilis, dici posset servari pretium in res utiles ac necessarias: sed quando additur æquè utilem esse sive necessariam, atque est præstans; revincitur talis excusatio. Quod si etiam res quidem esset utilis sed minimè præstans, aut cujus pretium esset carius, quàm ut quis eam sibi comparare posset, certè is excusandus esset; sed expressè est additum, rei tam utilis ac præstantis perfacile admodum esse pretium: ut si quis valde egeret veste, domo, libris: & percommodè, is omnia si vellet, reperiret, quis porro nollet? Hoc motivo sæpe nos excitat sacra scriptura; Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.*

At Cœlum nonne tale est? proponitur tibi Cœlum ipsum, quantum quantum est, ipsa æterna Beatitudo, qua quid excellentius, quid utilius, quid magis necessarium? Requiritur verò tantum à te, efficax quoddam desiderium ejus tibi comparandæ; quid facilius cum Dei gratia, sive subjectum, sive objectum spectes? Subjectum quidem, tua ipsa est voluntas cujus maximè proprium est desiderare suum bonum; at quid tam tuum quam tua voluntas? Objectum verò est ipsum summum bonum quo quid est desiderabilius! Nonne ergo res valde utilis, valde præstans, & necessaria tibi proponitur, cum cœlum proponitur? Et nonne ejus pretium perfacile, cùm sola voluntas, solum ejus desiderium à te exigitur? Quid est ergo rem tantam non desiderare, nisi eam despicere? Quid est non desiderare, nisi eam credere non esse desiderabilem, nisi vel non esse præstantem, vel non utilem vel nimis caram & difficilem? Quid hoc denique est nisi rei propositæ detrahere, nisi rem despicere, & pro nihilo ducere? *Vs-* Num. 14. *quequò detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi?* Sic Deus contra detrahentes terræ promissæ.

II. PUNCTUM.

SEd si cœlum despicis, cœlo es indignus. Nos quidem omnes cœlo indigni sumus, si nos solos spectemus: *Eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri*, ait Apostolus, *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam Charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus Gratia estis salvati. & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Quasi diceret, quod alibi expressis ait verbis, *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Unde jam non est dicendum nos, in gratia constitutos, cœlo esse indignos, cùm Christus nobis cœlum ita meruerit & meritum applicaverit, ut nisi ponamus obicem, nobis de condigno, ut vocant, cœlum detur. Ponit verò ille obicem, & se indignum cœlo facit qui cœlum despicit: quia id despicit quod Christus tanti fecit, ut ad illud nobis promerendum, se suaque omnia dederit: *Quasi nihil est ante illum sanguis*, ait Sapiens de homicida, sic de contemptore cœli, quasi nihil esset ante illum sanguis Christi qui pro cœlo est fusus, quod ipsum est contemnere & ut ait Apostolus, *conculcare filium Dei, & sanguinem testamenti pollutum ducere in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam facere.* Potestne aliquid cogitari cœlo indignius? *Ephes. 2.* *Colos. 1.* *Eccles. 8.* *Hebr. 10.*

Addo, quod qui cœlum despicit, non laborat pro cœlo, non hic seminat quod illic metat, non hic pugnat ut illic triumphet, non deserit villam aut juga boum, ut invitatus ad cœnam magnam veniat, unde est illa pavenda sententia; *Qui invitati erant, non fuerunt digni, nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* *Matth. 22.* *Luc. 14.*

Denique cur cœlum despicit nisi quia nimis terram & mundum diligit? qua in dilectione cùm affectus omnes depraventur, cumque ex depravatis affectibus cuncta nascantur vitia, quid cœlo magis oppositum? quid cœlo magis indignum? *Foris canes & impudici.* *Apoc. 22.*

III. PUNCTUM.

SIc ergo dignum est cœlum nostris desideriis, ut nisi cœlum desideres, cœlo sis indignus; quia tale bonum desideranti propositum non desiderare, despicere est; despicere autem nemo illud potest quin se ejus indignum faciat. *Quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis* *Act. 13.*

vitæ

vitæ æterne, ecce convertimur ad gentes, dicebãt Judæis Apostoli; quod & Christus Dominus illis & cœli contemptoribus comminatus erat, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. CADVNT super eum qui modò contemnunt*, inquit sanctus Augustinus, *cadet verò super eos cùm in pœnam contemptus, conteruntur & perduntur, tanquam pulvis quem proiicit ventus.*

Matth. 21

Lib. 1. de Quæstion. Evang. c. 30.

Anteverte hanc pœnam, agnosce quàm peccaveris, non satis desiderato cœlo tam desiderabili. Confitere quam inde indignitatem contraxisti; Dic cum Esdra Sacerdote: *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te:* Et cum Rege Manasse: *Non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cœli.* Aut cum filio prodigo: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.*

1. Esd. 9.

Oratio Manasse. Luc. 15.

SABBATO.

DE SEXTO MOTIVO ACVENDI IN Cœlum desiderii: Quod inde Gaudium Spirituale redundet.

Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem, cum gaudio magno. Luc. 24.

VERITAS PRACTICA.

Spes cœli, cœlum est.

Prov. 13. *Sensus est, quod licet spes omnis quæ differtur affligat animam, afflictio tamen animæ sperantis cœlum, sic suavis est, ut quidam cœli pragustus videatur: & quo maior est afflictio, eò sit suavitas maior, & pragustus cœli suavior.*

Ratio est, quia quò maior est anima sperantis cœlum afflictio, eò maior est cœli possidendi seu futuræ Beatitudinis certitudo & fiducia.

Sed quò maior est talis certitudo, maior est suavitas, & pragustus cœli suavior.

Ergo & quò maior est afflictio, inde est maior illa suavitas: & sic abundat consolatio, ut iam cœlum possideri putetur, sicque spes cœli, cœlum dici possit; ac proinde etiam, mirum inde quantùm cœlestia provocentur & acuantur desideria.

I. PUNCTUM.

DUbitari non potest, quin aliquam ex recessu Christi Domini mœstitiam omnes Discipuli senserint, & quò eum præsentem magis diligerent, quin eò dolentius absentem deplorarent; verùm cùm de illius cœlesti Gloria certi essent, & de sua futura bene sperarent, ubi eum aliquando revisurent; tanto omnes derepente repleti sunt gaudio, ut nihil nisi de eo colendo, adorando & benedicendo cogitarint, in eaque cogitatione & cœlesti gaudio permanserint toto vitæ decursu.

Hoc illud est scilicet gaudium, de quo jam ante illis Dominus dixerat: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. GAVDETE & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et certè quid est aptius ad excitandum illud gaudium, quam talis cogitatio? & quid potentius ad illam cogitationem crebro & frequenter usurpandam, quam gaudium illud quod inde redundat? *Loquar*, ait sanctus Bernardus, *quod expertus novit, inexpertus ignorat; animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nunquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta, ad memoriam gaudii illius quod est in Ierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra: & lachrymarum unda vultus meditantium perfundit? Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ. Verè in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est. Principium gaudii illius, quod hic quandoque sentimus, stillæ est, guttula est, de flumine illo descendens, cuius impetus lætificat civitatem Dei.*

Luc. 10. Matth. 5.

Serm. in verba Apost. non ab Regnum Dei esca & potus. Ps. 14.

Serm. super Sa... missis.

Sed

Sed quod magis mirum est magisque perpendendum, cùm *spes quæ differtur, affligat animam*, ut ait Sapiens, & quotidiana tentitur experientia: quomodo spes cœli quæ conjuncta est cœlesti desiderio, & quæ tantopere hic differtur, quomodo inquam non affligit sperantem? aut si affligit quomodo eum consolatur, quomodo tali replet gaudio, quale jam dictum est?

Hoc ut declaretur apertius, præmittitur Veritas paucis quidem expressa verbis, sed multo plena sensu, *Spes cœli, cœlum est.* Spes est quidem affligens, quia differtur, sed afflictio illa tam suavis est ut, quò magis affligit, magis afficiat suavitate quadam cœlesti, quæ Cœlum dici potest in terris, quod ea prægustet gaudia quæ sunt in cœlis. *Prov. 13.*

Ratio quæ affertur, in sua prima parte & propositione, continet duplex documentum valde utile & scitu necessarium.

Primum est, quod afflictio spei cœlestis dilatæ quò major est, eò majorem invehit cœli possidendi & futuræ beatitudinis certitudinem, quanta scilicet haberi potest in terris, talis enim afflictio manifestè indicat desideria terrena jam nulla esse, nullam terrenam solicitudinem, nullum mundanum solatium; sed totum in cœlis defixum esse animum; totum ibi esse thesaurum & cor totum. Quæ certè animi dispositio magnam in se habet cœli certitudinem: Ut è contra, quod aliud est documentum, quem nullum movet desiderium, quem nulla dilatæ spei tangit afflictio, signum est, ordinariè loquendo, vix ullam ejus animi partem esse in cœlo, vix illum aliquid suum existimare in cœlis esse repositum; nam de hoc crebrius cogitaret, sicut frequenter cogitat de suis prædiis, de suis negotiis, de suis bonis. *Portio mea in terra viventium*, inquiebat David, quasi diceret, non hic in terris sed in cœlo mea sunt omnia posita, unde quid in se sentiret desiderii & certitudinis pro futura sua fœlicitate statim exprimit, *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo; me expectant justi donec retribuas mihi.* Quod explanans S. Bernardus, *sic nempe*, inquit, *portio nostra in terra viventium, si ut decet memoriam affectio comitetur*, & paucis interjectis: *alioquin quid istud negligentia, quid pigritia, imò quid vecordia est, ut non crebris suspiriis & ferventissima affectione abrumpere hinc, & in illa tam fœlicia agmina jaculari animos studeamus. Va nobis à duritia cordis nostri, va à peccato gentium, quas Apostolus memorat sine affectione fuisse.* *Ps. 141.* *Serm. 5. in festo Sanct. omnium.*

II. PUNCTUM.

Sed quo major est certitudo & fiducia possidendi cœli seu futuræ beatitudinis, eò major est suavitas, & prægustus cœli suavior.

Hoc est fortissimum solatium quod habemus, inquit Apostolus, *qui confugimus ad tenendam propositam spem quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Fusè autem & aptè sanctus Augustinus in illud Psalmi, *labores manuum tuarum manducabis, QUASI perversè*, inquit, *videtur dicere non intelligentibus; debuit enim dicere, fructum laborum tuorum manducabis.* Tum verò reddens rationem cur potius dictum sit labores manducabis, quam fructum laborum: *Modò*, inquit, *labores habemus, fructus postea erit, sed quia ipsi labores non sunt sine gaudio, propter spem de qua paulo ante diximus, spe gaudentes, in tribulatione patientes, modò nos ipsi labores jucundant, & latos nos faciunt de spe.* Quod confirmans ex alio psalmo ubi dicitur, *surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris: Iste est*, inquit, *labor fructuum, panis doloris: nisi enim manducaretur non diceretur panis, nisi autem haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret cum tanta suavitate. Plorat in gemitu qui orat: dulciores sunt lachryma orantium quàm gaudia theatrorum.* *Hebr. 6.* *In Ps. 127.* *Ps. 126.*

Itemque in hos versiculos, *quare tristis es anima mea & quare conturbas me: spera in Deo. Ecce*, inquit, *iam quadam interiore dulcedine lætati sumus: ecce scientis aliquid incommutabile superstrictim & raptim videre potuimus. Non dubitas de Deo tuo: jam aliquid incommutabile persensisti, &c.* Ac rursus in alium Psalmum, ubi hæc refert Joannis verba: *nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Quis non exultaret*, inquit, *si subito nescio cui peregrinanti, & ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem & arumnam, & in labore constituto diceretur: filius senatoris es, pater tuus amplo patrimonio gaudet revera, revoco te ad patrem tuum. Quasi gaudio exultaret, si hoc non fallax promissor diceret. Venit ergo non fallax Apostolus Christi, & ait: quid est quod vos affligitis, habetis patrem, habetis patrimonium, filii Dei sumus, nondum apparuit quid erimus, sed* *Ps. 41.* *Ps. 84.* *1. Ioan. 3.*

jam sumus in spe. Quasi diceret; quàm certum est de præsenti nos esse filios Dei, tam verè nobis exultandum de futura patris hæreditate. O quæ patris hæreditas! O quæ filiorum beatitudo!

III. PUNCTUM.

Spes ergo cœli, cœlum est; etiamsi spes differatur, etiamsi dilata sperantem affligat, tamen ipsa sperantis afflictio tam suavis est propter certitudinem & fiduciam quæ inde major percipitur, ut quò est afflictio gravior, eo sit suavitas dulcior & securior: unde jam ex hac vita beati dicuntur, qui sic sperando
Ps.127. lugent & lugendo sperant: *labores manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit. Beatus es, de præsenti est*, inquit sanctus Augustinus, *bene tibi erit, de futuro est: cum manducas labores fructuum tuorum, beatus es: cum perveneris ad fructum laborum tuorum, bene tibi erit quod dixit: nam si bene tibi erit, utique beatus eris, & si beatus eris, bene utique tibi erit. Sed interest inter spem & rem. Si spes tam dulcis est,*
l.19 Civit. c.4. *quantò res dulcior erit?* Itemque alibi, *sicut spe salvi, ita & beati facti sumus.*

Quomodo verò fletus & gaudium simul sit de cœlo, sic idem piè non minus quàm luculentè in psalmum,
Ps.136. *superflumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion. Inde oportet ut fleas recordando Sion: multi enim flent fletu Babylonico quia & gaudent gaudio Babylonis: gaudent lucris, & flent damnis: utrumq; de Babylonia est. Flere debes sed recordando Sion, Si recordando Sion fles, etiam quando tibi secundum Babyloniam bene est, oportet ut fleas. Attendat quisq; ipsam fœlicitatem suam qua exultat: attendat si non fluat illa fœlicitas, si potest certus esse de illa quod maneat in æternum. Si autem non est certus, & videt fluere unde gaudet, fluvius Babylonis est, sedeat supra & fleat. Sedebit autem & plorabit si recordatus fuerit Sion. O pax illa quam videbimus apud Deum! O pax illa & sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio & spectaculum pulchrum. Ecce in Babylonia, pulchra sunt quæ cives ipsius Babyloniæ tenent: sed non te teneant non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum.*

Quæ cum sanctus Doctor fusissimè toto illo psalmo explanando prosequatur, tum sic aptè concludit: *Quàm libenter audistis, tam libentius agite quod audistis, si non vultis esse salices Babyloniæ, pasti de fluminibus ejus & fructum nullum afferentes. Sed suspirate in æternam Ierusalem: quò præcedit spes vestra, sequatur vita vestra: Ibi erimus cum Christo: Christus nobis modò caput, gubernat nos modò desuper, amplectetur secum in illa civitate, cùm æquales erimus Angelis Dei. Non auderemus hoc suspicari de nobis, nisi promitteret Veritas: Hoc ergo concupiscite fratres, hoc die noctuque cogitate. Quidquid de mundo fœliciter arriserit, nolite præsumere, nolite libenter colloqui cum voluptatibus vestris. Si vultis armati esse contra tentationes in sæculo, crescat & roboretur desiderium Ierusalem æternæ in cordibus vestris.*

Quod autem hic uno verbo dicit ad confirmandam nostram certitudinem, id promisisse veritatem, paulò uberius & expressius sic in alium psalmum: *qui promisit Deus est, crede, plus est jam quod fecit quàm quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit! ut vivas cum illo. Incredibilius est quod mortuus est* Ps.148. *æternus, quàm ut in æternum vivat mortalis. Iam quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui vivit in æternum? accepit ex te unde moreretur pro te: Induit se ubi moreretur pro te. Induet te ubi cum illo vivas. Vbi se induit morte? in virginitate matris. Vbi te induet vita? in æqualitate Patris. Quiddam vestrum jam sursum est: quod hic accepit, ubi mortuus est, ubi crucifixus est. Iam quædam primitiæ tua præcesserunt, dubitas quia secuturus es?*

Ne dubita, dum modò non desis Gratiæ.

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Cum venerit Paraclitus, &c. Joan. 15. & 16.

Ex duobus diversis capitibus depromptum Evangelium hodiernum duas etiam valde diversas continet patres. Prima in promissione Spiritus Sancti bonum omne complectitur. Secunda tota est in denuntiandis malis, quæ sint passuri Apostoli.

Ad priorem partem tres referri possunt veritates, ex consequenti verborum Christi textu.

Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.

Sicut spiritus & veritas sunt simul & seorsim indivisibiles, ita si hunc à Deo spiritum veritatis velis accipere, oportet te toto indivisim Dei esse.

In 3. parte, Feria 5. hebdomadæ undecimæ, ubi de adorando Deo in spiritu & veritate.

Ille testimonium perhibebit de me.

Quàm rarò cogitas Christum, tàm crebrò resistis Spiritui sancto.

Vel sic

Nullâ in re frequentiùs Spiritui sancto resistitur, quàm quòd infrequentiùs de Christo cogitatur.

Quia videlicet nulla res est, ad quam Spiritus sanctus impellit frequentiùs, quàm ad pias de Christo cogitationes, cùm propterea præcipuè sit de cœlo missus, prout declaratur in 1. parte, Feria 4. hebdomadæ primæ Adventus.

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

In parvis major est servi de Christo testantis fidelitas.

In 1. parte, Feria 6. hebdom. 6. post Epiphaniam. Vbi & vide quæ de sanctis Martyribus in communi habentur circa finem.

AD POSTERIOREM EVANGELII PARTEM PLURES REDUCUNTUR VERITATES.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

Quantùm obest adversitas improvisa, tantùm prævisa prodest.

In 2. parte, Feria 6. sexagesimæ.

Sicut scandalizans, ita peccat scandalizatus.

In 1. parte. Dominica 2. Adventus.

Quem pro Christo sperni pudet, Christi pudet.

In 2. parte, Feria 3. hebdom. 4. in Quadragesima.

Absque Synagogis facient vos.

Beatius est magis carere omni solatio quàm abundare.

In 2. parte, Feria 4. maioris seu sanctæ hebdomadæ.

Beati estis cùm maledixerint vobis.

In 3. parte, Feria 3. & 4. hebdom. 4.

Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

Inter Dei servos, tantò hic majori præstat obsequio, quantò illum qui persequitur, majus obsequium arbitratur se præstare Deo.

Ratio est manifesta, quia tantò hic aliis maiori præstat obsequio, cæteris paribus, quantò molestius præstat obsequium.

Sed tantò illud est molestius obsequium, quantò illum qui persequitur, maius obsequium arbitratur se præstare Deo: sic enim qui persecutionem patitur, iuste pati iudicatur, tanquam impius & blasphemus, atque omni dignus supplicio: quod certè est in quavis pœna molestius.

Vnde est evidens conclusio propositæ veritatis, & colendæ praxis.

Neque tamen propterea nimis esse dolendum, docet hæc veritas:

Qui sibi innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentiæ injuriam facit.

In 2. parte, Feria 2. hebdom. 4. in Quadragesima.

Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me.

Quidquid de Christo se scire dicant impii, Christum nescire dicendi sunt.

In 4. parte, Feria 4. hebdom. 19.

Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.

Si dum adest occasio, Virtus abest, vix unquam aderit.

In 2. parte, Feria 2. hebdom. 2. in Quadragesima.

Si quod Christus dixit, cogitetur difficile; hoc ipso redderur facile, si cogitetur quòd Christus dixit.

In 3. parte, Feria 5. hebdom. 5.

Vel nulla Christi recoletur memoria; vel nulla erit in ejus cultu querimonia.

Ratio, quæ hic debet expendi fusius, hæc est inter alias, quòd nulla erit in Christi cultu querimonia, si nullus est labor.

Sed aut nulla Christi recoletur memoria, vel in eius cultu nullus erit labor.

Ergo nec ulla erit querimonia, vel nulla Christi recoleretur memoria. Quod postremum nimis pudendum ne accidat, curanda potius frequens & familiaris eius recordatio, qua difficultates omnes mitigentur & querimonia comprimantur.

I. PUNCTUM.

HÆc postrema Evangelii verba quibus præcipuè Dominus recordationem sui, suis commendat Apostolis, jam illis aptè conveniunt, hoc toto tempore, quo ab ascendente Domino simul juncti & uniti promissum expectabant Spiritum sanctum. Quid enim aptius cogitarent aut inter sese conferrent quam de verbis & de rebus gestis Domini, quibus se ad ardua & difficilia quævis pro ejus cultu suscipienda præpararent? ô beati non jam eorum oculi qui viderunt, nec *Luc. 10.* tantum beatæ aures quæ audierunt; sed beatissima mens quæ visa & audita recordatur!

In hac porrò recordatione verborum aut Personæ Domini tanta vis est ad agendum & patiendum, ut verè dictum sit; *vel nulla Christi recoletur memoria, vel in eius cultu nulla sit querimonia.* Et ratio quidem aperta est, quoad primam præcipuè partem qua dicitur, nullam fore querimoniam si nullus sit labor, qui non libenter subeatur: hinc enim totæ diffluunt querimoniæ, seu murmura, cum quid jubetur difficilius, aut quidquid sit quod jubetur, si non libenter acceptetur. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutusque contra Deum, & Moysen, ait, cur eduxisti nos de Ægypto ut moreremur in solitudine?* Audisne querimoniam? at unde excitatur nisi ex prætento labore nimio quem nolebant ferre? unde si nullus fuisset labor, aut si laborem lubentes sustulissent, profectò nullum fuisset murmur, nulla querimonia: quamobrem qui erant in misero illo populo sapientiores & fideliores, licet eundem ferrent laborem atque alii, non ita tamen murmurabant aut querebantur de Domino, quia libenter hunc laborem sustinebant, atque ex hac libenti sufferentia, quam in Dei cultu demonstrabant, probabatur eorum fidelitas, ut Sapiens illa Iudith optimè sentiebat, dum populum suum sic adhortaretur, *memores sint quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur si verè colerent Deum suum.* Expende illud *verè colerent*, nam aliud est colere, & aliud verè colere.

II. PUNCTUM.

SEd, vel nulla Christi recoletur memoria; vel in eius cultu nullus erit labor. Quod perinde est ac dicere; *Si recolitur Christi memoria, nullus est in eius cultu labor, vel si quis sit labor qui non libenter acceptetur, nulla eius recoletur memoria.*

Nam vel revera nullus est in illo, quod agitur, opere labor, & nulla rationabilis difficultas, sed mera naturæ depravatio quæ huic gratis repugnat & contradicit operi: aut certè est aliqua in opere difficultas. Si primum fatearis, recole Christum tuum, repræsenta tibi nascentem in præsepi, aut in cruce morientem. Audi quid contra naturæ depravatæ motus dixerit; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur* *Matth. 16*

me.

me. Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Aut pudebit te tui si hæc audias: pudebit te tui mollis & dissoluti animi in conspectu Christi tui: aut pudebit illum conspicere & clamabis, *tolle, tolle, gravis est nobis ad videndum, contrarius est operibus nostris. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, gravis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est vita illius.* Sic Scripturæ loquuntur, sic cedat animus quantumvis vitiosus Christo repræsentato, aut tali cedat Christus animo, & se repelli patiatur.

Sap. 2.

Quod si revera operi, nonnulla fortè difficultas & labor inest, ut aliquando accidit, nonne si tùm Christus obversetur animo quasi qui laborem hunc imperet, & sic ordinatum à se declaret, atque ad ipsum tolerandum persuadeat; nonne sic suavi quadam dulcedine laborantem afficiet, ut non modò non sit gravis labor sed suavis & jucundus, dicasq; cum Apostolo, *ego non solum laborare & alligari, sed & mori paratus sum pro Domino Iesu.* Hoc omnino sentias & dicas necesse est, aut inane esset quod Christus dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est & onus meum leve.* Crediſne ita esse ut dixit Christus? Credis forte dum nihil pateris, sed dum laboras, diffiteris. At vide quàm contra sentiret S. Augustinus, vix credebat cùm id audiret à Christo dictum & nihil dum pateretur. Quando verò pro Christo patiendum fuit, tunc illud verius credidit. Audi enim ut loquitur: *Compressisti à timore superbiam meam, & mansuefecisti jugo tuo cervicem meam. Et nunc porto illud, & leve est mihi, quia promisisti, & fecisti; & verè sic erat, & nesciebam quando id subire metuebam.*

Act. 21.

Matth. 11.

10. Conf. 36.

II. PUNCTUM.

VEl nulla igitur Christi recoletur memoria, vel nulla erit in ejus cultu & servitio querimonia. Quia nullus erit labor quem non libenter subeas, dum illum recoles; aut si quis esset labor quem subire nolles, tu potius à tua mente Christum abjiceres, quam hunc nolles laborem ferre. Durius enim tibi videretur, si Christum diligis, pro dilecto præsente & vidente, nolle laborare, quam laborem quantumvis durum pro illo sustinere. *Tantum in te recordemur nominis tui*, ait Propheta, quasi hoc ipsum diceret quod Apostolus: *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos*: Hanc tantùm peto gratiam ut ejus possim recordari.

Is. 26.

Hinc inter alios Patres, piè ac fusè sanctus Bernardus, ad illud Canticorum, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. NON facem sed fasciculum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat quidquid laboris imminet & doloris. Vnde & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam. Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum fasciculum, de principali tui pectoris nec ad horam, patieris avelli; amara illa omnia quæ pro te pertulit semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, qui possis dicere tu, fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.*

Serm. 43.

Et post multa: *Mihi hic salutaris fasciculus servatus est, nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiaque vitæ præsentis, via regia incedenti, tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi judicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant, dum non solum placabilem, sed & imitabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud Reges terræ.*

Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim philosophia, scire Iesum, & hunc crucifixum. Hunc & vos dulcissimi tam dilectum fasciculũ colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retro in humeris, sed ante præoculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si eum ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, levius vestras portabitis. Quod brevius alibi repetens, *Vbi est, amor*, inquit, *non est labor, sed sapor.*

Vide in 1. parte, Dominica 4. Adventus, ubi hæ proponuntur Veritates:

Sic facta sunt aspera in vias planas, ut tam

jucunda per aspera quàm per plana vivamus.

Majus est Christi beneficium, amaritudines nobis reliquisse amabiles, quàm nullas nobis reliquisse.

Aut non amatur Christus, aut amatur aspe-ritas:

Cui nimis adhuc durum videtur pati pro Christo, nimis etiam durum videtur amare Christum.

Huc etiam spectat tota hebdomada 22. partis 4.

HAC HEBDOMADA, quæ in Actis Apostolorum narrantur fecisse Discipuli Domini, dùm ab ejus Ascensione ad Pentecosten, expectarent Spiritum sanctum, referuntur ad sex Virtutes, totidemque Veritates Practicas, quæ nos ad eundem Spiritum sanctum plenius recipiendum disponant; ex quibus duæ nos propius spectant, duæ proximum, duæ ipsum Deum.

FERIA SECUNDA.

DE CONTINUATA PER DECEM DIES Recollectione Apostolorum:

Et de nostra instituenda, ad recipiendum cum eis Spiritum sanctum.

Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus & Ioannes &c. Hi erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus ejus. Actuum 11.

VERITAS PRACTICA.

Nulli magis necessariò secedendum, quàm qui minus necessarium sibi putat secessum.

Ratio est, quia nulli magis necessario secedendum, quàm qui minorem sui cognitionem & curam habet.

Sed qui minus necessarium sibi putat secessum, minorem sui cognitionem & curam habet.

Ergo nulli magis necessario secedendum, quàm qui minus necessarium sibi putat secessum.

I. PUNCTUM.

La. in c. 24. Lucæ. QUod refert sanctus Lucas in fine sui Evangelii, Apostolos ab Ascensione Domini semper, sive assiduè in templo fuisse, hoc Interpretes intelligendum docent post adventum Spiritus sancti, cùm ipsemet S. Lucas in Actis Apostolorum apertè dicat eos omnes in eandem convenisse domum, unde digressi non putantur nisi post Pentecosten, prout illis Dominus expressè dixerat; *sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* *Luc. 24.*

Erat igitur *turba hominum simul*, ut Sacer Historicus refert, *ferè centum viginti* quod & sequenti capite repetens, *erant*, inquit, *omnes pariter in eodem loco*, scilicet ab omni alia conversatione & quibuslibet negotiis, ut sic in unum recollecti melius sese disponerent, cum divina gratia, ad *Act. 1.* *Ibid. 1.*

ad majores illas gratias quas erant receptuti.

Notari verò potest triplex quoddam genus recollectionis; nam primò illa est, quæ sic domi instituitur ut libertate vagandi per urbem sibi simul interdicant; deinde, ne quidem per domum divagantur, sed uno omnes loco & cœnaculo & cubiculo, quod erat in superiori domus parte, sese continent; ac denique non modò corpore sed & animo, non solùm externo secessu sed & interno, totis animæ viribus & facultatibus in unum veluti recollectis, tanto propius Deo conjunguntur, quantò longius à creaturis recedunt. O qualis illorum animus! qualis meditatio! quinam affectus! quænam colloquia!

Quantum autem, ad ampliora recipienda conferat ista recollectio, vel ex hoc divino
Osæ 2. disce oraculo: *Propter hoc, ecce ego lactabo eam & ducam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Expende verbum illud *lactabo*, id est, alliciam, persuadebo, adducam ita suaviter, ut unusquisque libenter veniat: quod fit vel per inspirationes internas, vel per considerationes uberrimorum fructuum qui evidenter inde ad omnes permanant.

Qualis hîc animus tuus? an se finit lactari & duci in beatam illam solitudinem, ac contra reluctatur? nec dicas tibi minus videri necessarium talem secessum: *nam hoc ipso quo sic tibi videretur minus necessarius, magis necessariò tibi secedendum esset.* Ratio est valde expendenda, quia videlicet nulli magis est necessariò secedendum, quàm qui minorem sui cognitionem & curam habet. Idcirco enim talis secessus est institutus, ut, quod spectat ad salûtem, & quod in turba negotiorum minùs commodè peragi potest, illic opportunè conficiatur. *Statue tibi speculam, pone tibi*
Jer. 31. *amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* Quo de argumento, & maximè de necessitate considerandi ac noscendi sui, præclarè inter alios S. Bernardus in libris de Consideratione ad Eugenium Papam, unde hæc ad rem
L. 2. c. 5. nostram peridonea: *Memento proinde non dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum, reddere teipsum tibi. Vtere tu quoque te inter multos. Quid indulgentius? Hoc enim dico secundùm indulgentiam, non secundùm judicium, puto & ipso Apostolo indulgentiorem me in hac parte. Ergo plus quàm oportet, inquis? Non inficior. Quod si ita oportet? nam, ut confido, nostra non eris meticulosa informatione contentus, sed abundabis magis.*

A te, tua consideratio inchoet, ne frustra in a- L. 2. c. 3.
lia extendaris, te neglecto. Quid tibi prodest si universum mundum lucreris, te unum perdens! Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris: quantum verò, ut quidem sentio ego, totum. Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris, ventis obnoxium. Non ergo sapiens qui sibi non est sapiens; sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui, primus ipse. A te proinde incipiat tua consideratio; non solum autem, sed in te finiatur. Quocunque evagetur, ad te revocaveris eam cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus. Sume exemplum de summo omnium Patre, verbum suum & emittente & retinente. Verbum tuum consideratio tua, qua si præcedit, nec recedat: sic progrediatur, ut non egrediatur: sic exeat ut non deserat. In acquisitione salutis nemo tibi germanior unico matris tuæ. Contra salutem propriam cogites nihil. Minus dixi, contra: præter, dixisse debueram: quidquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum.

Plura sequenti puncto: hæc sufficiant ut videas, quanti referat consideratio de propria sui notitia, & quàm verè dicatur, nulli esse magis necessariò secedendum quàm illi, qui se minus norit, cùm idcirco præcipuè secessus commendetur, ut hæc sui notitia comparetur. *Deus semper idem, noverim me, no-* 2. Solit. 1.
verim te. Sic frequentissimè sanctus Augustinus.

II. PUNCTUM.

SEd qui minus necessarium sibi putat secessum, minorem sui cognitionem & curam habet.

Quod enim sic de se sentiat & reputet, oriri potest ex tribus causis, quæ simul omnes declarant quàm modicam sui cognitionem & curam habeat. Prima ex tepiditate, quasi non putet sibi majorem perfectionem esse necessariam, nec proinde illo secessu opus esse. Itane verò est, se nosse & sui curam habere, sic de suo judicare profectu! Quàm longè

est

L. 3. c. 7. est alius sancti Bernardi & veritatis sensus! Audi ut ille ad eundem Papam: *Rara vox est; nihil mihi conscius sum. Cautior in bonis ambulas, & si mala non lateant. Quamobrem ut dixi, noveris te, ut inter angustias, quæ non desunt, fruaris conscientia bono: magis autem ut scias quid desit tibi. Nam cui non desit?* OMNIA ILLI DESUNT QUI NIL SIBI DEESSE PUTAT. *Nunquid quia summus Pontifex, ideò summus? Infimum noris esse, si summum putas. Quis summus? cui addi non possit. Graviter erras si te illum existimes. Absit: non tu de illis es qui dignitates, virtutes putant.* Et post pauca: *quomodo proficis, si jam sufficis tibi? non sit proinde tibi aut pigrum vestigare quid desit, aut fateri quid desit, verecundum. Loquere & tu voce Antecessoris tui: non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim. Et rursum: Ego me non arbitror*

Phil. 2. *comprehendisse. Hæc scientia sanctorum, hæc longè ab illa quæ inflat. Hanc qui apponit, apponit & dolorem: sed dolorem hunc nemo unquam sapiens subterfugit. Est quippe medicinalis dolor per quem stupor ille lethalis animi duri & impœnitentis excluditur. Et ideo sapiens qui dicere potuit: Et dolor meus in conspectu meo semper.*

Psal. 37. Secunda causa posset esse, quod licet perfectioni tuæ studeat, non putet tamen ad illam opus esse secessu, aut quid aliud esse necessarium quàm quod ordinariè facit. Atqui hoc est minus se nosse, hoc est minus nosse quàm sit proclive cuivis homini à seipso deficere & in pernicioſum labi statum, nisi se aliquando introspiciat attentius, & in seipsum penitùs redeat. Hoc est non nosse, quod sacræ Literæ nos tam crebro monent de homine

Ex. Mor. 6. veterascenti renovando, quod sic egregiè sanctus Gregorius explicat: *Hoc ipsum enim in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est, & cùm indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur: quia sui negligens, propositum robur insensibiliter perdens à forma prioris fortitudinis dum nescit, senescit: unde &*

Osee 7. *per Prophetam sub Ephraim specie dicitur. Comederunt alieni robur ejus & nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit. Cùm verò semetipsam quærit, & subtiliter pœnitendo, se discutit: ab ipsa hac vetustate sua, tota lachrymis & mœrore incensa renovatur: & quæ jam penè inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia, novum calet: unde Paulus Apostolus usu mortalis vitæ veterascentes Discipulos*

Eph. 4. *monet: Renovamini spiritu mentis vestræ.*

Tertia denique causa est, quòd cùm naturæ corruptæ onerosus & odiosus esse possit secessus, sibi quis facilè fingat, non illum sibi esse necessarium, ut quem timet laborem fugiat. Qua in re, vel aperta malitia est, sic secum dissimulare, ubi agitur salutis & perfectionis negotium; vel cœca sui, nec condonanda ignorantia, quasi adhuc nescias, nec videas sic naturam depravatam dolis suis occultandis causas obtendere; & quidquid non vult, sic obvelare ut non appareat idcirco nolle illud, quia molestum est & laboriosum: sed quia non est necessarium, non opportunum, non tempestivum aut quid simile speciosum. *O plenè omni dolo & omni fallacia! non* Act. 13. *desinis subvertere vias Domini rectas? Eris cœcus & non videns solem.* Sic Apostolus Elymæ cuidam seductori; quod tu tibi applices, teipsum seducenti.

III. PUNCTUM.

NVlli ergo magis necessariò secedendum, quàm qui minus necessarium sibi putat secessum; Nam cùm is cœca quadam sui laboret ignorantia, cui curandæ opportunus est inprimis secessus, profectò vel nulli est necessarius, vel isti cœco, qui cœcitatem suam si cognovit, cur non illuminari desideret? si autem non cognovit, nonne idcirco magis excitandus est ut secedat & audiat admonentem, *collyrio in-* Apoc. 3. *junge oculos tuos ut videas.*

Sic Christus Dominus, ut surdum & cœcum sanaret, removit eos seorsum à turba, ut expressè narrat sanctus Marcus, *& apprehendens eum de turba seorsum*, inquit de surdo, Marci 7. *misit digitos suos in auriculas ejus.* Tum verò Ibid. 8. pòst de cœco: *Et apprehensa manu cœci, eduxit eum extra vicum, & exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis interrogavit eum si quid videret.* Cur ita porro? cur sic Christus illos seorsim retrahit? Eratne id necessarium sanandis illis? Noñe id æquè poterat cùm essent in turba simul cum aliis, atque cùm inde extracti sunt? poterat sanè, nec absolutè id necessarium Christo fuit: potest tamen dici hoc fuisse necessariũ cõditionatè, ut vocant, ex hypothesi scilicet quod non aliter eos sanare statuisset. Sic planè de secessu cogita, non esset quidem necessarius absolutè, nec alia desunt Christo media quibus tuæ saluti & perfectioni consulat; sed cùm jam nobis tot signis indi-

caverit

caverit hoc se singulari medio velle uti ad persanandos & renovandos animos, sanè tam necessarius dici potest talis secessus ex illa præsuppositа dispositione divinæ providentiæ, quàm necessaria dicuntur alia quædam media, certos ad fines, qui non aliter attinguntur.

Nunquid, si natutam sacrificii spectes, erat necessarium Israelitis in Ægypto manentibus, ut inde secederent in desertum ad sacrificandum Domino? Non erat omnino necessarium, sed quia tamen sic ordinatum à Deo erat, non poterant omnino sacrificare in Ægypto. Nec mysterio vacat quod Pharaoni negranti hunc secessum respondit Moyses: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent:* Id est, arietes, vitulos, tauros sacrificare debemus, quos cùm Ægyptii colant tanquam Deos, abominatio seu abominabile scelus apud illos erit nostrum sacrificium, nec patientur nos jugulare coram ipsis quos colunt Deos; ac propterea nobis est secedendum. Sic omnino dicendum cogitanti conversionem aut renovationem animi; Sic prorsus immolandæ sunt Domino abominationes mundi; id est, quæ mundus colendo reddit abominabilia, ut sunt honores, delitiæ, divitiæ, fastus & similia quæ coram mundo sacrificare, mundus credet abominabile, nec quietè sinet sacrificium hoc, religiosè persolvi. Quamobrem disiungendi tantisper sumus; atque ex Ægypto seu mundana conversatione, si verè velimus egredi, parandum nobis in deserto verum nostri sacrificium, sive ut illud ipsum identidem confirmemus & renovemus quod jam aliquando cæpimus: sive ut de novo aliquid inchoemus: discamusque magno & volenti animo cum tribus pueris in fornace orantibus: *In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi.* Vel cum Davide: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua,*

Exodi 8. *Dan. 3.* *Psl. 118.*

Vide in 1. parte, die 14. Januarii. In 3. parte, Feria 2. hebdomadæ 13. In 4. die sexta Octobris.

FERIA TERTIA.

DE MODERANDA CVRA NOSTRI officii, ad exemplum Principis Apostolorum sancti Petri,

In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, &c. Actuum 1.

VERITAS PRACTICA.

Si internis externa sunt temperanda, ut neutrum eorum importunè, & utrumque opportunè sibi cedat.

RATIO EST, Quia sic internis externa sunt temperanda, ut nec ulli eorum præjudicium fiat, nec ulli virtuti.

Sed nisi temperamentum sic fieret, ut neutrum importunè vel utrumq; opportune sibi cedat: alterutri eorum præjudicium fieret & virtuti.

Ergo sic internis externa sunt temperanda, ut neutrum eorum importunè, & utrumque opportune sibi cedat. Quod certè ad praxim est perutile.

I. PUNCTUM.

ERAT ut diximus *turba hominum simul ferè centum viginti,* quos inter præcipui erant Apostoli, & inter Apostolos sanctus Petrus, qui cùm meminisset Scripturæ quæ de funesto Judæ casu, deque alio in ejus locum sufficiendo prædixerat, sic locutus est omnibus: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Iuda qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia*

nia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Aceldamach, hoc est ager sanguinis: Scriptum est enim in libro psalmorum, fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati, test. m Resurrectionis ejus nobiscum fieri. Ps. 68.

Sed hæc postrema in sequentem diem, satis modò sit ex illo sermone, quem sanctus Petrus habuit ad omnes fideles congregatos, agnoscere singularem ejus solicitudinem & curam verè pastoralem, quæ est exemplar illius quam unumquemque par est suo in munere ritè administrando profiteri. Vide & admirare quod neque præceps fuerit, neque tardus; non statim ut fuerunt congregati, locutus est sanctus Apostolus, sed aliquot dies posuit in recollectione & oratione; neque verò etiam recollectioni tantùm indulsit, quin illo ipso tempore de negotio tam utili cum aliis ageret, pro ratione sui officii: sicq; utrumque sapientissimè temperavit & moderatus est, ut neque nimia eum solicitudo exteriorum ab interna recollectione impediret; neque nimis continuata recollectio ab officii ministerio retardaret.

O verè dignum Pastorem ovium, qui non modò suos regeret & pasceret, sed quomodo etiam sic unusquisque deinceps sui curam officii gereret, edocuit verbo & facto. Quod ut amplius extendatur & uberius ad praxim revocetur, sic intelligendum est, quod dicitur de officio seu ministerio proprio, ut externa quævis opera sive ad illud spectantia sive ad quidvis aliud, pari sensu & nomine comprehendantur: *sicque internis seu spiritualibus exercitiis externa quævis alia temperentur, & ita inter se conveniant, ut neutrum eorum importune, & utrumq; opportunè sibi cedat.*

Ratio est universalis, & ad plura se proferens documenta, si diligenter expendatur. nã quando agitur de his temperandis, quæ cùm sint inter se diversa, temperari debent ut simul conveniant, sic universim loquendo, temperamentum eorum debet fieri, ut neutri parti aut ulli virtuti fiat præjudicium. Quale enim esset temperamentum, si plus uni daretur quã alteri, contra rationem & virtutem? Quid est temperamentum rei cujuslibet nisi modus & moderatio inter extrema diversa, seu inter excessum aut defectum, quibus res illa corrumperetur, nisi tali modo temperaretur? Ac verò cujus est talem modum adhibere nisi virtutis? aut quomodo concipi poterit modus sine virtute aut virtus sine modo?

Sic præclarè sanctus Bernardus discurrens per ipsas quatuor virtutes morales seu cardinales, *Quid tam justitia quam modus*, inquit, *alioquin si quid extra modum reliquit, non plane cuique tribuit quod suum est, quod tamen suum ipsius est facere. Quid tam rursum temperantia, quæ non aliunde profectò temperantia est nisi quod nil immoderatum admittit? Sed puto fatebere non minus esse fortitudinis eam vel maximè ipsa sit, quæ ab irruentibus vitiis & quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit, & vindicat in quoddam stabile fundamentum boni: sedemque virtutis. Est autem prudentia quæ modum diu animi neglectu posthabitum & vitiorum invidia quasi in abditu recluſum & coopertum, quadam vetustatis caligine prior reperit & advertit: propterea dico tibi à paucis advertitur, quia paucorum prudentia est. Itaq; justitia quærit, prudentia invenit, vindicat fortitudo, temperantia possidet.* 1. de Consid. 8. 1. Cor.

Ex quo sancti Patris discursu, manifestè patet, quòd sicut virtutis est modum & temperamentum adhibere, ita nullus erit modus nullumve temperamentum, si vel uni virtuti præjudicetur: quantò minus si pluribus?

II. PUNCTUM.

SED nisi temperamentũ internorum atq; externorum sic fieret, ut neutrum importunè, & utrumque opportunè sibi cedat, alterutri eorum præjudicium fieret & virtuti.

Tria sunt distinctè hic explananda. Primùm, quid sit opportunè vel importunè aliquid fieri: Nempe illud est opportunè quod sit suo tempore, suo loco & modo, servatisq; aliis circumstantiis, sicut ait Sapiens: *Tempus & responsionem cor sapientis intelligit: omni negotio tempus est & opportunitas.* Importunum è contra est, quod sit extra tempus vel locum vel indebito modo, *ut musica in luctu, importuna narratio*, inquit Ecclesiasticus, itemque: *Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.* Eccl. 8. Eccles. 22. Ibid. 20.

Secundùm inde explicandum est, tunc interna & externa cedere importunè, quando alterutrius eorum exercendi perverteretur tempus. Eccl. 3

tempus vel modus, sine gravi & urgenti causa: quando scilicet vacandum orationi, si tùm vacares studiis literarum vel externo cuivis operi: vel contrà, quando ex officio tibi forte incumberet negotiari aliquid; tu relicto negotio velles orare aut studere. Hoc est 1.Cor.13. *perperam agere*, quod vera nescit charitas. Cederent verò sibi opportunè, si tantum uni cedat aliud, quantum utriusque exigit necessitas sive opportunitas & convenientia. *Da locum timori Altissimi.* Eccles.19 Sic enim ipse ordinat.

Tertium hinc denique deducendum est, quod nisi tale esset internorum & externorum temperamentum ut neutrum importunè, & utrumque sibi opportunè cederet, præjudicium alterutri afferretur & virtuti. Nam eadem planè est utrorumque ratio, atque ex iis, quæ sunt aperta & manifesta, licebit alia minus fortè nota cognoscere. Nonne si importunè oratio cederet studio, tunc præjudicium fieret orationi? At verò si cùm est opportunum studendi literis tempus, si non cederet oratio studiis literarum, nonne etiam præjudicium fieret studiis & literis? Percurre portò quatuor illas virtutes, quarum est modum & temperamentum afferre rebus, & vide nùm ex æquo violentur, vel quando unũ alteri cedit importunè, vel quando non cedit opportunè? Prudentia certè lædituri importuno studendi tempore, quia prudentis est observare tempus. Justitia violatur, quia quod erat debitum orationi vel alteri negotio detrahitur, & injustè studio conceditur. Tẽperantia corrumpitur quia plus datur appetitui quam ratio postuler. Fortitudo denique enervatur, quia non resistit naturæ depravatæ, quæ se importunè atq; inordinatè proiicit in opus alienum.

Jam verò sit opportunum studendi tempus, sit commoda negotii conficiendi opportunitas, & cuivis operi sua vacandi hora: nonne si tum oratio non cederet aut quælibet mentalis exercitatio, non minus læderetur Prudẽtia, quia non servaret debitum tempus: non minus violaretur Justitia, quia non redderet quod cuiq; suum est; non minus deniq; Tẽperantia & Fortitudo corrumperentur, quia plus cederent, aut non quantum est satis, resisterent appetitui, quem ratio non minus regere debet, ut id fiat quod opportunitas exigit fieri, quã ne id fiat quod fieret importunè. Eccl.3.

O quàm pavendè Sapiens, qui postquam unicuique rei suum esse tempus ostendit, miram hanc adiicit sententiam: *Justum & impium judicabit Deus,* & TEMPUS OMNIS REI TUNC ERIT. Id est, tunc apparebit quantum momenti esset positum in cujusq; rei servando tempore, quia hinc justus & impius judicabuntur, prout rerum tempus observarint.

III. PUNCTUM.

SIC internis igitur externa sunt temperanda, ut neutrum eorum importunè, & utrumque opportunè sibi cedat; quia fieret alioquin alterutri præjudicium & virtuti; sicque nullum esset temperamentum, sicut nullus est modus aut moderatio sine virtute, quemadmodum nulla est etiam virtus nisi suo modo tẽperetur inter extrema: unde toties in scripturis illud commendatum; *Non declines ad dexteram neque ad sinistram.* Deut.5. Iosue 1. Quod sanè graviter his urget verbis Apostolus: *Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Prov.4. 1.Tim.5.

Sic aptè sanctus Gregorius: *Pleni superna sapientia discernunt qualiter debeant & ad aliquid vacare intrinsecus, & ad aliquid extrinsecus occupari; ut si forte occulta Dei ordinatione aliquid eis non appetentibus de hujus sæculi curis imponitur, cedant Deo quem diligunt, & præamore ejus intrinsecus solam illius desiderant visionem: præ timore verò ejus, impositam sibi intrinsecus humiliter expleant actionem, ut & vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, & rursum curas superimpositas ex conditione expleant servitutis.* L.18.Mor c.25. Et paucis interjectis sic pergit: *Intrant ad cor suum, & ibi consulunt, quid velit occulta voluntas Dei, seseque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis, jugo Divinæ dispensationis.* Itemq; in illud Canticorum: *Pone me ut signaculum super cor, ut signaculum super brachium tuum,* dilectam animam invitari ait, *ut in exteriori actione æque ac in meditatione pro signo habeat & ferat Christum suum.* Cant.8.

Sic fusè sanctus Bernardus, in illud etiam Canticorum: *ordinavit in me charitatem, QVOD veritas indicat præponendum, id charius amplectendum, ordo postulat Charitatis. Orantem hominem cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde Charitate jubente abducimur & avellimur propter eos, qui nostra indi-* Serm.49. Ser.50.

gent opera & loquela? quoties ptè cedit negotiorum tumultibus pia quies? quoties bona conscientia ponitur codex, ut operi manuum insudetur? quoties pro administrandis terrenis justissime ipsis supersedemus celebrandis missarum solemnis?

Serm. 51. Tum de se particulatim, *Patienter avellor ab infœcundâ Rachelis amplexibus, ut de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum: orare, legere, scribere, meditari & si quæ sunt alia spiritualis studii lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimenta.*

O quanti est meriti Caritas rectè ordinata, cuius operâ fit ut opus externum quantumvis humile & temporale plurimùm valeat: & cuius defectu fit, ut opus internum quâtumvis sublime & spirituale nihil prosit.

Vide in 4. parte, Feria 4. hebdomadæ 18. Ubi hæc exhibetur Veritas:

Sic est omni negotio tempus & opportunitas, ut nisi adsit tempus & opportunitas, vix ullum fiat negotium.

FERIA QVARTA.

DE PERFECTA OBEDIENTIA QVAM Cæteri omnes congregati, sancto Petro præstiterunt. Et de nostra reddenda Superioribus.

Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus Iesus, testem Resurrectionis eius nobiscum fieri, unum ex istis. Act. 1.

VERITAS PRACTICA.

Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ.

RATIO EST, Quia qui rationes inquirit obedientiæ, vix obedit nisi videat rationes.
Sed qui vix obedit nisi videat rationes obedientiæ, rationem suæ inobedientiæ quærit.
Ergo & qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ, quod certè est perniciosissimum.

I. PUNCTUM.

ADMIRATIONE planè dignum est, nullum unum in tanta Congregatorum turba extitisse, qui sancto Petro proponenti hanc electionem restiterit, aut ullo modo contradixerit! Quàm multi verò multa poterant illi objicere? Nempe ne verbum quidem hac de re à Christo Domino esse factum, tametsi sæpius illis post resurrectionem suam apparuit & de Regno Dei, sive de ordinanda Ecclesia disseruit: quæ verò ipse Dominus reliquit Apostolis disponenda, non nisi post acceptum Spiritum sanctum disponenda videtur reliquisse, cum apertè de illo dixerit, *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Ioan. 41. Cur ergo non illum expectat Petrus? cur in re tanti momenti festinat? cur non expectat aliquot dies quibus ille venturus est, à quo debent erudiri de omnibus! an ita certus est Petrus de psalmi citati intelligentia, ut de plano eius sensu dubitari non possit? Nonne hæc & similia poterant Apostoli sancto Petro referre & objicere, ne quid de hoc negotio concluderetur? Et tamen nullus contrà obsistit! nullus ne verbum quidem opponit; sed omnes intellectu & voluntate subjecti, hoc unum volunt quod æquum bonum Superiori visum est S. Petro.

Sic nempe parendum erat, sic parandus erat aditus divino Spiritui per insignem obedientiam, quæ ut esset insignior, sic subjiciendus erat intellectus, nullas ut prorsus inquirerent rationes cur sic præciperetur, vel cur sic obedirent. *Nam qui rationes inquirit obedientiæ, rationem*

rationem quærit suæ inobedientiæ. Quæ certè Veritas si bene intelligatur, multum valere potest ad imitandam illam perfectam Apostolorum obedientiam. Ut autem melius intelligatur, sic videtur ratiotinandum. Qui rationes inquirit obedientiæ, sic paratum se exhibet ad obediendum, ut vix paratus sit obedire nisi reddantur rationes quas inquirit, cur id fiat quod jubetur, vel cur id sibi jubeatur, licet enim forte obediret, etiamsi rationes non redderentur, non obediret tamen ex motivo quod vocant formali obedientiæ, sed vel motu naturali vel politica consideratione, vel humano aliquo affectu, quo qui tantum agitur non facit actum christianæ obedientiæ, quæ cum divina gratia debet supra naturam evehi, sicut expressè monet Apostolus: *servi obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.* Ephes. 6.

Hæc sunt videlicet motiva supernaturalia quibus moveri debet Christianus & Religiosus, ut Christianè & Religiosè agat, & quibus non videtur permovendum eum qui rationes inquirit obedientiæ. Nam cùm rationes illæ, quas inquirit, merè humanæ sint: vel reddentur, vel non reddentur; si reddantur, propter illas tantum obediet, & sic humano tantum motivo movebitur: vel si non reddantur, dolebit se obedire, murmurabit obediendo, nec nisi valde oscitanter obediet, quod certe non est obedire Christianè Nam si Christo sic obedires, putaresne te obedire? at debes obedire Superiori sicut Christo, aut si non obedis ut Christo, non obedis ut Christianus. *Subjecti estote omni humanæ Creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti: sive ducibus tanquam ab eo missis. QVODCVNQVE facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite.* Quid expressius? 1. Pet. 2. Coloss. 3.

II. PUNCTUM.

SED qui sic obedit, ut, nisi videat rationes suæ obedientiæ, rationes suæ inobedientiæ quærit.

Quando hoc unum esset malum in eo qui rationes inquirit obedientiæ quod non obediat, etiamsi videatur obedire, satis grande esset malũ; & satis potens consideratio ad illud evitandum; sed malum malo additur & quidem multiplex. Primò quidem rationes discutiet, & quam volet approbabit vel improbabit. Deinde improbando rationem, simul de superiore judicabit & detrahet, quod quàm damnosum sit nõ ita pridem supra satis aperte est demonstratum, ubi de peccato ariolandi actum est. Deinde quod extremum est malitiæ, quando non obediet vel cùm imperfecte tantum & ad oculum obediet, causas prætendet suæ inobedientiæ, vel suæ fictæ & simulatæ obedientiæ. Hoc enim ipso quò non probat rationes obedientiæ, putat se habere rationes inobedientiæ. Nam cùm sibi persuasum & statutum habeat non esse obediendũ nisi visa ratione, sicut quando rationem non videbit tunc non obediet, sic cum non obediet, rationem se habere dicet non obediendi: nempe vel quod nullam videat obediendi rationem, vel quod videat oppositam aliquam, ut sibi fingit. Tam facile est etenim fingere sibi rationem, cur nõ obediat quàm improbare rationem quare obediat. Qui porro non nisi visis rationibus obediunt, tam faciles sunt in improbandis rationibus, quàm proclive & naturale est unicuique, suo abundare in sensu, quando præcipue depravata est voluntas, quæ corrumpit judiciũ & rationem evertit.

Væ illis quia in contradictione Core perierunt, inquit unus Apostolus. Hæc est videlicet ejus contradictio contra Moysem, cùm sibi rationem finxit non obediendi; quod tam grave scelus fuit, ut, quotquot hujus cõtradictionis & inobedientiæ fuerunt participes, vivi & spirantes in infernum, terra dehiscente descẽderint: Quo d sic graviter describit sanctus Ambrosius: *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundihuius ablegantur elementis, ut nec aerem hausturi, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Satinne tibi hoc pœnæ est, ad crimen indicandum? *Iudas.* Num. 16.

III. PUNCTUM.

SIC igitur, *qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ*; nec parum grave crimen incurrit, quale est prætendere causam suo peccato, & quasi velle peccare cum causa; aut velle causam fingere, cur non peccetur, non obediendo ut peccetur liberius.

Is.30. *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium & non ex me, & operiremini telam & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum.*

Gen.3. *CVR præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradysi?* Audisne primum serpentis sibilum quo primos nostros parentes est aggressus, in inquirenda scilicet ratione, cur præcepisset Deus ne comederent de fructu vetito? Noverat enim Serpens callidus quod statim atque induxisset hominem ad inquirendam causam præcepti, tum facile eũ avocaret ab obedientia, quia non videndo rationem, cur non comederet, putaret se habere rationem comedendi; *sic enim*, ut ait S.

In Ps.70. Augustinus, *dum circa rationem præcepti & obedientiæ secum meditabatur, dicere poterat, si bona est arbor, quare non tango, si mala est quid facit in paradyso*; & hinc fortasse periit, ut videas quam sit cavenda talis inquisitio.

Rectissime autem idem sanctus Augũstinus ibidem observat, *in eo vel maximè positum fuisse primum illud præceptum & meritum obedientiæ, ut ignorata causa, nec inquisita ratione præcepti, simpliciter obediret, quia jubebatur, quia Dominus erat qui jubebat, & servus homo cui jubebat: hæc tota causa quia servus es ô homo. Qua si parva videtur esse causa, dedignaris esse Dei servus.* Vellesne hoc dedignari? An te pudet esse Dei servum? an te pudet ei obedire quia ille tuus est Dominus, tu eius servus? Cave ergo ne inquiras rationes obedientiæ, nam sic aliud quæreres ut obedires quam quod ille est Dominus, & tu servus. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto.* Hoc est unum, quod maxime diligit in obedientia nempe subjectum judicium: hoc est quod hõlocaustum facit vel rapinam in holocausto, prout datur vel negatur judicium, id est, prout rationes præcepti non quæruntur vel quæruntur. O quàm frequens & crebra est in hoc holocausto rapina!

Is.61.

Vide in 1. parte, Feria 5. hebd. in Adventu. In 3. parte, de voto obedientiæ. In 4. Feria 4. hebdom. 15. Ubi habetur hæc Veritas:

Nihil est in abnegatione rationabilius, quàm quod in illa videtur minus rationabile.

FERIA QVINTA.

DE UNANIMI CONSENSU DISCIPULORUM in electione duodecimi Apostoli: Et de nostro similiter Procurando.

Et statuerunt duos, Ioseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam, Act.1.

VERITAS PRACTICA.

Qui sensu suo privato, saniorem se aliis putat, sano se privat sensu.

RATIO est, quia sano se privat sensu, qui sic de rebus sentit & judicat, ut soli proprio fidat judicio.

Sed qui sensu suo privato saniorem se aliis putat, sic de rebus sentit & judicat, ut soli proprio fidat judicio.

Ergo is sano se privat sensu. Et dum se solum bene sentientem putat, solus est qui non sentiat malum suum, quod certè est deplorandum.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

Luc.22. CONSIDERANTI quam faciles essent Apostoli, etiam præsente Domino, ad contentiones & æmulationes, mirum omninò videri poterit, quàm sint modò inter se & cum aliis congregatis unanimes & idipsum sentientes. En duo tantum ex turba centum viginti hominum, statuuntur, quorum unus eligatur in duodecimum Apostolum; & nullus contra pro se vel pro alio contendit, nullus refragatur, nullus ne verbum contra obiicit; sed omnes tam unanimi consensu conveniunt in unum atque idem, ut jam de

Act.4. illis dici possit quod postea scriptum est, *multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* O quam evidenter apparebat inter eos

Ps.67. ille esse *qui habitare facit unius moris in domo!* Iam perfectò sentiebant quod oraverat Chri-

Ioan.17. stus Dominus, *ut omnes unum essent sicut pater in filio, & filius in patre.* Sic denique aptius disponendi erant ad ampliorem Spiritus sancti receptionem, ut de his canit Ecclesia, *invenit eos concordes Charitate, & colligavit eos inundans gratia Deitatis.* Sicut enim anima non infunditur in corpus nisi organis omnibus aptè dispositis; sic planè Spiritus sanctus dum ex pluribus unum mysticum corpus facit quod inhabitet, requirit omnes inter se aptè cohærentes; & quò facilior ad communem eris consensum, eò facilius quanta quanta voluerit infundere donorum Author, & recipies & conservabis.

Quia verò unusquisque suo in privato sensu sic abūdat & acquiescit, ut sibi semper melius sentire quam alii videatur: idcirco tibi est diligentius attendendum, ut quantū unicuique noceat suus privatus sensus, probè intelligas. Neque verò melius intelliges quàm ex hac proposita veritate: *Qui privato suo sensu saniorem se aliis putat, sano se privat sensu.* Quod quidem nō potest etiam efficacius declarari, quam explicādo quid sit sanus sensus, quid sit sanè de rebus sētire & judicare. Nempe hoc est, sic uniuscujusque rei vel negotii naturam & proprietates investigare, ut in his dignoscendis non soli proprio fidas judicio. Nam cùm tanta sit in homine, rerum ignoratia, & tanta judiciorum de rebus diversitas, ut quot sunt capita, tot sint diversi sensus; quis sanæ mentis audebit in illa judiciorū & sensuum diversitate, sic sibi fidere in judicando, ut sibi soli velit fidere? Nonne hoc est quod scripturæ toties monent: *Ne innitaris prudentiæ tuæ: ne sis sapiens apud temetipsum.* VÆ *qui sapientes estis in oculis vestris.* QVI *cōfidit in corde suo, stultus est.* SALVS *ubi multa consilia.* VIA *stulti recta in oculis eius, qui autem Sapiens est, audit consilia.* VIDISTI *hominem sapientem sibi videri: magis illo spem habebit insipiens.* Nam ut alibi jam dictum est, talem insipiens, qui se talem agnoscit, sibi diffidit & cavet; sed sapiens qui sibi videtur ita sapiens, ut non putet egere alterius consilio, sua se perdit sapientia: atque ut optimè ait sanctus Bernardus: *Illi omnia desunt qui nihil sibi deesse putat.* Prov.3. Is.5. Pr.28. 11. 12. 26.

Quod & de se Salomon sic aptè expressit; *dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me: multò magis quam erat. & alta profunditas, quis inveniet eam?* Quasi diceret, nō est unius privati hominis sic posse sapienter de rebus judicare, ut suo soli fidat judicio: nimis alta rerū profunditas, ut eas unus investigare possit: & quo propius se accedere ad intimam rerū notionem crederet: eò ipsa rerum notio longius ab illo recederet. Unde evidenter patet quod sanus ille sit sensus qui sic de rebus sentit & judicat, ut soli suo non fidat judicio. Atque ita ex consequenti qui sic suo fidit ingenio, ut non aliter de rebus sentiat quàm ut ipse solus sentit & judicat, sano se hoc privat sensu; plenèque aliud nihil restat nisi ut insanus aut insensatus dicatur. *Nos insensati!* Sap.5.

II. PUNCTUM.

SED *qui suo privato sensu saniorem se aliis putat, sic de rebus sentit & judicat, ut soli proprio fidat judicio.*

In hoc enim est privatus sensus, ut nihil cōmune cum aliis habeat, diciturque proprium judicium & consilium, de quo sic egregiè & aptè ad rem nostram sanctus Bernardus: *Lepra proprii consilii eò pernicioſior quo magis occulta: & quantò plus abundat, tantò sibi quisque sanior esse videtur. Hac illorum est qui Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, Charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere. Et quæ major superbia quam ut unus homo* Serm.3. in Resurr. Dom.

mo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei!

Quæ sancti Patris dicta sufficient quidem ad judicãdum quis sit privatus sensus, & quis in genere sic sentiat: sed te in particulari forsan, minus inde talem esse cognosces, quasi non sentias tot mala quot enumerat. At verò hoc unũ attende quod refert unde alia possis timere, *nempe occultum hoc esse malum*, & eo magis damnosum quo est magis occultum.

III. PUNCTUM.

Quisquis igitur sensu suo privato saniorem se aliis putat, sano se privat sensu, qui vel in eo maximè agnoscitur esse sanus, si quis de rebus ita sentit & judicat, ut non soli suo fidat judicio: Aut è contra si quis sic sentiat, ut sibi soli credat & confidat, tam verè sano se ille privat sensu, quã verè privatus est eius sensus. Quod quàm sit damnosum & cavendum, præterquam quod jam satis visum est, tum verò amplius disce ex sanctis Patribus, quos inter sanctus Basilius in illud Isajæ: *Et restituam Consiliarios tuos sicut antiquitus*: SACRA, inquit *quædam res est consilium, voluntatũ unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diverso intolerabile est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio, sed sibi uni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt.* Et in regulis brevioribus, *non est rationi consonum, si quis in omnibus, suo stare velit judicio: nec periculo aut contumaciæ suspicione caret, in congregatione multorum, nolle majoris partis sententiæ acquiescere.* Sanctus item Ambrosius, *Negligere bonorum iudicia, vel arrogantiæ vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ.* Integram hac de re Cassianus collationem habet, ubi hæc inter alia satis quidem vulgata, sed nunquam satis perpensa: *Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuaserit definitionique confidere.* Sanctus quoque Dorotheus: *Cùm subiecti simus multis passionibus, prævisque affectibus, nostro iudicio non debemus omnino fidere: quando enim norma vel regula curva est & inflexa, nunquam quod secundum eam dirigitur, rectum efficitur sed distortum.* Sanctus verò Bernardus hoc de se profitetur: *Amor privatus aufert mihi verùm iudicium: Idcirco parum mihi credo de meipso ut potè homini mendaci, timens ne si meipsum iudico, mentiatur iniquitas sibi.* Author deniqi libri de Imitatione Iesu: *Quis est ita sapiens qui omnia scire plenè potest, ergo noli nimis in sensu tuo confidere: si bonum est tuum sentire, & hoc ipsum propter Deum dimittis & alium sequeris, magis inde proficies.*

Iam verò tu homo privati sensus & consilii quid sentis de sensu horum Patrum? Rectènè illi contra tuum privatum sensum? Malè tu ergo contra illos hunc retinebis: neque deinceps, tantùm communi aliorum hominum sensui repugnabis, sed ipsis sanctis patribus, ipsi sacræ scripturæ, ipsi denique Christo, qui se, ubi plures essent congregati, promisit in eorum affuturum medio, non ubi solus esses.

Vide suprà in hac parte, Sabbato Septuagesimæ.

FERIA SEXTA.

DE FERVENTI ORATIONE DISCIPVLORUM: Et de nostra consimili, ad petendum lumen in dubiis.

Et orantes dixerunt, Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, unum. Act. 1.

VERITAS PRACTICA.

Erranti in dubiis & non oranti, nulla est erroris excusatio.

RATIO est, quia tota excusatio tùm peti posset vel ab ignorantia vel ab aliqua rei difficultate. Sed non orantis Deum in dubiis, nulla est ignorantia vel difficultatis excusatio.

Ergo

Ergo neque erroris tum commissi. Quod pauci tamen advertunt, licet sint multi qui errent.

I. PUNCTUM.

IAM suprà visum est, ex quo tempore simul congregati fuerant Discipuli, expectantes Spiritum sanctum, omnes unanimiter in oratione perseverasse. Nunc verò considerari potest attentius, triplex eorum orationis genus. Primò quidem universim orabant variis illis modis qui ab Apostolo describuntur dum ait: *Implemini spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes in cordibus vestris Domino, & gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.* Ephes. 3. Et rursus; *Obsecro*, inquit, *primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* 1. Tim. 2.

Deinde verò hærebant diutius in uno ex his orandi modis, postulantes ardentissimè adventum Spiritus sancti, quem quidem non ignorabant venturum ex promissione Domini, sed cum nescirent tempus, illud urgebant vehementius sicut antiqui Patres adventum Christi: atque eorum precibus forte est acceleratus Spiritus ille Divinus, qui se idcirco vult expectari & orari ut se abundantius communicet. O quæ illorum desideria! quæ suspiria!

Denique, si quid interea præsentius & particularius occurreret de quo dubitarent & ad quod perficiendum, opus esset divino lumine, tum illud unanimiter obsecrabant, ut patet in hac electione duodecimi Apostoli pro quo orantes dixerunt; *Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii huius & apostolatus de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Act. 1. Qua de re in ipsius sancti Matthiæ festo dictum est fusius. Nunc verò expende accuratè, quàm sit necessarium sic orare in dubiis & difficultatibus, cùm alioquin ut habet proposita veritas: *Errantis & non orantis, nulla sit erroris excusatio.*

Ratio est apertissima, quod si quæ tùm prætendi potest excusatio, maximè videatur peti ab ignorantia & summa quadam rei difficultate; nam quandoquidem ut supponitur, res est ita dubia ut in illa erres, & ita difficilis ut eam non conficias, quid est aliud quod ab errore vel ab omissione te excuset nisi rei ignorantia vel difficultas? si enim res plana esset & facilis, aut non errares aut te ab errore non excusares. *Si non venissem*, inquit Dominus, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15. Quasi diceret, quæ duo poterant illos excusare, ignorantia & difficultas, per me sublata sunt, nempe ignorantia per doctrinam, & difficultas per gratiam; atque ideo nihil illis superest, quod excuset. Sic & Apostolus, *propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Rom. 2. Id est, ostendis te non ignorare mala quæ tu facis, cùm illa ipsa judices & condemnes in aliis, ac proinde inexcusabilis es sicut qui sciens & volens facit malum. An putas istum excusari qui scienter peccet? Si te ergo putas excusatum, inde est quia peccas ignoranter.

II. PUNCTUM.

SED non orantis in dubiis nulla est talis ignorantiæ nec ullius difficultatis excusatio.

Nam cum orando impetrare potuisset Spiritum sanctum, qui lumen in dubiis & robur in difficultatibus impertiisset, profectò quātumque ignores id in quo erras, aut quantūcunque labores in agendo: nulla est excusatio ignorantiæ vel difficultatis. Tum enim est voluntaria & affectata quodammodo ignorantia & difficultas, cùm sine ullo negotio utramque pervincere potuisses. *Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Ps. 52. Quid enim difficultatis in orando? An verò ignoras tibi esse orandum Deū maximè in dubiis & difficultatibus, aut quomodo sit tùm orandus? Audi Davidem: *Invenit servus tuus cor suum ut oraret te*, Id est, invenit in corde quid oraret. Hic etiā aptè quod sanctus Augustinus: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis & petere quod non possis, & adiuvat ut possis.* 2. Reg. 7. L. de natura & gratia c. 43. Quàm facile autem petendo obtineatur Spiritus sanctus, vel ex his Christi Domini verbis colligere: *Si vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Luc. 11. ô qualis promissio tanti boni! ô quanta est orationis

potestas, quæ illud promeretur! Sed ô qualis quantaque vecordia non orantis tale bonum, quod est oranti promissum!

III. PUNCTUM.

ERGO *erranti in dubiis & non oranti, nulla est erroris excusatio.* Nam cum erroris excusatio vel ab ignorantia vel à difficultate peti posset, nulla autem, si orasses, ignorantia vel difficultas superfuissent, quid restat quod excuses? At verò multa sunt quæ te accusent, nempe orandi & impetrandi facilitas: errorum gravitas & multitudo quæ orationis defectu proveniunt; orationis cõtinuæ & nunquam cessantis toties repetita in Scripturis commendatio; Sanctorum Patrum exempla & consilia; motus interni Spiritus sancti; alia quæ innumera quæ te negligentiæ vel malitiæ tam apertè accusant, ut nihil restet quam deplorare præterita, & in futurum seriò perspicere, quod ait Sapiens: *In omnibus deprecare Eccles. 37. Altissimum ut dirigat in veritate viam tuam.* Et quod Apostolus: *In omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Phil. 4.

Vide hic etiam libri 3. de Imitatione Christi caput tricesimum octavum; ubi de Moyse semper recurrente ad oraculum & ad orationem, & de Josue decepto à Gabaonitis quod eo non recurrisset.

Quæ plura verò de oratione desideres, habentur suprà, Dominica 5. post Pascha, & sequenti Feria Rogationum.

SABBATO
IN VIGILIA PENTECOSTES.
DE PERFECTA DISCIPVLORVM,
Et nostra Resignatione ad recipiendum Spiritum sanctum.

Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Act. 2.

VERITAS PRACTICA.

Nemo paratior ad omnia Dei dona recipienda, quàm qui ad nulla sibi danda æquè paratus est.

RATIO EST, Quia nemo paratior ad omnia Dei dona recipienda, quàm qui donantis voluntatem spectat potius quam donum eius, aut suum commodum.

Sed qui ad nulla sibi danda dona æquè paratus est atque ad omnia recipienda, spectat potius voluntatem donantis quam ipsius donum, aut suum commodum.

Ergo nemo paratior ad omnia Dei dona recipienda, quam qui ad nulla sibi danda æquè paratus est: & qui possit perinde dicere ut recipiat vel non recipiat: paratum cor meum Deus: paratum cor meum. Ps. 56.

I. PUNCTUM.

CUM nescirent Discipuli, quo præcisè die quàve hora Spiritus sanctus descenderet, sic eum expectabant omni hora, ut æquè essent parati ad eum jam jã recipiendum si adveniret, ac diutius expectandum si adventum retardaret. Iam penè decem in illa suspensione animi fluxerant dies, & nullus eorum conqueritur, nullus sè domo submovet, ac ne quidem cubiculo ubi cõgregati erant: sed omnes pariter sive unanimiter consistunt in eodem loco, in eadem mente, in eadem positione corporis & animi, quam decebat eos, qui totí pẽdebant à nutu & voluntate Dei. Non anteverterunt tempus egrediendi foras sicut Saul; non definiunt dies expectandi divini auxilii sicut Betulitæ; nec velut parentes Tobiæ junioris nimiam filii deplorant moram; sed hoc unum agunt, hoc unum cogitant; ut nihil agant aut cogitent nisi quod purè

Luc. 1

Ps. 5 Ps. 7

Isa. 4

1. Reg. 13. Iud. 7. Tob. 10.

Luc.12. purè velit Deus. Sunt vigiles illi servi quos Dominus ita descripserat, ut succincti lumbos, & lucernas in manu tenentes, expectarent de nocte Dominum suum ut, quando veniret & pulsaret, confestim illi aperirent.

Hæc erat proxima eorum dispositio in perfecta quam vocant Resignatione animi: & hæc erat perfecta eorum resignatio, sic æquali mentis statu consistere, ut vel expectarent diutius, vel reciperent quantocyus Spiritum sanctum, prout vellet aut nollet sc illis communicare. Sic proinde nos ad eorum exemplum, sic ad utrumque semper parati simus, ut nunquam magis velimus quod velit Deus, quam nolimus quod nolit. Quidquid aliud paraveris, *Nemo paratior ad omnia Dei dona recipienda, quam qui ad nulla sibi danda æquè paratus est.*

Ratio quæ affertur continet documentum vitæ spiritualis eximiũ, quod spectat ad perfectionẽ resignationis, quæ est proxima, Deo bene juvante, dispositio ad omnia Dei dona recipienda: nempe ut spectemus magis Deum donantem, quàm ejus dona. Hoc enim non modò est nobilius & excellentius, sed magis intimum, &, ut vocant, essentiale ipsi resignationi sive præparationi, quæ in eo præcipuè sita est, ut nos totos integre & perfecte subdat Deo, nihil ut supersit quod nostrum reputemus & spectemus, sed toti quodammodo in divinum mutati beneplacitum, hoc unum cogitemus, velimus & suspiremus quod ille.

Ps.38. *Et nunc quæ est expectatio mea: nonne Dominus?*
Ps.72. *Et substantia mea apud te est. Quia inflammatũ est cor meum, & renes mei commutati sunt; & ego ad nihilum redactus sum & nescivi. Vt jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi in Cœlo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Hoc est unum spectare Dominum, hoc est esse resignatum, hoc est esse paratissimum ad omnia Dei dona; hic est animus quem maximè Deus

Is.42. respicit. Hic est homo de quo ait, *ecce servus meus suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum.* O qualis animæ nostræ status, in qua sibi complaceat ipsa Dei anima! in qua suæ beatitudinis aliquod velut incrementum inveniat!

II. PUNCTUM.

SED qui ad nulla sibi danda dona Dei, æquè paratus est, atque ad omnia recipienda, ille est qui spectat potius donantem quam ipsius donum aut ullum suum commodum.

Nam cum dona spiritualia & cœlestia sint præcipua bona, & quæ justius atque avidius desiderari & recipi possint: profectò qui ad nulla recipienda æquè paratus est, atque ad omnia, prout dare vel negare voluerit Deus, sic se indicat purè spectare divinam voluntatem supra quidvis aliud: quandoquidem illa bona superant dignitate & utilitate cætera omnia: dummodo scilicet, ut supponitur, id faciat non ex negligentia vel incuria, sed ex intuitu divini beneplaciti quod pluris facit quàm suum bonum, etiam spirituale & æternum. Sicut supra dictum Beatos in cœlo magis gaudere, quod divina in ipsis voluntas impleatur, quam quod beati sunt, unde sunt tam cõtenti in novissimo atque in primo loco, ut ait S. Bernardus. Hic est excellẽtissimus perfectæ resignationis actus, qui tantopere celebratur in sancto martyre Laurentio, non quod tantùm paratus fuerit pati cum Xisto Pontifice, sed potius, id avidè cùm expeteret, tam paratus fuerit ad minimè patiendum cum eo, quia sic voluntas Dei ferebat, quàm ad martyrium subeundum.

Tr. de dilig. Deo c. 7.

Vid. l. 2. de Imit. Ch. c. 9.

In homine sæculari & minus perfecto, perfectionis studium esset, magna semper velle agere, & magna pati: in homine verò perfecto, imperfectionis nota esset sic velle magna semper agere vel pati, ut non æquè parva vel nulla velit pati aut agere, prout purè Deus ordinarit. *Pondus æquum voluntas eius*, inquit Sapiens, id est, voluntate divina sic põderantur à sanctis omnia, ut sive parva sive magna sint, sint tamen illis æqua & æqualia, quia unam Dei respiciunt voluntatem. Vel sic: sicut pondere suo referuntur omnia quocunq; feruntur: ita sanctorũ pondus est divina voluntas, quæ ipsis videtur tã æqua & sancta in omnibus, ut eò indifferenter fẽrantur quo divina voluntate feruntur. Sic rursus dicuntur Beati sic colere divinam voluntatem, ut si talis esset Dei voluntas, cœlum desererent non modò ut terras iterum repeterent, sed in ipsas purgatorii vel ęterni damnatorũ ignis pœnas descenderent, diceretq; cum Iobo, *Dominus*

Prov.11.

dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum: sed tantò id gloriosius & magnificentius dicerent supra Iobum, quàm cœlum terræ præstat. O Divinas sanctorum mentes! quam longè ab his absumus, qui terrenum nescio quid vix patimur nobis negari, cùm cœlum ipsum pro Deo deserendum esset!

III. PUNCTUM.

NEmo ergo paratior ad omnia Dei Dona recipienda, *quam qui ad nulla sibi danda aque paratus est*. Quia sic purius Deum respicit, sic donantem potius quam dona spectat: sic perfectius Deo subjicitur & unitur, quæ perfecta subjectio capaciorem & paratiorem Deo recipiendo facit animam, cui propterea dicitur: *Dilata os tuum & implebo illud.* Ps. 80. Id est, ut interpretatur sanctus Augustinus, *angustias pateris in te, desere teipsum, ut in me transeas, sicque dilataberis ut magis implearis.* Quod & expressius idem Regius Psaltes: *Doce me*, inquit, *facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu*, Ps. 142. Tu verò statim subdit, *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*; Quasi diceret, statim atque me ad voluntatem tuam comparavero, spiritus tuus me sibi comparabit & acquiret. Itemque alibi luculentè; *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ*, Tùm enim aufertur spiritus noster & deficit, cum perfectè subjicitur Deo; at loco nostri spiritus, divinus ille substituitur qui replet vasa vacua, & cui potius deficient vasa quam ille vasis, sicut de oleo Elizæi narratur. Ps. 103. 4. Reg. 4.

Ossa arida audite verbum Domini, præclara est figura apud Ezechielem. Vide locum, & illud maximè annota quod dicitur, *A quatuor ventis veni Spiritus.* Sic enim mystice à quatuor ventis super nos invocatur & venit sanctus Spiritus, id est, per quatuor motiva repræsentata per quatuor mundi partes unde quatuor principales venti perflant, & continentur in hymno de Spiritu sancto. Sic enim primò venit velut ab oriente per beneficia cõmemorata: *Veni Creator Spiritus, &c.* Deinde secundo & tertiò versu velut à meridie per Charitatem: *Qui paracletus diceris, &c.* Tùm verò quarto versu velut ab occidente per infirmitates & peccata nostra: *Accende lumen sensibus, infirma nostri corporis, &c.* quinto denique versu velut a septentrione, propter hostes, *Hostem repellas longius, &c.* Atque hæc ardenter, constanter & pure propter Deum, nihil aliud postulando quam quod ipse velit, & quia sic ipse vult ut postules. Nihil in vacuo natura operatur; at contrà, tota est in vacuo gratia; *Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Ezech. 37. 1. Cor. 1.

HAC HEBDOMADA, sic pergetur in historia Actuum Apostolorum, ut inde diebus singulis manifestentur septem Dona Spiritus sancti, totidemque ex illis erutæ Veritates.

DOMINICA PENTECOSTES.

DE MISSIONE SPIRITVS SANCTI.

Et de Dono Sapientiæ.

Et factus est repente de Cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit que supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Act. 2.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Humana sapientia sic divinæ opponitur, sicut humanæ stultitia.

RATIO est, quia idcirco humana Sapientia stultitia opponitur, quod privet hominem usu rationis naturalis sine quo nulla est humana sapientia.

Sed hæc humana sapientia sic privat hominem usu supernaturalis rationis, sive quo nulla est divina sapientia.

Sic ergo illi opponitur, ac proinde tam cavenda est, quam stultitia timeretur.

II. PUNCTUM.

QUANTO hic plura dici possent de admirabili Mysterio descendentis in Discipulos congregatos Spiritus sancti, tantò brevius constringentur, quia plana sunt unicuique & obvia. Tantùm vide ne multitudo vel varietas rerum, quæ considerari possunt, te obruant. Distingue singula, suas in partes & in certas circumstantias, nisi forte te occupet & possideat divinus ille spiritus, cui te totum debes permittere possidendum.

Contemplare primò *Quis* descendat, quale donum detur hominibus, *Donum ipsum essentiale*, ut ait sanctus Thomas, sive donum quo cætera omnia dona supernaturalia continentur: non jam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis. O effusam Bonitatem!

S. August. Serm. 185. de Temp. Secundò *quibus* detur; *Erat*, ut dictum est, *turba hominum simul ferè centum viginti*, quos inter, mulieres quædam sanctæ, & Maria mater Iesu. Sed hac una excepta, quales alii erant? pauperrimi scilicet, ignorantes, idiotæ, peccatores, & tamen hos dignatur inhabitare Deus!

Tertiò, quò descendat *loco & tempore*: Non enim vacat Mysterio, quod in Congregatos, ipso in cœnaculo, ubi Sanctissimum Sacramentum fuerat institutum, & quod erat in superiori domus parte, descenderit; ac multò etiam magis quod ipso die Pentecostes, quo lex olim data fuerat, quam spiritus sanctus in corde fidelium erat superscripturus.

Jer. 31. Hebr. 8.

Quartò, *modum* ipse descendentis Spiritus sancti maximè considerandus; nempe ille repentinus de Cœlo sonus, & illæ igneæ supra singulos sedentes linguæ. Quale prodigium! qualia Spiritus sancti Symbola: *ventus, ignis, & lingua!*

Quintò, *quo fine* venerit & quos effectus produxerit. *Hæc est mutatio dextera Excelsi*, de qua Psaltes, planè tum mutati sunt & conversi homines cùm ex peccatoribus sancti, ex superbis humiles, ex carnalibus spirituales, ex piscatoribus prædicatores omnium linguis loquentes, ex timidis fortes, ex terrenis denique cœlestes & divini facti sunt. *Erant tum in Ierusalem*, ait Sacer Historicus, *habitantes viri Religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce convenit multitudo & mente confusa est quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes, Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt! Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus! parthi & medi, &c. Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes & mirabantur, adinvicem dicentes quidnam hoc vult esse? Alii autem irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti.*

Ps. 76.

Videsne dum alii mirantur Apostolos, alii eos irridentes? Mirabantur videlicet quidnam excellentissimum illud *Donum Sapientiæ* quod eminebat inter alia, primòque se producebat, cùm mira de Deo saperent, sentirent & loquerentur; hoc est enim Sapientiæ donum, *sapor & connaturalitas ad res divinas*, inquit sanctus Thomas, id est, sapor & quidam veluti gustus tam suavis rerum divinarum, ut connaturalis videatur.

2.2.q. 45.

Quidam verò & qui forte sapientiores videbantur, irridebant, seu ut habet alia versio, subsannabant quasi ebrios & mente captos, injuriis & convitiis appetebant, quia scilicet humana sapientia non nisi stultam divinam putat; unde fit ut ipsa humana in stultitiam degeneret, quando sic divinæ opponitur. Quod certè est valde observandum, ut quantum naturalis stultitia timeri potest, tantum humana sapientia caveatur, *quæ sic est divinæ opposita, sicut ipsi humanæ sapientiæ opponitur stultitia naturalis.*

Et quidem ratio est evidentissima; quid enim clarius quam quod in declaratione Veritatis propositæ dicitur, idcirco huma-

næ sapientiæ stultitiam opponi, quod hominem privet usu rationis sine qua nulla est humana sapientia? Sive enim sit privatio mentis à natura, quæ dicitur propriè stultitia: sive à casu, quæ est amentia: sive à depravatis moribus, quæ fatuitas nuncupatur, perinde nobis est, ut intelligamus oppositionem omnem ad hoc unum redire quod privet hominem usu rationis, ac proinde omni humana sapientia, quæ tota est in illo naturali rationis usu. Vide quam deplorandus stulti status! quanta dignitas rationis si probè regeretur ad suum finem! quanta ejus depravatio & malignitas! Quàm variæ species humanæ sapientiæ! quàm damnosa illa quæ omnium sublimissima & fœliciſſima reputatur, quæ-
L. 10. Mor c. 16. que sic à S. Gregorio describitur: *Cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, qua falsa sunt, vera ostendere, qua vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas, nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur.* Nihilne in istis tuum esse agnoscis?

II. PUNCTUM.

SED hæc humana sapientia privat hominem usu supernaturalis rationis, sine qua nulla est Divina sapientia.

Tria hic distinctè sunt revolvenda ex multis ante dictis, Primum quæ dicatur ratio supernaturalis, nempe ut sanctus Thomas refert ex S. Augustino, *qua intendit rationibus*
2. 2. q. 45. a. 3. *supernis seu divinis conspiciendis & consulendis, secundum quod per divina de humanis judicat actibus, & per divinas regulas dirigit actus humanos,* ut si dixero & credidero *Beatos pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cœlorũ;*
Matt. 5. *VÆ vobis divitibus quia habetis consolationem*
Luc. 6. *vestram. CVM facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris quia non*
Ibid. 14. *habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione Iustorum.* In his enim & similibus Evangelicis sententiis, vides rationem peti vel à Deo sic loquente, vel à promissis æternis & futura beatitudine.

Deinde considera, quomodo Sapientia humana privet hominem usu supernaturalis rationis; quia scilicet cùm attendat tantum ad causas & rationes naturales, humanas, temporales, & transitorias, id est, petitas à sensu naturæ humanæ corruptæ, ab opinione hominum secundum carnem viventium, nihil aliud reputat bonum sive beatum, nihil aliud malum aut miserum æstimat, quàm quod sensus naturalis, & communis opinio tale sentit: unde cum paupertas, injuriæ & calumniæ humano judicio mala sint; divitiæ verò, deliciæ & honores, bona censeantur; sic manifestè fit, ut evertat rationes supernaturales; & quàm verum est secundum Deum Beatos esse pauperes, tam falsum sit secundum homines. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonũ* Isa. 5. Rom. 8 *malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras;* Sic differentem Dominum de Beatitudinibus Evangelicis deridebant avari & sapientes mundani, quibus tum Christus Dominus; *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus:* Luc. 16. *Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum:* Stupenda certè sententia.

Hac autem eversa ratione supernaturali, simul evertetur sapientia divina, quod erat tertium expendendum, quia hic ejus propius & maximè nativus effectus est per supremas illas causas sic illustrare & sic afficere hominẽ, ut quod cognoscit bonum animi, sapiat, gustet, prosequatur & amet, licet sit amarum sensibus; & quod cognoscit malum, oderit, fugiat & detestetur, licet sit suave carni. Jam verò si tollantur illæ supremæ causæ, tolleretur hic effectus, quia res non cognoscuntur in veritate prout sunt, & sic non verè afficient & sapient, *Gens absque consilio est & sine prudentia;* Deut. 32. *utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent.*

III. PUNCTUM.

SIC igitur humana sapientia divinæ opponitur, sicut stultitia humanæ sapientiæ.

Nam cum ratio & causa oppositionis sit eadem, nempe privatio rationis, quid sequitur nisi ut eadem sit oppositio? Et certè quid magis oppositum quam quod humana sapientia sentit, & divina? Quid magis oppositũ quam amare divitias, aut contemnere, Miseram dicere paupertatem, aut beatam? Honores vel ambire vel fugere? Crucem & persecutiones odisse, vel amare? Hæc est videli-

cet

cet oppositio humanæ & divnæ sapientiæ : nam quantum humana prosequitur divitias, honores & voluptates; tantum divina fugit: unde aptè S. Jacobus: *Si zelum,* inquit, *amarum habetis & contentiones sint in cordibus vestris,* quæ scilicet ex concupiscentiis proficiscuntur, *non est ista sapientia desursum descendẽs à patre luminum, sed terrena, animalis diabolica; quæ autem desursum est Sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, &c.*

Jac. 3.

P. 2. 2. q. 45. a. 1. ad 5.

Deniq; sicut mors & vita sunt inter se opposita, oppositione maxima quæ est privativa: sic utraq; hæc sapientia, quarum una quæ dicitur sapientia & prudentia carnis, *Mors est,* inquit, Apostolus, prudentia autem spiritus *vita & pax* quoniam prudentia carnis, *inimica est Deo, Legi enim Dei non est subjecta, neque enim potest.*

Rom. 8.

Atq; hinc facilius intelliges, quod frequẽtissimum est in Scripturis, humanam sapientiam non nisi stultitiam coram Deo reputari, sicut divinam apud homines stultam æstimari. *Stultam,* inquit idem Apostolus *fecit Deus sapientiam hujus mundi. QUOD stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur.* Quorum omnium ratio est, quam diximus, quia utraque sapientia sunt inter se oppositæ, oppositorum autem planè est diversa ratio, unde quod uni bonum & dulce est, alteri sit malum & amarum necesse est.

1. Cor. 1. & 2.

At verò quæ verior est sapientia? Divinam non dubitabis in meditatione dicere, sed in praxi vide ne humanã anteponas. Illud videlicet obstat quod si secundum divinã sapientiam velis vivere, stultus habearis mundo, quod certè durum est; sed vide ne dum sapiẽs mundo vis haberi, stultus Deo existas. Vide ne dum stultitiam mundi velut sapientiam consectaris, sapientiam Dei velut stultitiam rejicias. Alterutrum enim necessariò est concludendũ, aut Dei aut mundi sapientiã esse stultitiam. Utrum è duobus? O quam hic præclarè Apostolus; *Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultia est apud Deũ, scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum; Et iterum, Deus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus.*

1. Cor. 3.

EODEM DIE.

IN ILLUD APOSTOLI:

Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, Ephes. 4.

VERITAS PRACTICA.

Quod nos magis lætificat, hoc magis contristat Spiritum sanctum.

RATIO EST. Quia quod magis contristat Spiritum sanctum per quod magis illi resistimus.

Atqui per id magis illi resistimus, quod nos magis lætificat.

Ergo hoc ipsum est quod eum magis contristat. Quod quia nimis est impium, idcirco corrigendum illud, quod nos sic perversè lætificat.

I. PUNCTUM.

ERAT in lege veteri lex expressa de non contristandis peregrinis & advenis : *Advenam non contristabis, neque affliges eum.* Ratio ejus legis videtur fuisse quod cum advenæ & peregrini, non minus à Judæis distarent moribus quàm patria, fieri facile poterat ut Judæi malè illos tractarent, irriderent & contemnerent; quod idcirco speciali lege caveturn.

Exodi 22.

At verò nobis hodie lex illa opportunè videtur commendanda : sicut enim Spiritus S. dicitur hospes animæ nostræ, *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium* : Ita nisi diligenter caveamus, facile est nobis illũ contristare & affligere, propter diversitatem morum & motuum nostrorum ab eius moribus & agendi modis. O quanta est illa diversitas! Eapropter forte Apostolus, *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.*

Fieri-

Fierine verò potest, ut ille Spiritus contristetur qui est gaudium indeficiens, & ipsa essentialis beatitudo? Ille qui est author purioris gaudii quod possimus percipere? Ille qui est spiritus, & omnis expers perturbationis ac tristitiæ, quomodo contristari potest? quomodo verò à Christianis? à Religiosis, & à nobis? Hoc certè mirum, atque eò etiam magis mirandum, quod uno hoc præcipuè contristetur, quod nos magis lætificat.

Ratio valde expendenda est, quod hoc uno potissimum contristatur Spiritus sanctus, per quod nos illi præcipuè resistimus. Certum est quidem non eum contristari sensibiliter sicut nos: sed tamen humano modo sic loquitur sacra Scriptura de Deo, ut intelligamus sic se Deum effectivè erga homines gerere, quando id eorum peccata exigunt, sicut si effectivè moveretur. *Non irascitur quasi mutabilis*, inquit S. Ambrosius, *sed ideo hæc dicuntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, tanquam eò usque increverit culpa, ut etiam Deus qui naturaliter non movetur, aut ira aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.* Sic brevius S. Hilarius, *pœna patientis, ita creditur esse decernentis.* Hoc autem non modò accidit, quando peccamus, sed quando illi resistimus, quando illi momenti de culpis, & moventi ad meliora, contradicimus, reluctamur, rebellamus, *Ipsi fuerunt rebelles lumini. VOS semper Spiritui sancto resistitis.* Sic bonitas ejus offenditur, si ejus voluntas benefaciendi nobis avertitur: sic Christi meritum evacuatur; sic nostra salus aut perfectio periclitatur: sic dæmon cõtra nos magis prævalet, magis carni servitur quàm spiritui, magis naturæ obtemperatur quam gratiæ, magis mundo quam Christo.

L. de Noe c. 4.

Iob. 24. Act. 7.

Propterea irritatur, commovetur, & contristatur suo modo Spiritus sanctus, sicut filii contristant parentes, aut subditi suos superiores, quando non acquiescunt illorum monitis: unde Apostolus; *Vt cum gaudio hoc faciant & non gementes. Hoc enim non expedit vobis.* Et certè hi possent ut homines aliquando errare in re vel in modo: unde idem Apostolus: *patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros*: at bonitas illa divina nullo plane modo aberrat; & in nobis videt meram malitiam oppositam suæ bonitati, falsitatem veritati: ignaviam suæ solicitudini. Unde Propheta graviter æquè ac piè; *Ad iracundiam provocastis Deum, exacerbastis eum qui fecit vos, contristatis nutricem vestram.* Et rursum Apostolus. *Qui spiritui Gratiæ contumeliam fecerit.*

Hebr. 13. Ephes. 6. Baruch. 4 Hebr. 10.

Nonne hæc tibi satis expressa sunt ad rem indicandam? Quoties verò voluit & noluisti; Quoties vocavit & renuisti?

II. PUNCTUM.

ATQVI per id magis ei resistimus quod nos magis lætificat.

Quid est enim quod nos magis lætificat, quàm quod naturaliter seu secundum inclinationem naturalem magis diligimus, magis appetimus & magis prosequimur *Exultatis in superbiis vestris*, ait S. Jacobus, quando scilicet quam appetitis laudem & gloriam, avidè & peramanter recipitis, hoc est quod valde lætificat: sed malè, inquit idem Apostolus, *omnis exultatio talis maligna est*: Ac proinde nos inde Spiritus sanctus præcipuè revocat, quia illa lætitia est, velut approbatio cupiditatis & quidam consensus illi datus. Nos verò illi tum maximè resistimus; quia natura in eo quod diligit tenacissima est, difficilius cedit, & contra gratiam contendit diutius, unde dicitur *aversio contentiosa*, qua sic à Spiritu sancto avertimur, tumque vel maximè *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem*, nam in his sibi invicem præcipuè adversantur.

Iac. 4. Ibid. Ier. 8. Gal. 5.

Hæc ratio posset urgeri vehementius à detrimentis quæ nobis importantur ex inordinato amoris affectu, quem cæteræ omnes sequuntur passiones, ut est apud Prophetam: *In desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus avertet eam.* Et tunc verè dici potest quod alius refert: *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Atque hoc est propterea quod Spiritus sanctus expugnat vehementius ut dictum est; *Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga. AN putatis quia inaniter scriptura dicat: ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam.* Egregius certè S. Jacobi locus, & fusius revolvendus, ubi apertè ostenditur, quo zelo Spiritus sanctus feratur erga animam in qua inhabitat, & quæ tamen mundo nimis afficitur; zelotypia quædam est, amor sponsi est non ferens consortem & comparem: aut discedat ab illa mundus

Ibid. Ier. 2. Is. 64. Ezech. 24. Iac. 4.

dus anima, aut spiritus inde discedat; *Adulteri nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei?*

III. PUNCTUM.

Quod nos ergo magis latificat, hoc est quod magis contristat Spiritum sanctum: quia videlicet hoc est, quo illi magis resistimus: hoc est quod expugnabat vehementius, & quod à nobis præcipuè volebat tolli: nos verò contra repugnantes & insanientes in medicum, in magistrum & in patrem; ii verè sumus de quibus dictum est: *Ipsi autem exacerbaverunt* Psal. 105. *eum in consilio suo.* Sicut è contra, nihil illum magis lætificat quam quod nos magis contristat, si verè contristati sumus ad pœnitentiam; quemadmodum dicebat Apostolus, 1. Cor. 2. *quis est qui me latificet, nisi qui contristatur ex me?* Aut illum non oporteret esse bonum, & nostri amantem; aut nos oporteret esse dociliores & magis subditos: nam quamdiu ille erit bonus, non desinet hîc nobis bene velle: & quamdiu nos ei resistemus, non desinet contristari, quòd bona ejus voluntas nihil nobis prosit.

Sap. 12. *O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus: ideoque eos qui exerrant, paribus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Sed quàm malus est spiritus noster qui sic resistat bono! Tantine facimus gaudium illud nostrum, ut propterea non timeamus contristare Spiritum Sanctum? *Si propter cibum frater tuus contristatur*, inquit Apostolus, *jam non secundum Charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Quantò hæc verius & justiùs de Spiritu sancto? An verò possis anime, eo lætari gaudio quo ille contristetur? An tu verum & solidum putabis gaudium, quo is contristetur, qui solus dare potest solidum gaudium? An tu possis gaudere, & videre tuo illum mœrentem gaudio, à quo expectas gaudium sempiternum? An possis cum illo vivere & habitare, cum quo tam malè convenias ut quo lætaris, ille contristetur: & quo ille lætatur contristeris? *Nunquid ambulabunt duo pariter nisi* Amos 3. *convenerit eis?* Quod si ad conveniendum simul, necesse est ut alteruter de suo cedat aliquid, cuinam convenit potius cedere? an velles potius Deum tibi concedere quod amas inordinatè, quam te ex illo affectu inordinato decedere? Non times te ab eo tandem deserendum quem non potes retinere, nisi deseras quod ille tantum odit, quantum tu illud amas? Si autem ab eo deseraris, quid facies? quid orabis? quid sperabis? quid vel loqui vel cogitare poteris cùm nihil sine illo possis, cùm nemo possit dicere, *Dominus Iesus*, 1. Cor. 12. *nisi in Spiritu sancto?* Ier. 6. *Erudire Ierusalem ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.*

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

En proferam vobis Spiritum meum. Prov. 1.

O quam bonus est Domine Spiritus tuus! ideoque eos, qui exerrant, corripis. Sap. 12.
Vos semper Spiritui sancto resistitis! Act. 7.

VERITAS PRACTICA.

Peccati contra Spiritum sanctum malignitas sic est singularis, ut multis jam peccatoribus sit communis.

Ratio est, quia peccati contra Spiritum sanctum malignitas, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, in hoc maximè sita est, quòd apertè contra bonitatem Dei peccetur. Sed jam multis peccatoribus hoc est commune, ut apertè contra bonitatem Dei peccent. Hujus ergo peccati malignitas sic est singularis, ut multis jam peccatoribus sit communis. Quod quidem in hac materia præcipuè considerandum est, ut sic facilius unusquisque norit, in quantam veniat hujus peccati partem, ac seriò sibi prospiciat.

I. PUNCTUM.

Divina Sanctissimæ Divinitatis attributa sic tribus indivisim conveniunt sacris Personis, ut quod de una vel af-

firmatur, vel negatur, pari modo de aliis sit prorsus intelligendum. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, sic uniformiter, uno & eodem sensu ac consensu pariter de tribus idem celebratur. §. 6.

Nil propterea tamen obstat, quin ex humano nostro concipiendi modo, quædam Patri præcipuè, tum quædam præsertim Filio, quædam etiam singulariter sancto Spiritui referantur; quia videlicet Pater prius à nobis nominatur, & tanquam origo divinæ communicationis concipitur, ideireo quæcunque sunt potentiæ, potissimum illi assignantur, ut rerum creatarum effectio. Et quia Filius per viam intellectus generatur, ideo quæcunque sunt divinæ Sapientiæ, qualis est rerum conservatio certosque suos in fines mira promotio, dicuntur hujus esse Personæ. Sic denique quia Spiritus sanctus per viam amoris & voluntatis procedit, propterea quæcunque sunt bonitatis & gratiæ, qualis est totius humani generis reparatio, necnon particularis uniuscujusque vocatio, justificatio, glorificatio; divinus ille esse dicitur spiritus, qui singula prout vult singulis dividit & largitur.

Atque hinc fit, ut quæcunque peccata divinam hanc præsertim bonitatem impetunt, præsertim etiam in Spiritum sanctum dicantur perpetrari: non quòd in alias duas non peccetur Personas, sed in tertiam potissimum eo sensu, quo de illa potissimum bonitas prædicatur. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in diem redemptionis.* Id est, per quem accepistis gratiam sanctificantem. Neque verò etiam ullum omnino peccatum admittitur, quin adversus Dei bonitatem committatur, verèque omni dicatur peccatoris; *contristasti nutricem tuam*, id est, bonitatem divinam te sustentantem: sed sicut effusior aliquando est illa bonitas & miseratio largior, ita tùm projectius in hanc peccatur, & tum maximè peccata dicuntur in bonitatem atque in Spiritum sanctum, cùm sic directius & apertius divinæ gratiæ pessundantur. *An divitias bonitatis ejus contemnis?*

Ephes. 4.

Bar. 4.

Rom. 2.

Sic sanctus Thomas diversis ea de re productis opinionibus, illorum sententiam refert & sequitur, *qui dicunt peccatum vel blasphemiam esse, quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritui sancto, cui appropriatur bonitas, sicut Patri appropriatur potentia, & Filio sapientia. Unde peccatum in Patrem dicunt esse, quando peccatur ex infirmitate; peccatum verò in Filium, quando peccatur ex ignorantia, peccatum autem in Spiritum sanctum, quando peccatur ex certa malitia, id est, ex ipsa electione mali.* Et nonnullis interjectis, explicans illam malitiam; *Contingit ex eo*, inquit, *quod per contemptum abjicitur & removetur id, quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, & timor per præsumptionem.*

2.2.q.14. a.1.

Quæ sancti Doctoris verba sunt valde observanda. Unde tandem concludit, *quod sicut illa, quæ peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus sancti, sic à se illa removere, est malitia quædam singularis, ex qua qui peccat, peccat in Spiritum sanctum.*

Quanta sit autem illa malitia sive malignitas vel culpæ vel pœnæ consequentis, satis evidenter expressit Dominus, quando dixit peccatum esse, *quod non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro*; Quod sanctus Marcus ad peccatorem referens, sic ait, *non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Quæ formidanda Domini verba sic idem sanctus Thomas intelligenda quoad culpam fusè declarat, *Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis, secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, putà cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicinæ, licet talem morbum Deus possit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur.* Et paulò post in responsis ad objecta: *Liberum*, inquit, *arbitrium remanet quidem semper in hac vita vertibile, tamen quandoque abjicit à se id, per quod verti potest ad bonum, quantum in ipso est, unde ex parte sua peccatum est irremissibile, licet Deus remittere possit.*

Matth. 12. Marci 3. 2.2.q.14. a.3. ad 3.

Quod quia plurimi refert probè intelligere, sic sancti Doctoris sententiam eruditus illustrat Estius in commentariis. *Sensus est*, inquit, *quod ejusmodi peccata nihil in homine relinquant, ex quo sperari possit eius pœnitentia, & per consequens, peccati remissio. Nam qui peccat etiam graviter ex ignorantia, præsumitur convertendus, si veritatem esset edoctus; qui autem ex infirmitate peccat, præsumitur acturus pœnis-*

Marci 3.

pœnitentiam, ubi vehemens carnis passio transierit. At qui sciens & prudens ex destinata voluntate peccat, nihil ejusmodi relinquit, ex quo spem resipiscentiæ eius concipere liceat. Et fortasse hoc
1.Ioan.5. *est peccatum ad mortem de quo Ioannes in prima Epistolæ, capite quinto.*

Sunt verò innumera quæ ex scripturis proferri possent ad hoc ipsum confirmandum testimonia. *Si mutare potest Æthiops pellem suam,*
Ier.13. *aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Multo labore sudatum est & non exivit de ea nimia rubigo eius,*
Ezech.24 *neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & nos es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. Ego Dominus locutus sum, veniet & faciam. Non transeam, nec parcam, nec placabor; iuxta vias tuas*
Osee 6. *& iuxta adinventiones tuas iudicabo te dicit Dominus. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Id est, quicquid gratiæ contulero tam parum in vobis durat & agit, quàm parum nubes evanida vel ros matutinus qui primo sole siccatur. *An divitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis iusti iudicii Dei.* Vide hebræorum sexto, tum decimo. Ex quibus & aliis, quæ satis ubique patent, qui non videat quàm sit singularis malignitas hujus peccati, tantò magis in seipso id probat, quantò minus videt.

II. PUNCTUM.

Sed iam multis peccatoribus, tibi forte Lector atque Auditor, hoc est commune & familiare, ut apertè contra bonitatem pecces.

Cum enim contra bonitatem apertè peccare nihil sit aliud quàm apertè scire & sentire primò quidem quod peccetur, deinde verò quod peccetur contra conscientiam, contra manifestum rationis lumen, contra revocantes divinæ motus gratiæ; nonne hoc multis cõmune est, ut sic præfractè peccent? Quodcunque tandem sit peccati genus ac species; sive sit superbia, sive invidia, sive luxuria, sive avaritia, gula, ebrietas, aut quod simile vitium: primò quidem quando ex ipsa naturæ proclivitate patratur, simplex ac nudum est vitium contra virtutem sibi oppositam; sed procedente tempore cum peccator per gratiam resipiscit, cum iterum labitur, iterumque multiplicatis sæpe actibus cadit & resurgit, ac jam non sola fragilitate, sed malitia, sed impulsu pravæ voluntatis contra pungentes animi stimulos ipse se in peccatum sciens volens præcipitem agit; tunc illud peccatum, illud ipsum quod ex suo ante genere peccatum fuit luxuriæ vel avaritiæ, fit peccatum contra Dei bonitatem, nempe contra tot lumina, tot gratias, tot bonos motus quibus peccatum emendaretur, & quibus omnibus peccator restitit; mutatur quodammodo peccati species, aut antecedente nova ista circumstantia bonitatis divinæ toties impugnatæ sic aggravatur, ut aliud coram Deo censeatur quàm reputatum esset, si talis peccandi ratio non interveniisset. Quanta est enim bonitas Dei, sic multoties delinquentem avocare, deterrere, complecti, fovere, ac singularibus demereri gratiis, tanta est ejus malitia, tantaque delicti labes & secutura pernicies.

Quia vocavi, & renuistis; observa illud *quia*; sic enim suam Deus nostræ opponit malitiæ bonitatem, & idcirco graviorem sibi videri ait talem malitiam, quia tali repugnat bonitati. *Prov.1.*

Atque ut teipsum hìc agnoscas, dic quotum agis annum? quibus subjaces vitiis? à quo incipiunt dominari tempore? quoties inde fuisti revocatus? quantis propterea lancinatus animi stimulis? Ignorasne te peccare? desuntne tibi præsidia seu motiva quibus peccatum caveas? an illa tibi proponis vel abjicis? fatere quod est. Nonne sæpius in ipso peccati procinctu pedem retrahis, quasi nolens quod perpetras crimen: quasi audires contra monentem, quasi videres minitantem, quasi sentires avertentem? Et tamen, quæ est audacia tua, non desistis à crimine, non inde revocas animum, contra stimulum calcitras, nec quiescis donec opere compleas quod mente percepisti! Quid tu jam vocas istud peccati, nisi certæ cujusdam malitiæ divinam impugnantis bonitatem? Quid aliud dicebat sanctus Thomas cum supra definiret istud peccatum, vel peccatorem? Nonne hoc uno veluti charactere designabat ejus malitiam animi, *quòd removeret à se id quod electionem peccati poterat impedire, velut timorem, præsumen-*

do de Dei bonitate? At nonne hoc ipsum est in quo peccas? nonne sanctum illum peccandi timorem, quem Deus injicit, tu peccando abjicis & pessundas? nonne tibi fingis Deum ita bonum ut peccatis sit potius indulturus quã iraturus? *Existimasti iniquè, quod ero tui similis*; Nam si timeres, si divinam reformidares justitiam, non ita præceps rapereris, quo te libido concitat. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absq; timore ullo filii hominum perpetrant mala.*

Ps. 49.

Eccl. 8.

III. PUNCTUM.

Sic est igitur singulare peccatum quod dicitur in Spiritum Sanctum, ut sit tamen multis commune peccatoribus. Singulare est in sua specie, singulare est in sua malitia, singulare est in sua consequente pœna; sed commune est & familiare tam multis, quàm multi sunt qui contra bonos illos motus à peccato avertentes, non timent sæpe obsistere & scientes volentesque peccare; *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus:* hoc enim ipse peccandi actus dicit, hoc ipso efficitur peccati facto. Repulsus recedit Deus, & viarum ejus scientia repudiatur. Quàm multi porro sint, qui sic liberè vivant & peccent, tam evidenter patet, ut vix de mundo sint alii, qui non sic liberè vivant & peccent. *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.*

Job 21.

Jer. 8.

Quid verò inde sequitur, nisi quod peccatum illud quod multi leve putant, sit valde grave ac damnosum? *Elatio quippe contemnentis atque impœnitentis obstinatio*, inquit sanctus Bernardus, *in minimis quoque mandatis, culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis, navum satis levem simplicis transgressionis.* Non jam attenditur quid peccetur, sed qua fronte, quo animo, qua libertate peccandi. Non arguit peccatores illos divina justitia, quod le obscœnis inquinaverint cogitationibus, quod pecuniæ, quod deliciis plus æquo sese dederint; nihil horum commemorat, sed quod *extenderit manum suam, & non fuit qui aspiceret, quod despexerint omne consilium suum, & increpationes suas neglexerint.* Hoc illa in peccato considerat, hoc expendit & in judicat; hoc unum denique est, unde hæc peccatoribus tam gravis pœna decernitur: *Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit, cùm irruerit repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc invocabunt me & non exaudiam, mane consurgent & non invenient me; eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ;* Quasi non sufficeret primò vel semel dixisse, hanc eorum esse peccati pœnæ causam, quòd oblatas neglexerint gratias; rursus hoc repetit, & primum ac postremum hoc ut intelligamus latagit, & omnimodo provident, quia hoc uno maximè decipimur, quod quam ingravescant indies peccata nostra, quamque formidando interitu sint castiganda, non ponderamus.

Lib. de præcepto & dispens. c. 14.

Prov. 1.

Quapropter aptè Apostolus, dum ipse ait, *quapropter sicut dicit Spiritus sanctus; hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Fit quæ plura pergit ex psalmo regio: unde tandem concludit, *videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discendendi à Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.*

Hebr. 3.

Psal. 94.

Perpende singula: vide cur vocet in fidelibus cor malum incredulitatis. Nempe dum peccant, non credunt se tam graviter velle peccare, ut discedant à Deo vivo, privati ejus gratia & sempiterna gloria; nolunt sibi hoc persuadere, ne à peccato detrectentur; quod certè incredulitatis genus est, & certum malicordis signum, cui placet peccatum.

Deinde verò considera, quàm opportunè dicit, *adhortamini vosmetipsos*, nam quod extremum est humanæ malitiæ, sese mutuis hominum sermonibus adhortantur ad vitia, nec si adessent pravitatum probatores, vix essent pravitates. *Defecit sanctus, diminutæ sunt veritates à filiis hominũ: vana locuti sunt unusquisq; ad proximum suum. Venite & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.* At cõtra, inquit Apostolus, aut simili si vultis modo in re dissimili, vosmetipsos excitate per singulos dies, donec hodie cognominatur. Quid verò istud, *donec hodie*? Singuli forte dies, donec hic vivitur, possent intelligi, cum donec expirent homines, non expiret tempus gratiæ, non misericordiæ cesset dies. Verùm cùm alludat ad verba Psalmi, *hodie si vocem Domini audieritis*, non alio sensu intelligendus est Apostolus quàm ipso Psalmistæ Regii, qui manifestè nobis indicat dies esse

Ps. 11. Sap. 2.

esse aliquos, quibus apertius vox è cœlo fundatur, quam audire homines tanti referat, quanti recipere vel negligere, quæ cum illa voce simul offeruntur dona cœlestia. Non ita quidem semper certo ac definito tempore concluduntur illæ supremę monitiones, quin se in plures extendant dies: At non ita verò sese illi effundunt dies, quin sæpe contrahantur & contenebrescant; quamobrem ab illo ipso sancto Spiritu, qui luminum & gratiarum est divisor & donator, admonemur ut *donec hodie cognominatur*, quo is videlicet die lumen & vocem effudit, tum arrectos mentis oculos atque aures habeamus, ne quid ex oblatis gratiis nobis depereat. *Nolite obdurare corda vestra*, nolite sic prolatare conversionem, quasi alias cùm libuerit, tanta possitis facilitate converti. Quod Christus Dominus
Ioan. 12. apertè dixerat, *ambulate dum lucem habetis, ut*
Matt. 24. *non vos tenebræ comprehendant. ORATE ut non fiat fuga vestra hyeme aut sabbato.*

Si quis autem illustris dies, si quis ex illis unus est fortunatis & serenis, quibus nobis illuceat & loquatur Dominus, certè est hodiernus, quo effusi quondam Spiritus sancti memoria non alio præsertim nomine celebratur, quàm ut eandem pro captu nostro participemus gratiam. Quamobrem hodie qui vocem ejus audivistis, nolite obsurdescere, nolite obdurare corda vestra, ne fortè nunquam audiatis. En vox hodierna quam audistis; peccatum vestrum, nisi diligentius cum gratia caveatis, *peccatum est in Spiritum sanctum*, peccatum est contra bonitatem Dei, peccatum est ex certa quadam malitia, peccatum est quod vix remittetur, peccatum est in quo moriemini si persistitis in eo vivere. Si contra hanc vocem cor induratis, cor illud
Eccles. 3. erit durum, de quo Sapiens; *Cor durum habebit malè in novissimo: & qui amat, peri-*
Prov. 1. *culum in illo peribit. CONVERTIMINI ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum*, quo id scilicet nunc possitis facere, quod postea vobis erit tam arduum, ut posse desperetis: eò enim tandem devenitur, & penè omnis in desperationem transit præsumptio. Sicut nempe qui nimis differt, se semper posse præsumit; sic quando nimis distulit, jam se posse desperat. Nunc ergo donec dies
Ezech. 18. est, donec hodie cognominatur, *convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum; & quare moriemini domus Israël, quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, revertimini & vivite.*

Jungendus verbis affectus & effectus affectui.

Vide in 1. parte pro hac singulari materia, Dominicam 4. Adventus. In 2. Dominicam Septuagesimæ. In 3. Dominicam 9. In 4. Feriam 5. hebdomadæ 19. & diem 22. Septembris, in Festo sancti Matthæi, ubi habetur hæc Veritas:

Qui differt sequi gratiam, spiritui gratiæ contumeliam infert.

Quod si quis forte contenderet, quæ hìc dicta sunt de peccato in Spiritum sanctum, tum vera tantum esse, quando peccatum illud cum blasphemia conjungitur: sit veritas sequens, præcedentis confirmatio, & difficultatis solutio.

Qui peccant in Spiritum sanctum, vix peccant quin blasphement.

Ratio est, quia blasphemare in Spiritum sanctum hoc esse dicitur, quando aliquid de illo affirmatur, quod non est, vel negatur quod est. SED qui peccant in Spiritum sanctum, prout ordinariè modo peccatur, vix peccant quin affirment de illo quod non est, vel id negent quod est; ERGO & vix peccant quin blasphement, quod est horrendum dictu.

Totus discursus ex Divo Thoma colligitur, locis annotatis, ubi de hac expresè materia. Prima quidem propositio nullam difficultatem habet, & volenti rem explicare fusiùs, præsto sunt apud sanctum Doctorem variæ species, quibus universim in Deum, & particulatim in Spiritum sanctum blasphematur. 2.2. q. 13. & 14.

Secunda verò propositio sic declaratur: qui modò peccant in Spiritum sanctum, his tribus modis, ut plurimum peccant, in quibus sigillatim ostenditur vix illos peccare quin affirment vel negent falsum de hac divina persona.

Primus est, qui jam supra est explicatus, quando removentur illa quæ peccati electionem possent impedire, vel quæ pœnitentiam possent inducere; tunc sine dubio peccatur directius in Spiritum sanctum, quia ille est,

qui bonitate sua nos à peccato committendo retrahit, vel à commisso revocat: unde illud
Sap. 11. ex sapientia semper memorandum: *O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! ideoque eos qui exerrant, paribus corripis, & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Econtrà verò exclamandum: ô quàm malignus & durus est peccator, qui tantæ bonitati resistit! Sed quàm sit etiam blasphemus & impius, sic demonstratur, quia sic peccantem hominem si roges, cur ita benignè avocantem à peccato repudiet Spiritum sanctum; vel negabit se tantam experiri bonitatem, vel si tantam experitur, affirmabit se sperare semper illum tam bonum fore Deum, ut quoties ipse peccator velit resurgere, velit & bonus Deus, atque ita non timeat, & stimulum si quem sentit, retundat. *Sic stultus tuansilit & confidit,* ut
Pr. 14. ait Sapiens. At nonne hoc est vel negare verum vel affirmare falsum de Spiritu sancto? Quid verius quàm quod de hoc divino spiritu jam dictum est, quod peccatores à pravitate avocat, & quid proinde falsius quàm id negare? Quid deinde magis oppositum sacris scripturis, quàm negare divinam justitiam, aut eam affirmare bonitatem, quæ tota peccatis sic blandiatur & indulgeat, nunquam ut illa puniat, nunquam ut peccatorē destituat illis auxiliis, quibus ante fovebatur, cùm expressè sit scriptum;
Eccles. 5. *ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor; de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum; & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore iræ disperdet te.* Poteratne Scriptura gravius & expressius denunciare quàm timenda esset peccatori justitia, & quàm formidanda præsumptio, qua sibi palpat peccator de impunitate peccati? Potestne verò quidquam magis falsum de Spiritu sancto dici, quàm quod magis oppositum dicitur ejus verbis?

Secundus modus, in quo præsertim jam peccant homines contra Spiritum sanctum, est impugnatio veritatis agnitæ vel ità manifestæ, ut illam qui non vident, nolint videre. Nolunt intelligere, ut bene agant. Taies sunt non illi modò, qui à fide catholica sunt alieni, sed quotquot moribus suis repugnant Evangelio, nonne & verbis illud impugnant, quibus sese tueantur in illis suis moribus? quid clarius quàm quod de beata prædicatur paupertate? de beatis miseriis & injuriis injustè ac patienter latis? quis tamen se in illis fœlicem credat? quis è mundo paupertatem tanquam summum malum non detestetur potius quàm se in illa beatum putet? quis illatas sibi non doleat quantumvis leves injurias? quis se denique vel de mundo esse censeat, licet totus sit in explendis concupiscentiis? vel se de mundo esse, quis pernicioſum putet, licet apertè mundus sit in Scripturis proscriptus & damnatus? Jam verò si tam apertæ repugnare scripturæ sit apertam impugnare veritatem, & peccare in Spiritum sanctum, ut expressè docet Divus Thomas ex *q.14. a.1.* sancto Augustino, nonne est simul negare *Ioan.* 14. verum & affirmare falsum de sancto illo Spiritu, qui est *spiritus veritatis quem mundus non potest accipere*, quia se illius veritati opponit?

Tertius denique modus est, quo pene omnes peccant, cùm vix unus sit, qui non sibi optet ingenium præstans & sublime, & vix tamen ullus sit qui Spiritum sanctum hoc sibi optet nomine, licet illo nullum præstantius & sublimius possit esse ingenium. Nonne si quem videres expressè affirmantem posse aliquid Spiritu sancto reperiri præstantius, non dubitares illum affirmare falsum, & mentiri, & peccare in divinam illam personam? Tu verò qui humanum & naturale ingenium quo posses esse doctus, eloquens, & mundo illustris magis optas quàm illud spirituale, quo posses esse humilis, pauper, abjectus & patiens: quid hoc esse putas nisi affirmare aliquid præstantius divino Spiritu? Quod enim illud tibi magis velles quàm istud, non alia profectò potest esse causa, quàm quod illud putares tibi melius, tibi vel commodius vel honorificentius vel delectabilius. At quæso te, quandoquidem illud ut aliquid melius optas, nonne hoc ipso affirmas esse melius? Fieri ne potest ut aliter aliquid magis optes, quàm ut simul existimes majus esse bonum? Cùm enim bonum sit quod omnes appetunt, certè illud, quod quis magis appetit, majus illi bonum videtur, nec aliter magis appetit, quàm quod ita videtur. *Omnia* *1. Thess. 5.* *probate, quod bonum est tenete*, inquit Apostolus,

lus, postquam expressè dixit: *Spiritum nolite extinguere*, quasi diceret, si qua donorum naturalium cum spiritualibus fiat comparatio, cavete naturalia spiritualibus præferatis; quod bonum est, tenete, nempe quod est spirituale, quod est à bono & sancto Spiritu. Tu verò, qui aliud censes, nonne falsum censes de illo divino Spiritu? nonne illum arguis de judicio quasi sit infirmius, quasi tantum sectetur humilia, despecta & vulgaria; sicut ille mundum arguit de judicio quod sit superbum, arrogans, animale, vanum & diabolicum? ô divina & humana judicia, quàm sunt dissita, quàm sunt disparia, *sicut scilicet exaltantur cœli à terra.* Isa. 55.

Sic igitur qui modò peccant in Spiritum sanctum, hoc ipso contra blasphemant, quo peccant: aut vix certè peccant quin blasphement, quia modò tribus illis modis, qui recensiti sunt, frequentius contra peccatur, quibus qui peccant modis, pene semper unà simul affirmãt aut negant aliquid secus quam sentiendum esset de divino Spiritu, quod est propriè blasphemare, quo sensu in Scripturis usurpatur. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum omnis populus.* Tam grave scilicet crimen est, ut neque minoti sit expiandum pœna. Nunc illa verò corporalis in spiritualem pœna mutata est, & tantò magis aucta quantò spiritus anteit corpori, & quantò æternitas tempori; dicente Domino: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum.* Id est, qui peccaverit quo jam solent modo peccare frequentius, qui peccant in illum divinum Spiritum. Levit. 16. Marci 3.

Hi sunt illusores, de quibus Princeps Apostolorum, *venient in novissimis diebus, in deceptione, illusores: juxta proprias concupiscentias ambulantes*, quibus scilicet ut liberius indulgeant, illudunt sacris omnibus dictis, quibus inde averti possent. Et licet nihil ore proferrent, hoc ipsum tamen corde loquuntur & cogitant, hoc ipsum suis præ se ferunt operibus, unde est blasphemia cordis, oris & operis, ut ait sanctus Thomas, cujus verba sunt valde observanda; *Sicut*, inquit, *confessio fidei non solum consistit in protestatione oris, sed etiam in protestatione operis: ita etiam blasphemia Spiritus sancti potest considerari in ore, & in corde, & in opere.* Unde illi omnes qui vitam agunt repugnantem illis veritatibus, quas manifestè docet Spiritus sanctus; tametsi nihil aliud contra dicerent aut cogitarent, vita eorum loquitur, vita eorum tam verè blasphemat & irritat sanctum Domini, quàm suis verè operibus impugnant & cognitam veritatem. *Cui exprobrasti & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, vitam tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israël! NUNC verò deponite & vos omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, & turpem sermonem de ore vestro.* 2. Pet. 3. §. 14. n. 1. ad 1. 4. Leg. 19. Col. 3.

De aliis verò quæ generatim spectant aut quæ referri possunt ad solennitatem hodiernam, vel ad materiam de Spiritu sancto, præsto sunt hæ sparsim expositæ Veritates.

Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.

Nunquam est amor Dei otiosus.

Amor non nisi amore compensatur.

In 1. parte, Feria 4. 6. & Sabbato hebdomadæ 3. in Adventu.

Sic charitas & constantia simul junctæ constant, ut nisi sint simul junctæ, non sibi constent.

In 2. p. Fer. 5. hebdomadæ Sexagesimæ.

Colloquendo de divinis, quantò magis luces quàm ardes, tantò minus in te lucet divina charitas.

In 2. p. Feria 6. hebdom. 2. post Paschæ.

Aut nulla aut tota est charitas in agendis, sicut fides in credendis.

In 2. p. Feria 4. hebdomadæ 4. post Paschæ.

Affectum probat effectus.

In 3. parte, Feria 2. hebdom. 9.

Tantò unusquisque est magis aut minus bonus & sanctus, quantò magis minusve participat de Spiritu sancto.

In 3. p. die 11. Junii de S. Barnaba qui dictus est vir bonus & plenus Spiritu sancto.

Diminutio cupiditatis augmentum est charitatis; & augmentum cupiditatis diminutio charitatis.

In 3. p. Dominica 17. ubi & plura de charitate.

Huc etiam referri possunt, quæ tota sequenti hebdomada continentur.

FERIA

FERIA SECVNDA.

DE PRIMA PRÆDICATIONE SANCTI Petri ad Iudæos:

Et de dono Intellectus.

Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea, &c. Act. 1.

VERITAS PRACTICA.

Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui.

Sensus & ratio est, quia quod intellectus confert actioni seu virtuti exercendæ, est cognitio eorum, quæ sunt necessaria ad illius virtutis exercitium.

Sed ipsa virtus exercita, refert illam cognitionem, seu multum confert ad illam ipsam cognitionem augendam.

Ergo quod intellectus cõfert actioni, hoc actio refert intellectui: ac proinde si ad veritatem practicam requiris intellectum, require magis ad intellectum, veritatem practicam.

I. PUNCTUM.

CUm loquentes Apostolos omnium gentium linguis magnalia Dei, quidam è Judæis irriderent & dicerent eos esse musto plenos & ebrios, tùm sanctus Petrus commodam inchoandæ prædicationis nactus occasionem, silentium postulat. Et mox: *Non sicut vos æstimatis, inquit, hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël, Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus: effundam de spiritu meo, super omnem carnem.* Vide quæ fusius prosequitur, & mirare primò, quanta facilitate Prophetias & Psalmos referat & intelligat. Deinde quanta fœlicitate persuaserit quod volebat de Domino Jesu, adeo ut statim post finitam concionem, *compuncti corde dixerint, quid faciemus, viri fratres? Petrus autem ad illos; pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrùm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*: Et post multa: *Salvamini à generatione ista prava. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Hic erat status nascentis Ecclesiæ, & in eo manifestum apparebat donum intellectus, quo non tantum Apostoli, sed & ipsi Judæi tam cito intellexerunt quæ audierunt, & tam ferventer executi sunt quæ intellexerunt. *O quàm velox est sermo sapientiæ*, ait sanctus Leo, *& ubi Deus magister est, quàm citò discitur quod docetur.* Serm. 1. de Pent.

Valde exoptandum est istud donum intellectus ad veritates nostras practicas exercendas; sed & ipsæ veritates celeberrimè sunt exercendæ ad recipiendum vel augendum istud donum. *Nam quod praxi seu actioni confert intellectus, hoc ipsum actio refert intellectui*, nempe cognitionem eorum omnium, quæ sunt ad illius veritatis aut virtutis exercitium necessaria: seu ad quamlibet actionem ritè peragendam.

Cùm enim actionis cujuslibet perfectio multum dependeat à circumstantiis personæ, loci, temporis, finis, modi & aliis; plurimaque inde dubia & difficultates nasci possint, nisi animus cœlesti quodam lumine collustretur; hoc lumen confertur dono intellectus, cujus proprium est *intus quodammodo legere*, ut ait sanctus Thomas, quæ alioquin nec in Scripturis, nec in libris, nec naturali nec fidei lumine capi possent. *Quæ sunt Dei*, inquit Apostolus, *nemo cognovit nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Itaque crebrò cum 2. 2. q. 8. 1. Cor. 2.

Davide

Davide dicendum: *Da mihi intellectū & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Et iterum; *Da mihi intellectum, & discam mandata tua.*

Ps. 118.
Ibid.

II. PUNCTUM.

SEd ipsa virtus exercita refert illam cognitionem, seu multum confert ad illam ipsam cognitionem augendam.

Hoc sacra passim Scriptura, hoc sancti Patres, hoc ratio & experientia manifestè probant. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*; id est, verè illi sapiunt qui faciunt quod intelligunt; & faciendo prout intelligunt, merentur intelligere quod melius & perfectius agant. Sic datur manibus intellectus & consilium, ideoque de se suisque David affirmabat: *In intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Et Sapiens de forti muliere: *Operata est consilio manuum suarum*: nempe secundùm intelligentiam quam agendo percepit. Unde & idem Sapiens: *Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia.* Itemque alibi: *Post industriam sequetur sapientia.* Quod & Psaltes regius sibi plurimum profuisse testatur: *Super omnes docentes me, & super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.* QVIA enim, inquit S. Gregorius, *studuit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret.* Idemque in illud Proverbiorum, *præpara foris opus tuum, diligenter exerce agrum tuum: SVNT nonnulla*, inquit, *cogitationis acumina quæ ex operatione nascuntur: sicut ab animo opus sumitur, ita ab opere animus eruditur: Mens imperat bona quæ fiant, sed ipsa suis exercitata actionibus, discit cùm imperare bona inchoaverat, quantum minus videbat.* Quod & ante in libris Moralium sic clarius expresserat: *Qui & idcirco ad intelligentiæ alta perveniunt, quia agere quæ intellexerunt, vel minima nulla contemnunt, & dum sensa summanibus adjuvant, se ultra altitudinem ingeniosorum levant*; unde bene per Salomonem dicitur: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis: quia illò simplex per intentionem recti operis pervenit, quò ingeniosus minimè ascendit.* Sic sanctus Augustinus ad illa verba Domini volentis lavare pedes Petri, *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autē postea. CVM scilicet meo exemplo lavabis aliorum pedes, hoc ipsum quod modò facio ad humilitatis praxim melius intelliges.*

Ps. 118.
Ibid.
Ps. 110.
Ps. 77.
Pr. 31.
Pr. 9.
Eccles. 10.
Ps. 118.
11. Mor. 9.
Pr. 24.
10. Mor. 16.
6. Mor. 4.
Prov. 30.
Ioan. 13.

Quid, quod tres omnium sapientissimi viri, sic dicuntur actione & exercitio cognitionem rerum percepisse? Certè Adamo infusa erat scientia pene infinita, & tamen ex arbore scientiæ boni & mali, *didicit*, ut ait sanctus Augustinus, *per experientiam quid esset bonum & malum*; ac proinde sic dictam illam arborem volunt, quòd inde deducta esset scientia quædam experimentalis boni & mali.

In Ps. 70.

Quis Salomone doctior & sapientior? Tam multa tamen se per actionem & experientiam didicisse profitetur, quanta hæc quæ sæpe usurpat verba significant, *tentavi, vidi, didici, intellexi, ecce hoc inveni*: & similia.

Eccl. 2.

Quod & magis mirum de Christo Domino, *in quo cùm essent omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; & cùm esset filius Dei, didicit tamen ex iis quæ passus est, obedientiam*, inquit Apostolus; tùm paulò post quod subjungit, vide quàm aptum: *perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali*: quasi diceret, hi sunt, qui perfectè intelligunt quid sit bonum & malum, qui sese exercent in illo faciendo & hoc declinando. Unde non est mirum, si tam parùm in divinis intelligas, qui tam parùm operaris.

Coloss. 2.
Hebr. 5.
Ibid.

III. PUNCTUM.

QVod igitur intellectus confert actioni, hoc intellectui refert actio: Et ad veritatū praxim si requiritur intellectus, ad intellectum etiam requiritur praxis, qua fit ut omnia melius cognoscantur. *Intellige quæ dico*, ait Apostol⁹ suo Timotheo, post commendatum impensè laborem; tum verò subdit, *dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectū*; ut scilicet melius illa intelligas operando, quàm dum ipsa te doceo. Atque idcirco idem Apostolus tàm sæpe omnibus Christianis, ut opere exercerent quod docebantur, inculcat: *Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus*; SICVT *ergo accepistis Iesū Christū Dominū, in ipso ambulate. QVÆCVNQVE sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscū.*

2. Tim. 2.
Hebr. 2.
Col. 2.
Phil. 4.

Atque universim Apostoli non tam multa prædicabant, quàm multum inculcabant

Act. 14. semel dicta, ut observarentur, *Confirmantes animas Discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide.* Quod in ipso nascentis Ecclesiæ exordio magis mirum est, ut supra retulimus, cùm vix unum aut aliud præceptum docuissent Apostoli, dicuntur tamen omnes fideles *perseverare & perdurare in doctrina Apostolorum*, quasi jam doctrinam Christianam universam plenè didicissent; sed non tàm multa scienda sunt ut faciamus, quàm multa facienda sunt ut sciamus. Exequamur pauca quæ novimus & plura cognoscemus. *Quia verò plures magis scire desiderant, quàm bene vivere,* inquit Thomas à Kempis, *ideo sæpe errant, &*

1. de Imit. Chr. 3. *pene nullum vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicut ad movendas quæstiones!* Tibi, tibi hæc dicuntur.

Ad Evangelium Feriæ: *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Joan. 3. Vide in 1. parte, Feriam 2. primæ Adventus hebdomadæ: Ubi quæ de dono Filii dicuntur, accommodari rectè possunt dono Spiritus sancti: Quamquam, his diebus, non tanta debet haberi ratio propositi Evangelii, quanta Solennitatis exhibitæ, cui deserviunt non modò quæ suprà jam ipso die Dominico dicta sunt, sed quæ singulis hujus hebdomadæ Feriis referuntur.

FERIA TERTIA.

DE PRIMO VIVENDI GENERE nascentis Ecclesiæ:

Et de dono Scientiæ.

Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Act. 2.

VERITAS PRACTICA.

Qui eminentior est in hac eminenti scientia, minus inter homines eminere cupit.

Ratio est, quia eminere in hac scientia est, perfectè cognoscere tantùm res humanas valere, quantùm valent ad salutem.

Sed qui perfectè id cognoscet, non optabit inter homines eminere.

Ergo neque is, qui hac in scientia eminebit; quod certè est consideratione dignissimum.

I. PUNCTUM.

HOc erat primum vivendi genus nascentis Ecclesiæ, ut quotquot crederent, simul omnes conviverent, simul omnia sua conferrent, quæ omnibus essent communia, nihil ut suum quisquam diceret, sed singulis divideretur quod cuique videretur opus, ô cœleste & divinum vivendi genus! tanta erat certè in admiratione apud Judæos, ut tametsi non crederent, credentes tamen idcirco venerarentur quòd ita viverent. Sic apertè Divus Hieronymus ubi de S. Marco & primis Christianis: *Philo,* inquit, *disertissimus Judæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ, librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Ierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic & ille quod Alexandriæ sub Marco fidei Doctore cernebat, memoriæ prodidit.* l. de Script. Eccles.

Quàm verò jam mutatæ rerum vices! quàm pauci modò sic suarum rerum contemptores! quàm multi retinentes! Sed nunquid mutatum Evangelium? nunquid mutata veritas, nunquid mutatus Christus? planè idem *heri & hodie, ipse & in sæcula,* inquit Apostolus, Hebr. 13. seu illud est quod Propheta monuit: *Iudicium Domini cum habitatoribus terræ: non est enim veritas & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Donum erat scientiæ, quo sic primi Christiani humana omnia contemnebant, quemadmodum de se Apostolus tam expresè affirmat: *Veruntamen existimo* Osee 4. Phil. 3.

omnia

omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Dicitur eminens scientia, quia valde eminet in vita Christi, & valde eminentes facit eos, qui sic omnibus rebus creatis supereminent. Sed tamen quod mirum est & valde considerandum; *Qui eminentior est in hac scientia, minus eminere cupit inter homines.*

Quod ut intelligatur, perpendendum accuratè quid sit eminere in hac scientia, nempe id perfectè cognoscere, tantùm res humanas valere, quantum valent ad salutem & perfectionem. Sic apertè sanctus Thomas, *Ad scientiam*, inquit, *propriè pertinet rectum judicium creaturarum*; Tum ibidem: *Homo per rectum judicium scientiæ, creaturas ordinat in bonum divinum.* Quasi diceret paucis his verbis, quod alii fusius, quisquis ex hac scientia de rebus creatis & humanis judicat, de his rectè judicat; & qui de his rectè velit judicare, debet ex hac scientia judicium sumere, quæ propterea scientia animæ dicitur de qua Sapiens: *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.*

Jam verò qui rectè de his judicat, non aliter eas æstimat nec aliter valere videt, quàm prout valent ad salutem seu bonum divinum, ad hunc enim finem sunt omnia condita; unde sequitur non aliud esse eminere in hac scientia, quàm sic perfectè cognoscere tantum res humanas valere, quantum valent ad salutem, quia hoc solum est rectè de his judicare.

O scientiam divinam supra cæteras verè eminentem! ô quàm verè sapientissimus hominum dixit, se *stultissimum esse virorum*, quòd careret illa, quam vocat, *sanctorum scientia*, hinc etiam ab eodem aptè dictum de Domino, quòd *justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum*; nempe hæc est scientia qua sancti per vias rectas deducuntur inter hujus vitæ prospera & adversa, sic utrisq; utendo quantum prosunt saluti comparandæ.

II. PUNCTUM.

Sed qui id perfectè cognoscet, non optabit inter homines eminere. Quo scilicet modo naturaliter desideratur ad vanitatem, ad jactantiam & æstimationem; nam cùm hæc nihil prosint, imò valde obsint ad salutem, quomodo is ea desideraret, qui non aliter res æstimat & cupit, quàm prout ad salutem valent? Certè si pro salute aliena, si pro juvandis proximis, si pro defensione Ecclesiæ & veritatis, ac denique si ob similem aliquem bonum finem vellet quis eminere, ut, quantò plus eminet, tantò magis prodesse posset, laudabilis esset cupiditas: sed quotus quisque est qui sic purè & sincerè aliis præeminere velit, & non potius præesse quàm prodesse cupiat? Quod cùm ad salutem tantum obsit, quantum cupiditas vehementius exardescet, nonne is qui probè id cognoscet, id omnino non optabit: aut saltem salutem negliget?

Nunquid possum deserere pinguedinem meam, dulcedinem meam, & bonum meum, ut inter ligna cætera promovear? Sic oliva, sic ficus, & vitis dixerunt alias lignis se in Regem suum volentibus constituere, ut refert apologus in libro Judicum. Quantò tu verius: Nunquid possum deserere vocationem meam, salutem meam, pacem meam, & Christum meum, ut inter alios forte magis emineam?

III. PUNCTUM.

Vt ergo est eminentior in hac eminenti scientia, minus inter homines eminere cupit. Quia scilicet rectius de rebus judicat, & hoc est rectum de rebus judicium, sic eas æstimare quantùm ad salutem valent, unde cùm sic vane eminere inter homines nihil ad cœlum prosit, imò multum obsit, plane concludendum est, quod qui magis eminet in hac scientia, minus inter homines eminere velit, aut sibi ipse contradicat. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* Atque inde infer nonnisi vanos, ignaros, & stultos eos esse, qui nullo probato sibi proposito fine, honores ambiunt vel avide oblatos suscipiunt; cur enim superbiunt & in superbiis suis exultant, nisi quia bonum se aliquod adeptos putant? At si veram haberent scientiam, itane judicarent? Si autem vera illis deest scientia, nonne ignari sunt? Nonne imprudentes? nonne errant? nonne idcirco dicitur: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Propterea dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino.* Propterea etiam Sapiens factus sapientior, *Vanitas vanitatum*, inquit, *& omnia vanitas.* Non quòd

res creatæ & humanæ vanæ sint in se, quæ potius bonæ sunt, à Deo factæ & à Deo approbatæ: sed quia bonis male utitur homo; cúmque sit quasi ordinarius rerum usus ut non aliter eis utantur homines quàm ex inordinato appetitu, idcirco dicuntur vanæ & malæ, atque *in odium facta, in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Eccl. 14.

Hinc propterea fit, ut licet possent bona temporalia, honores & dignitates licitè appeti, quæri & conservari, non modò ad hanc vitam temporalem, sed & etiam ad æternam; melius tamen deseruntur & contemnuntur, quia plus valent & proficiunt contẽpta quàm possessa. Vix unquam tota vita plurimis actibus promotus ad dignitates promerebit, quod uno semel actu is metetur; qui omnia sua præsentia & futura reliquit effectu, vel affectu.

Atque hujus eminentis Christi scientiæ tres sunt veluti classes; *Bethleem, Nazareth, & Calvaria.* Disces in Bechleem abstinere superfluis aut necessariis, si quando permittat Deus. Disces in Nazareth bene uti concessis. Disces in Calvaria, sustinere defectum rerum omnium, exemplo illius *qui cùm dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites esse possemus.* O veras salutis divitias *sic scire & humiliari, & abundare; ubique & in omnibus institutum esse, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati, & omnia posse in eo qui nos confortat.* 2. Cor. 8. Phil. 4.

Ad Evangelium Feriæ de Christo Pastore, ac ejus ovibus quarum est ostium, ex Joannis decimo, videnda tota hebdomada 21. in 4. parte.

FERIA QVARTA.

DE PRIMO MIRACULO QUOD refertur ab Apostolis factum: Et de dono Consilii.

Petrus & Ioannes ascendèbant in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur, &c. Act. 3.

VERITAS PRACTICA.

Qui cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum sed Deo consulit.
Non à Deo consilium petere, sed Deo dare velle videtur.

Ratio est, quia is Deo dare vellè consilium dicendus est, qui pro affectu nimio quem circa rem habet aliquam, vellet Deum permovere potius ad suum affectum, quàm suum affectum subjicere divinæ voluntati.

Sed qui cum affectu incomposito Deum consulit, sic vellet ad se permovere Deum.

Ergo ille non Deum sed Deo consulit. Non à Deo consilium petere sed Deo dare velle videtur. Quod cùm sit supra modum audax & impium, cavendus omnis affectus accedenti ad Deum, qui non sit conformis ejus consilio & voluntati.

I. PUNCTUM.

IAm dictum erat ab Historico facto, *multa prodigia & signa per Apostolos in Ierusalem fieri, unde metus erat magnus in universis;* sed quod primum narratur certum & determinatum miraculum, sanitas illius viri est, qui *claudus ex utero matris bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit, respice in nos; at ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit, argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi dabo; in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ. Et exiliens stetit & ambulabat,* Act. 2.

bat, & intravit cum illis in templum, ambulans & exiliens & laudans Deum.

Videri possunt quæ sequuntur de conversione quinque millium Judæorum, statim post hoc miraculum facta: sed quod præcipuè considerandum modò venit, illud est quod initio refertur, *Petrum & Ioannem ascendisse in templum ad horam orationis nonam.* Non enim frustra locus & tempus hîc singularitet commemorantur, ut videlicet intelligamus illos tùm Apostolos singulari motu, qui dicitur Spiritus seu donum Consilii, fuisse motos ut irent in templum, tali hora, quo loco & tempore tale patrarent miraculum, talemque Judæorum multitudinem erudirent & converterent. Licet enim Deus non sit astrictus locis, temporibus aut personis, sibi tamen eligit aliquando quædam loca & tempora, in quibus illud per aliquos operatur quod aliàs non efficeret. Et quidem verum
Eccl. 8. est, quod ait Sapiens universim, *omni negotio tempus est & opportunitas*: sed id longe certius particulatim, de quibusdam agendis quæ Deus uni inspirat aut alteri, certo quodam & determinato tempore cui non deesse, tanti refert, quanti consilium Dei sequi vel negligere. *Consilium Dei spreverunt apud semetipsos,*
Luc. 7. dicebat Christus Dominus de illis Judæis, qui prædicante sancto Ioanne Baptista, non erant conversi, sicut publicani; nempe illud erat tempus quo ex consilio Dei converti debebãt.

O quam multi sic spernunt consilia Dei, etiam illi ipsi, quod magis mirum est, qui videntur eum consulere suis in negotiis, & rogare ut consulat sive inspiret, quid sit ipsis agendum! Quotquot nempe affectus inordinatos aut nimis tenaces retinent, nisi ante deponant quàm consulant Deum, nullum ab eo consilium referunt, nec tam videntur consilium à Deo petere, quam velle illi dare, *Non Deũ sed Deo consulunt.* Qua impietate cùm nihil sit dementius, nihil sceleratius: visa est hujus veritatis consideratio potentior, si sic proponeretur ad componendos animos, quoties Deum adimus de re aliqua consulendum aut rogandum. Aut componendus ante affectus quàm Deum consulas: aut si cum affectu incomposito Deum consulis, hac re impietate obstringis, ut Deo dare consilium magis velle videaris quàm ab eo petere vel expectare.

Ratio rem apertè declarat; tum enim Deo consulere, vel consilium dare velle dicendus est, qui Deo importunè suggerit quod faciat, & eum acrius permovet ad illud ipsum efficiendum: nam hoc est absolutè & universim loquendo consulere cuivis personæ, quando vel petenti consilium vel non petenti, proponis ultro quid faciat: & rationes adhibendo cur ita faciat, inflectis voluntatem ejus in id quod consulis: unde sicut bonum est opus si bene consulis; sic planè malum, & consulenti pessimum si perversè cuiquam consuleres; sic enim Sapiens, *facienti nequissimum consilium,* Eccles. 27. *super ipsum devolvetur.* Longè est autẽ aliud, Deum orare quantumvis etiam vehementer & cum ardenti affectu; atque aliud, ipsum adire & rogarè cum tali studio & affectu de quo hic loquimur, qui scilicet tanta rei quam petit cupiditate teneatur, ut sibi potius Deum quam se Deo subjiciat: qua de pravitate dictum est in prima parte, satisque patet quam sit impium, cùm vel ex ore impio sacra hæc verba profluxerint, *Iustum est, subditum esse* 2. Macc. 9. *Deo*: vel & mavis loquentem de his pravis consultoribus audire Apostolum; *Ignorantes,* Rom. 10. inquit, *justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Quasi diceret, qui sic cum Deo agunt, ut humanis suis rationibus magis consultum velint quàm divinis, videntur velle de justitia cum ipso Deo contendere, nec verentur etiam sese quodammodo magis justos & æquos profiteri. Hoc nempe est quod semper præ se fert qui sic alteri consulit, ut suo illum consilio velit ad se pertrahere.

II. PUNCTUM.

SEd qui cum affectu incomposito Deum consulit, sic vellet si posset, Deo suggerere quid faciat, atq; ad illud ipsum faciendum permovere.

Vellet enim Deum suo conformiter affectui respondere, & approbare, & indulgere quod concupiscit. Et licet verbis non exprimat, licet etiam aliud ore petat, quàm quod affectu desiderat, tamen Deus, qui affectum magis considerat quàm verba sibi loquentium, videt in illius animo qui se rogat, sic efformatum affectum ut si auderet, planè suggereret Deo quid secum ageret: atque ut ipsum quod suggerit ageret, quantum in se est permovere. *Quis clamas ad me,* dicebat Domi- Exodi 14. nus Moysi, cum tamen nihil iste prorsus oraret; sed ut optimè ait sanctus Gregorius, *valentiores*

lentiores voces apud secretissimas aures Dei non verba faciunt sed desideria.

Eccles. 1. c. 2. Atque illi propterea qui sic aliud desiderant & aliud orant, dicuntur esse *duplici corde & labiis scelestis*; dicuntur *accedere malignè ad Dominum, & cor eorum plenum esse dolo & fallacia*: de quibus vide Ecclesiasticum, primo & secundo capite. Satis hic fuerit ad plenam propositionis elucidationem illud expendere, quod expressè habet S. Augustinus de hoc argumento: *Vbique veritas præsides omnibus consul ntibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit.*

L. 10. Confess. c. 26.

Videsne quid voluntas consulentis Deum, vellet à Deo? nempe quod ipsa vult non quod ipse. At quænam est illa voluntas, nisi quæ affectum habet incompositum & depravatum? Quid est autem voluntatem velle potius a Deo quod ipsa velit, quàm quod ipse; nisi velle Deo suggerere quod nobis respondeat & indulgeat? Sit fas aut nefas quod petit, hoc unum æquum ducit quod illa voluntas appetit. O perversum perversissimæ voluntatis affectum! perversus certè affectus qui sic voluntatem corrumpat, sed perversissima voluntas quæ sic velit Deum sibi attrahere! *Nunquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat?*

Iob 21.

III. PUNCTUM.

Quisquis igitur cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum, sed Deo consulit: non à Deo consilium petit, sed ipsi dare velle videtur. Quia quod in affectu habet, vellet Deum sibi respondere: vellet quantùm amat illud quod amat, sic persuadere Deo ut idipsum amaret & consuleret, quod est tam verè velle Deo consulere, quàm verè Deus nobis consulit, quando quid proponit quod sequamur si velimus. *Populus ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.*

Is. 30.

Planè hoc ipsum est quod dicimus, hoc est quod tractatur in ejus animo qui cum affectu malè composito Deum adit, sive ipsum immediatè adeat sive mediatè, interponens quos putabit efficaciores ad id obtinendum, quod vehementius cupit. *Die ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno. tuo.* Nonne hoc est consulere Christo, quid faciat? Nonne hoc est quod tam sæpe facis, quàm sæpe velles non aliud tibi à Deo suggeri quam quod ipse desideras? nonne vides quàm sit hoc perversum & profanum cùm sic velles *detorquere cor Dei quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui*, ut ait sanctus Augustinus? Cum sic velles habere Deum te sequentem & te illum præcedentem; Cùm sic velles consilia tua divinis anteferre; Cùm sic velles Deum regere potius quam ab eo regi! *Nùm consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te.*: Sic Amasias cuidam Prophetæ; sic Deus tibi; sic tu Deo; sed quàm longè diverso modo! Expende pensiculatim, & hæc Apostoli verba; *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* ut fiat tandem quod monuit Sapiens: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias.* Id est, vide quomodo adeas Deum, quo cordis affectu, ut eum consulas, qua mentis dispositione, ut consulentem audias & sequaris.

Matth. 20

In Ps. 64.

1. Par. 25.

Rom. 11.

Eccles. 4.

Vide in 4. parte, Feria 4. & 5. hebdomadæ 18. Et pro Evangelio Feriæ, In 3. parte, Feria 5. 6. & Sabbato hebdom. 13.

FERIA QVINTA.

DE PRIMA PERSECVTIONE APOSTOlorum. Et de Dono Fortitudinis.

Quid faciemus hominibus istis? Comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc, ulli hominum. Act. 4.

VERI-

VERITAS PRACTICA.

Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis.

Ratio est, quia qui non satis audet in magnis, non satis fidit Deo.

Sed qui non satis fidit Deo, nimis audet & in parvis.

Ergo qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis. Aut si quid audet in parvis confisus Deo, sic confidenter audendum in magnis.

I. PUNCTUM.

MIraculis & prædicationibus sancti Petri res Christiana fœliciter admodum progrediebatur; at ecce indignantur Sacerdotes illorum temporum, Magistratus templi, Scribæ, Saducæi, & quotquot nomen Domini non libenter audiebant, injiciunt manus in Petrum & Joannem, ponunt eos in custodiam, advocant ambos in concilium suum, interrogant in qua virtute aut in quo nomine claudum sanaverint, comminantur ne ultra loquantur in nomine hoc, iterumque denunciant, ne omnino doceant in nomine Jesu.

Contrà verò Apostoli; *Si justum est*, inquiunt, *in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deum, judicate; non enim possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui.* At illi comminantes tum quidem dimiserunt illos; sed cùm non desinerent à prædicatione & à miraculis; magisque augeretur credentium in Domino multitudo, virorum ac mulierum, fieretque concursus omnium ægrotorum, & sanarentur omnes; tùm princeps Sacerdotum & Saducæi novo repleti zelo rursum injiciunt manus in Apostolos & constringunt eos in custodia publica, unde ab Angelo statim educti & confirmati ad prædicandum, accersuntur iterum à Magistratu, accusantur rebellionis & seditionis, & post multos ultro citroque sermones habitos cæsis denuntiatur, ne omnino loquantur in nomine Jesu, & dimittuntur. *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes & Evangelizantes Christum Jesum.*

Hæc omnia fusius & distinctius, Actuum quarto & quinto capite, ex quibus non modò liquet quam gravis Apostolorum persecutio fuerit, sed quanta eorum fortitudo & constantia; ut non solùm patienti, sed læto & gaudenti animo contumelias & flagra pertulerint; quod eò magis mirum est, quòd non ita pridem ad vocem unius ancillæ primus eorum turpiter Dominum suum negaverat. *O verè dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit eos.* S. Greg. Ps. 117.

Donum illud erat fortitudinis, quæ ad virtutem ejusdem nominis additur *ad pervincenda difficiliora, & consummanda inchoata, usque in finem, cum singulari quadam fiducia divini auxilii contrarium timorem excludente,* ut ait sanctus Thomas. Hæc est fortitudo non modo Martyrum, sed & eorum omnium qui vocati à Domino ad quævis ardua munia, sic in ejus confidunt potentia & auxilio, ut æquè in magnis audeant atque in parvis, quia in illis æquè potens est Dominus in quo confidunt atque in istis. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.* 2.2.q.139 a.1. Ephes. 6.

Tu in parvis quidem & facilioribus satis audes, sed in magnis & difficilioribus non ita forsan. At verò audi veritatem propositam, *Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis.* Quæ quidem veritas non idcirco proponitur ut non in parvis audeas, sed potius ut à teipso discas etiam in magnis audere, cum sit eadem ratio in utrisque. Atque hæc ratio magis urgebit, cùm ita concludet tam necessariò in magnis esse audendum ac in parvis, ut si non satis in illis sit audaciæ & fortitudinis, nimis in istis audeas & præsumas. Sic autem facile declaratur. Qui non satis audet in magnis non satis Deo fidit, non satis sperat in ejus gratia & auxilio: quia si certò consideret sibi tale affuturum auxilium quale exigit actio quam aggreditur, cur timeret? cur non auderet? *Confortate manus dissolutas*, ait Propheta, *& genua debilia roborate. Dicite pusillanimis, confortamini & nolite timere.* Quasi diceret, idcirco infirmi estis corpore & fracti animo, quia timetis: inde verò timetis quia non speratis in Deo: at confortamini & jam nolite timere, quia vobis non deerit Deus. Sic aptè David: *In Domino sperans non infirmabor*; unde si post infirmatus esset, nonne ipsi Is. 35. Ps. 25.

ipsi rectè potuisses objicere. Tu non speras in Domino, quia in Domino sperans non infirmaris; atque idcirco hoc uno sese cum gratia confortabat si quando deficeret; *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me, spera in Deo.* Nonne tu idem posses dicere, nonne hujus defectu fiduciæ nimis times, ubi erat audendum si Deo confidisses? Ps. 42.

II. PUNCTUM.

Sed qui non satis fidit Deo, nimis audet in parvis.

Nimis enim audet, qui sine Deo aliquid quantumcunque parvum & facile, se facturum putat, cum tam expresè Christus dixerit, *sine me nihil potestis facere;* ubi sanctus Augustinus, *sive parum sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* At quisquis non satis fidit Deo, si quid audet in parvis, id audet quasi ex se possit quod parvum est & factu facile. O rebellem audaciam quæ nunquam longius se à Deo disiungit, quàm cum se fingit propius ad ipsum accedere per bonum aliquod opus quod à se putat factum! Quid iniquius & sceleratius quam hoc audere, quàm dicere de suis factis: *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Joan. 15. Deut. 32.

Quod sic dicas te longè abesse ab hoc crimine, nec omnino putare te aliquid ex te posse in parvis sine gratia, cum id sit ita credendum ex fide: quæro abs te, undenam speres illam gratiam, qua sic confisus audeas ut nihil in parvis dubites? Dices profecto à Scripturis, à promissione Dei, ab ejus bonitate & misericordia. Rectè omnino: sed insto, cur in magnis ad quæ te vocat Deus non æquè speres illam gratiam, cùm sit æquè promissa in scripturis, & æquè expectanda de Dei bonitate & providentia, qui non juberet aliquid arduum, cui sustinendo impar esses, & cui ferendo non conferret gratiam?

Respondebis puto, te non audere magna illa spetare auxilia quibus te nimis indignum judicas, sive ex conditionis tuæ exiguitate, sive ex peccatorum tuorum magnitudine: tibi satis esse si parva facias, de magnis verò nec posse nec velle cognitionem suscipere. Itane verò te dignum putes cui conferatur in parvis gratia, ut nihil quidquam denegetur quod in istis optes? Itàne te justum putes, ut nihil unquam gravius deliqueris propter quod non mereatis obtinere quod roges in quibus placeat operam ponere! Itane Deo legem statues, ut quidquid de magnis jubeat & promittat, tu quasi tuæ fortunæ faber & salutis author, magna relinquas aliis, tibi parva tantum assumas! Hoc est præsumere, hoc est nimis audere, hoc est non se nosse: nam si te verè peccatorem nosses, ut fingis te fateri, nec minimo gratiæ gradu te dignum crederes, sed potius extremis pœnis & æternis suppliciis. Tu terra & cinis audes præsumere te dignum divinis gratiis! Tu indurate peccator qui toties infernum meruisti, etiam nunc audes tantùm tibi palpare, ut non judices te indignum gratiis quas toties conculcasti? nunquamne audivisti Apostolorum hæc intonantem: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Terra enim proferens spinas & tribulos reproba est & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Et rursum: *voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii.* Nonne tu verò sæpe prolapsus es? Nonne tu ille es voluntarius peccator post tot acceptas veritates? Et tamen non timebis! Hoc est nimis audere. Hebr. 6. Ibid. 10. Is. 4

III. PUNCTUM.

Quisquis ergo non satis audeat in magnis, nimis audet in parvis.

Quia quod eum revocat ab audendo in magnis, revocare etiam in parvis deberet: & si quid confidentiam præstat in parvis, præstat ex æquo in magnis, quando videlicet Deus ad illa magna vocat, aut quando conjuncta sunt vocationi vel officio, tunc non minus speranda est in magnis gratia quàm in parvis; nec timendum quin sit satis potens gratia, cum sit omnipotentis virtus, qui, ut ait sanctus Bernardus, *in hoc maximè suam omnipotentiam manifestat quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant.* Serm. 85. in Cant.

Et certè, sicut infirmitas humana magis cognoscitur, quando quis in parvis peccat quam

quam in magnis: ita virtus divina clarius innotescit quando in magnis homo plus potest & operatur quàm in parvis. Atque idcirco quia valde expedit nos id probè intelligere, sæpe Deus quos in magnis potentes facit, permittit in parvis infirmari; ut expressè observavit sanctus Chrysostomus de sancto Petro, qui cum auderet vocante Christo ambulare super ipsum mare effervescens, timuit tamen ventum, & in aquas desiliit. Quod quidem
Is. 40. ab Isaia magnificè prædicatum habes: *Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent; qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Id est, dum alii qui videbantur fortes & robusti deficient, alii è contra qui erant debiles & infirmi, roborabuntur & nulla vi adversa concident.

Quamobrem, ut alius ait Propheta, *Infirmus dicat: quia fortis ego sum.* Dicat confidens Deo: dicat in magnis æquè in parvis: dicat quoties de infirmitate sua cogitat: dicat ad se acuendum: dicat ad excitandam confidentiam: dicat ad inchoandum quodvis opus difficile: dicat ad continuandum: dicat ad consummandum. Joel. 3.

vide suprà in hac 2. parte, Feria 2. Sexagesimæ. In 3. verò, Feria 3. & 5. Hebdomadæ 7. Ubi hæ Veritates declarantur.

Non certiùs in spem itur, quàm contra spem. Qua facilitate vincimur, eadem vincere possumus.

Denique pro Evangelio Feriæ, videnda est hebdomada decima tertiæ partis.

FERIA SEXTA.

DE PRIMA ORATIONE PUBLICA Ecclesiæ. Et de Dono Pietatis.

Unanimiter elevaverunt vocem ad Deum, & dixerunt; Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, &c. Act. 4.

VERITAS PRACTICA.

Sicut Pietas valet ad omnia, sic omnia valent ad Pietatem.

RATIO est, quia idcirco pietas valet ad omnia, quod in usu rerum respiciat Deum, & hoc respectu valorem & utilitatem spiritalem rebus impertiat.

Seo omnia valent ad hunc divinum respectum ex seipsis eliciendum.

Ergo & valent etiam ad pietatem, sicut pietas valet ad omnia quæ certè praxis est utilissima.

I. PUNCTUM.

CUM primùm ex Apostolis duo, Petrus & Joannes dimissi sunt è carcere, in quem post sanatum claudum, & con-

versos inde Judæos plurimos, conjecti fuerant, atque prohibiti, ne ultra loquerentur de Domino Jesu; tunc ut ait Sacer Historicus, *venerunt ad suos*, scilicet Coapostolos, *& annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum & dixerunt, Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui, dixisti. Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus; Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum Puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. Et nunc Domine, respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum*

bum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Iesu.

2.2. q. 121. a. 1. In qua quidem oratione apparet vel maximè pietatis donum, *quo filiali quodam affectu*, ut ait sanctus Thomas, *movemur in Deum tanquam Patrem.* Eum laudamus in omnibus & benedicimus, etiam cùm nobis aliquid adversi contigerit, certissimum illud habentes, nihil paternam ejus providentiam fugere & nihil nisi bonum à tam bono Patre posse nobis accidere. Qui pietatis affectus etiam ad proximos extenditur, quando, ut videre est in Apostolis & primis illis credentibus, coluntur omnes ut fratres, & fraternis se juvant omnes subsidiis. Sic enim expressè habes in consequenti textu historiæ post supra dictam orationem: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, neque quisquam egenus erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat:* ô pietatem eo magis commendandam, quo jam est rarior & magis necessaria!

Verùm non modò in oratione ad Deum aut in his fraternæ charitatis officiis pietas exhibetur, sed quod ait Apostolus, ad omnia

1. Tim. 4. se extendit, *ad omnia utilis est*, ad omnia valet; & ad ejus amplificandam utilitatem omnia etiam de suo conferunt, ut habet proposita veritas. Quod certè est consideratione dignissimum.

Ac primò quidem expende quod dicitur, idcirco pietatem valere ad omnia, quod dùm in usu rerum, respicit Deum; hic respectus Dei, talem rebus utilitatem confert, atque ipsarum usui tam spiritalem & pretiosum impertit valorem, ut quidquid agas, quidquid opere tractes quantumvis temporale & terrenum, si pietatem adhibeas, id est, si Deum in eo tractando respicias, si ejus statutum ordinem, si voluntatem & nutum attendas, tùm spiritualis efficitur actio, & tanti fit opus meriti, quanta in opere fuerit pietas. Nonne hoc pretiosum & locuples in conspectu Dei?

1. Cor. 3. Hoc ipsum est quod dicebat Apostolus, *super idem fundamentum superædificari aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum & stipulam.* Nempe, quanta est differentia auri & ligni, argenti & fœni, lapidum pretiosorum & stipulæ: tanta potest esse diversitas meriti & valoris uniuscujusque rei, seu actionis nostræ prout in illa Deum & Dominum Jesum spectaveris. Si temporalem tantum utilitatem vel delectationem, vel gloriam, vel simile aliquod transitorium lucrum & commodum in agendo respicias, hoc est ædificare lignum & stipulam, hoc est *opus operari corruptibile* de quo Sapiens *quod in fine desinet, & qui illud operatur, ibit cum illo.* Hoc est *telas aranea texere*; hoc est *seminare multum & inferre parum.* Hoc est *serere super spinas*; quod Propheræ multum deplorant. Sed qui *omne quodcunque faciunt in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi faciunt, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. Et sive manducent sive bibant, sive aliud quid faciant, omnia in gloriam Dei faciunt*, sicut commendat Apostolus: hi sunt videlicet, qui aurum & argentum & lapides pretiosos inde reportant, unde alii paleas & fœnum referunt. Hi sunt *operarii sufficientes sibi, quorum vita condulcabitur, & in ipsa invenient thesaurum*, ut ait Sapiens: Hi sunt *qui operantur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: quod consulebat Dominus. Tu quibusnam ex istis velles esse similior?

Eccles. 14. Ier. 4. Ps. Coloss. 3. 1. Cor. 10. Eccles. 40. Ioan. 6. Ps.

II. PUNCTUM.

SED omnia etiam juvant & valent ad hunc divinum respectum ex seipsis eliciendum.

Namprimò quidem creaturæ omnes cùm aliquem naturalis gradum bonitatis contineant, quæ est participatio quædam bonitatis divinæ, nos intuitu suo permovent ad Deum Creatorem suum respiciendum & laudandum; *Sic cœli enarrant ejus laudem*, sic stellæ, sic terra, sic aër & omnia, quando nos ad eum laudandum excitant & pertrahunt; sic una vox est creaturarum omnium, aut potius unus concentus ex multis vocibus, quo perpetuas laudes Deo celebrant & beneficentiam ejus deprædicant. *Tanta hæc formarum varietas atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi radii sunt deitatis?* ait Divus Bernardus. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, inquit Apostolus.

Ps. 18. Serm. 31. in Cant. Rom. 1.

Cant.

Quod

Quod & verius est in creaturis sensibilibus aut etiam ratione præditis, in quibus quo plus bonitatis animadvertitur, plus Divinitatis sentitur; neque longius à nobis progrediendum est ut iuxueri Deum possimus, cùm à
Act. 17. nobis non longè absit; *In ipso enim vivimus, & movemur & sumus.* Quocunque igitur te motu moveas, quemcunque vitæ actum exerceas, quocunque in situ animi vel quavis corporis positione consistas; si non vivis, si nõ moveris, si non existis nisi prorsùs in Deo; nõne in omnibus illum potes respicere? Nonne omnia de suo conferunt ad illum in seipsis contuendum? *Providebam Dominum*, inquit
Psal. 15. Psaltes, *in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear, propter hoc lætatum est cor meum & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.* O quantum illi errant, qui se tristes futuros crederent, si sic Deum semper providerent! Nihil lætius, nihil non modo vtilius & honestius, sed nil etiam iucundius.

III. PUNCTUM.

SICVT igitur Pietas valet ad omnia, sic omnia valent ad pietatem; cùm omnia valeant ad excitandum illum divinum respectum, quo fit, ut dignitas, valor, & tale meritum rebus
Ps. 1. atque actionibus nostris impertiatur, *ut beatus ille vir, qui sic in omnibus Deum respicit, sit velut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet: & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.*

Maximè verò propterea comparatur palmæ, quæ arbor est adeo fructuosa, ut supra trecentas, utilitatum diversæ species numerentur,
Cant. 7. quas cultoribus suis afferat. *Statura tua assimilata est palmæ*, inquit Sponsus, quasi dicat, ipse situs & minima quævis actio sic unitæ Deo animæ mirum quantum prosit ad meritum. Sic dicuntur *sicut palma multiplicari dies eorum*, nam licet numero non augeantur, merito tamen crescunt & sic multiplicantur, quo sensu dicitur à Sapiente, *senectus venerabilis non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vitâ immaculata, & consummatus in brevi explevit tempora multa.* *Iob. 29.* *Sap. 4.*

DIXI, ascendam in palmam & apprehendam fructum ejus. Dicit qui ferò statuit praxim propositã; ascendit, qui seipsum supra quod videt in creaturis erigit: apprehendit autem fructum, qui sic erecta in Deum mente, illi uni in omnibus placere studet: quasi hoc unum haberet studium, hoc unum tractaret negotium: in quo tractando & conficiendo se beatiorem existimat, quam si toti mundo vel cognoscendo vel possidendo vacaret. Sic præclarè sanctus Augustinus: *Sicut melior est qui novit possidere arborem, & de usu ejus tibi gratias agit, quamvis nesciat vel quot cubitis alta sit, vel quanta latitudine diffusa, quàm ille qui eam metitur, & omnes ramos ejus numerat, & neque possidet eam, neque Creatorem ejus novit aut didicit: sic fidelis homo cui totus mundus divitiarum est, & quasi nihil habens omnia possidet, inhærendo tibi, cui serviunt omnia, quamvis nec septentrionü gyros noverit, dubitare stultum est, quin utique melior sit quàm mensor cœli & numerator syderum, & pensor elementorum, & negligens tui, qui omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* *Cant. 7.* *L. 5. Conf. 4.*

EXERCE *teipsum ad hanc pietatem*: Et vide in 4. parte, hebdomada 26. quæ tota est de Pietate seu Devotione. *1. Tim. 4.*

Ad Evangelium verò Feriæ, videri debet in 1. parte, hebdomada 4. post Epiphaniam de Paralytico per tegulas submisso.

SABBATO.

DE PRIMA QVÆ REFERTVR IN Ecclesia, perpetrata culpa, sequentique pœna. Et de Dono Timoris.

Dixit Petrus Annaniæ, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Act. 5.

VERITAS PRACTICA.

Amori potius ab amore timendum est, quàm à timore.

SENSVS EST, quod amori divino, quo nempe debemus Deum diligere, maius instet damnum & periculum à falso & suppositio quodam amore, vel ab ipso etiam divino amore seu potius divini amoris abusu, quàm ab ipso timore, quem multi putant amori repugnare.

RATIO est, quia majus est damnum, magisque timendum divino amori, si nullus omnino sit amor, qui putatur esse divinus, quàm si non sit omnino perfectus amor.

Sed ab amore potius quam à timore de quo est quæstio, provenire potest, quod nullus omnino sit amor.

Ergo amori potius ab amorè timendum est, quàm à timore. Quod sanè est diligenter perpendendum.

I. PUNCTUM.

VIR autem quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua, vendidit agrum & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & asserens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus, Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus sed Deo. Audiens autè Ananias hæc verba, cecidit & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.

Sic Sacer Historicus in Actis Apostolorū, qui & similia narrare pergens de Sapphira uxore, addit iterum: *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.* Et profectò erat, quod expaveſcerēt omnes ad talem pœnam seu potius ad talem culpam! pœna quidem gravissima, sic expirare repentina morte, sic puniri propter mendaciū aut tenacitatem alicuius cupiditatis; sed culpa longè gravior sic adhærere cupiditati, sic dissimulare, sic mentiri, sic velle decipere. Itaque tametsi primò, qui viderunt & qui audierunt impositam pœnam, timuerint timore pœnæ, cum tamē postea perpenderunt graviratem culpæ, majestatem, præsentiam, & justitiam Dei offensi, credibile est eos magis timuisse timore culpæ, seu timore qui dicitur reverentialis & filialis, & qui propriè donum est Spiritus sancti, quo, ut ait sanctus Thomas, Deum reveremur & refugimus, nos ipsi Deo subducere. Non est dubium, quin iste timor qui est ipse amor, sit perfectior alio quovis timore bono. Sed non propterea tamen quivis alius bonus timor est negligendus quasi repugnet divino amori, quo Deum super omnia debemus diligere. Quin potius si quid sit timendum divino amori, *ab ipso potius amore timendum est quam à timore.* 2.2.q.19.

Quæ proposita veritas sic expendi debet, nō ut aliquid de dignitate & merito divini amoris detrahatur, sed potius ut magis ille divinus amor conservetur cōservato timore, sine quo vix amor ullus esse potest. Atque hinc ratio sumitur, cur sit amori potius ab amore timēdum quàm à timore: quia scilicet majus imminet damnū amori Divino, si nullus sit omnino amor, quam si non sit forte perfectus. Quid hac prima propositione clarius? nihil enim timetur nisi damnum seu malum: quò verò majus est malum aut damnum, eò certè magis timendum est & cavendum. Quod verò damnum majus amori divino inferri possit, quam si fictitius & suppositius pro vero sumeretur, aut si verus esset, destrueretur, atq; à seipso deficeret, sicque tandem nullus verè esset amor Dei, sed tantum præsumptus, prætentus, adumbratus & simulatus.

Nonne satius esset aliqua saltem ex parte Deum diligere quam non omnino diligere? Certè à sancto Petro plus diligi visus est Dominus, quàm à cæteris Apostolis, cùm ab ipso quæsitus est, an se plus his diligeret: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ioan. 21. At quis neget melius tamen esse saltem diligere Dominū sicut cæteri diligebant Apostoli, quàm non omnino diligere, sicut Judæi quibus dicebat Dominus, *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis?* Ibid. 5. ò verbum! verbum penetrabilius omni gladio ancipiti Expende singula. Cognovi *vos*, & quod *in vobis* non habetis dilectionem, quasi diceret. Ego novi quod non nostis, ego video quid sit intus in corde, & an revera sit amor, ut vos fingitis, an in specie tantum, apparenter & simulatè. *Quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Hebr. 4. Apoc. 2. Hoc est, prout quisque opere & veritate diligit, non verbo & fictitiè.

II. PUN-

II. PUNCTUM.

Sed ab amore potius provenire potest, quod nullus sit amor Dei, quam à bono timore.

Tribus id modis provenire potest; primò, cùm quis aliquem sentit pietatis affectũ erga Deum, aut res divinas, neque tamẽ edomitas habet animi appetitiones, aut his edomandis non vacat, unde nonnullis cupiditatibus & peccatis implicatur; tùm is forte quem sentit pietatis affectum, putabit esse divinum amorem, & errabit, illudetur, decipietur; *Nam*, ut
Hō. 30. in Evang. ait S. Gregorius, *qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.* Hoc autem sæpe accidit & iis potissimum, qui, ut sibi videntur aspirãtes ad perfectiora, primo suæ ad Deũ conversionis impetu & fervore, alienum à se putant timorem illum qui dicitur initialis, & quo in via, quæ vocatur purgativa, solemus expurgari à vitiis & concupiscentiis; unde fit ut quod diximus, dum se putant altius provehere, deprimuntur inferius & gravius ab ipsis suis cupiditatibus demerguntur, quas salubri & sancto timore nesciunt vel nolunt coercere. Hinc aptè sanctus Gregorius: *Prava mens*
Hom. 34. in Evang. *si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.* Atq; hunc oprabat timorem, qui sic orabat: *Confige timore tuo carnes meas; à iudiciis enim tuis, timui.* Sic & ille in le-
Ps. 118. 1. Cor. 9. ge gratiæ qui aiebat, *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundò, etsi concederemus aliquos vel nõ ita suis urgeri cupiditatibus, ut gravius peccent; vel in illis reprimendis nonnihil studii ponere: si tamen propterea sic certi essent se divinũ habere amorem, ut omnẽ inde timorẽ excluderent, excluderent simul amorem si quem haberent: & hoc ipso quo se ita certos faciunt de suo in Deum amore, ut non dubitent nec timeant hoc ipso, inquam, deficit & nullus est eorum amor; quia nullus est verus Dei amor, ubi vera est præsumptio spiritus quam Deus execratur: ibi autem est præsumptio spiritus, ubi talis est certitudo amoris, nullus ut sit timor nullumve dubium quin sit amor. Nã cum apertè scriptura dicat de probis
Eccl. 9. etiam & sanctis viris: *sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*: quis se ita certum dicat ut non timeat, aut non simul evidenter præsumat? Quid est enim præsumere si sancto credimus Augustino, *quàm quid asserere* L. 2. de Trin. c. 1. *prius, quam veritas pateat*? Quod ita nefas est, In Ps. 58. ut inde sanctus Doctor concludat de nulla re præsumendum, *Quando*, inquit, *nec de iustitia*, sit præsumendum, id est, de statu animæ nostræ; unde in præsumentem manifestè Apo-
Rom. 11. stolus; *Noli altum sapere, sed time.*

Tertiò denique, quod magis mirũ est, ipse divinus amor seipsum quodãmodo destruit aut potius à non timente destruitur, quando plus affectat quàm potest & quàm debet. Licet enim non possit talis esse excessus in charitate, ut homo Deum diligat plusquã debet: cum è contra nunquam satis prout debet diligat: potest tamen, inquit sanctus Thomas, 1. 2. q. 64. *ex parte nostra reperiri quidam excessus, quando* a. 4. *quis ferretur in Deum supra mensuram suæ conditionis.* Quod egregiè docet sanctus Gregorius, ut est jam alibi observatum: *Cum miro,* 28. Mor. 8 inquit, *consilio author ac dispositor noster huic illa largitur quæ alii denegat: alii hæc denegat quæ isti largitur: mensuras sibi positas egredi nititur, quisquis posse plusquam acceperit conatur, ut fortasse is, cui tantummodo datum est præceptorũ occulta disserere, tentet etiam miraculis coruscare.* Et post pauca: *In præcipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit: & plerumque amittit & quod poterat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere festinat.* Ac nonnullis interjectis, *Bene itaque* Ps. 130. *David Propheta intra acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cùm dicebat: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultrà quàm poterat quæreret. Super se namque in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quæ non sufficit, videri idoneus conatur. Bene inter has mensuras etiam in ipsa Paulus prædicationis suæ se latitudine coarctabat cùm diceret; non enim audeo aliquid lo-* 1. Cor. 15. *qui eorum, quæ per me non efficit Christus.*

Quod & Divus Bernardus fusè prosequitur in illud Canticorum, *ordinavit in me cha-* Cant. 2. *ritatem*; postquam videlicet introducta est Serm. 42. sponsa in cellam vinariam, periculum erat ne fervent ioti devotionis æstu vel zelo raperetur, idcirco statim ait ordinatam in se charitatem, ut se contineret. Nonne & illud legisti vel jam audivisti, quod ait Dominus apud

Kempensem; *Quidam incauti propter devotionis gratiam, seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt quàm potuerunt, non pensantes suæ parvitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes quàm rationis iudicium. Et quia maiora præsumpserunt quam Deo placitum fuit, idcirco gratiam perdiderunt: facti sunt inopes & viles relicti, qui in cœlum posuerunt nidum sibi, ut humilitati & depauperati discant non alis suis volare sed sub pennis meis sperare.* L.3. de Imit. Ch. 7.

Non sic temere non sic volassent inconsultò, si timorem Domini retinere voluissent, nec suo tantum amori credere quasi amor non esset divinus si esset timoratus.

III. PUNCTUM.

AMori ergo potius timendum est ab amore quam à timore: quia videlicet plus amori timendum est, ne nullus omnino sit, quam ne sit inchoatus, imperfectus, aut aliqua tantum ex parte mancus. At verò ab amore provenit, quod nullus plerumque sit amor qui putatur esse, imò & quo major & purior esse fingitur, eo minus revera est, quia totũ absorpsit præsumptio, vanitas & elatio, *evanuerunt in cogitationibus suis. QVID niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem?* Excellentior est quidem via, charitas, ad salutem, ad perfectionem, ad omnia: de hoc dubitari non potest: sed excellentior etiam ad charitatem via quæritur, & dum quisque nititur bonam ostendere viam suam ad illam charitatem, verendum est ne quod quærit perdat, si suam ita deprædicat viam, ut vituperet & condemnet alienam. Rom. 1. Ier. 2.

Hæ sunt *plagæ in medio manuum Christi, quibus se plagatum dolet in domo eorum qui diligebant ipsum*, id est, qui profitentur ipsũ diligere, & tamẽ dum de dilectione plus aut minus sapiunt quam oporteret, dilectionem scindunt & mysticum Christi corpus plagant. Zacch. 13.

At nonne perfecta charitas foras mittit timorem? mittit sanè, sed non omnem, non castum, non reverentialem, non filialem qui est ipse amor divinus. *Si pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Pellit itaque servilem & initialem illum qui est pœnæ & servorum, cujus loco sic perfecta succedit charitas, ut nisi sit perfecta non succedat, neque omnino timorem pellat: sed qua proportione crescit charitas, decrescit ille timor; dumque interim timor manet, donec perfecta sit charitas, tum quidem aliqua ex parte sit manca & imperfecta necesse est, quandoquidem nõ est perfecta: sed nondum esse perfectam charitatem in eo qui incipit, vel qui quotidie proficit, non est certè tãtum charitati seu amori divino damnum, quantũ est illud quod ex amore provenit, si omnis desit timor. Non quod perfecta charitas non sit melior quam non perfecta, sed quod sit melius non præsumere se charitatem perfectã habere, sicque ei perficiendæ semper vacare *cum metu & tremore Domini*, ac deniq; timendo simul & diligendo semper proficere. 1. Ioan. 4. Mal. 1. 2. 2. q. 19. a. 10. Phil. 2.

Sic forte propterea dictum est à Sapiente; *Non est in timore Domini minoratio*: id est, nihil tibi deperibit à timore bene formato; nam quod ex una parte charitas videtur perdere, dum se altius non extollit, recuperat ex alia, dum se in humilitate & sancto timore continet. Quamobrem si sapis sic cum sancto Bernardo semper senties: *In veritate dilici nihil aque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam & recuperandam quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus. Time ergo cùm arriserit gratia time cùm abierit, time cum denuò revertetur.* Et alibi: *sicut securitas vel desidia causa est & mater omnium delictorum, sic timor Domini radix est & custos omniũ bonorum: unde scriptum est si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua. Omne namque virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, si huius gratiæ amiserit præsidium. Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam: & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Eccles. 40. Serm. 54. in Cant. Tract. de donis Spir. sanct. Matth. 7.

Vide in 1. parte, Feria 3. hebdomadæ 4. post Epiphaniam. In 2. parte, Feria 6. Septuagesimæ: Feria 2. & 4. Sexagesimæ: Feria 5. primæ hebdom. Quadragesimæ, & alibi passim de sancto timore Domini.

Ad Evangelium verò Feriæ, de Socru Petri sanata, in 1. parte, Feria 5. hebdomadæ 2. post Epiphaniam.

FINIS SECVNDÆ PARTIS IN VITAM DOMINI IESV.

VERITATES

VERITATES PRACTICÆ,

AD DIES FESTOS SANCTORVM QVI INCIDVNT IN HANC SECUNDAM PARTEM.

DE SANCTO MATTHIA APOSTOLO,

Et dederunt sortes, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Act. 1.

VERITAS PRACTICA.

Sicut in manu Domini sors nostra est, sic in sorte nostra, manus est Domini.

ID EST, divina directio, quam sequamur tanta fidelitate in ministerio nostro exercendo, quantam habere oportuit in eo expectando, & suscipiendo de manu Domini.

RATIO est, quia idcirco magnopus est fidelitate ad ministerium nostrum suscipiendum de manu Domini, ne deerremus à viis eius, quæ sunt viæ salutis & perfectionis nostræ.

Sed nisi eadem fidelitate sequamur divinam directionem in exercendo ministerio nostro, deerrabimus à viis Domini & à viis salutis nostræ.

Ergo tanta fidelitate sequenda est divina illa directio in ministerio nostro ritè obeundo, quantam habere oportuit in eo expectando & suscipiendo de manu Domini.

I. PUNCTUM.

Infra Octavam Ascensionis.

QUæ suprà dicta sunt fusius in hac parte de electione sãcti Matthiæ sic possunt breviter in tria contrahi, quæ triplicem temporis differentiam complectũtur. Primum ante electionem, quando nominatus fuit cum Iosepho qui eligeretur in locum proditoris Iudæ, nullus è tota turba fuit qui contradiceret, licet multa possent objici, quæ retardarent talem nominationem usque ad adventum Spiritus sancti. Secundum, in ipsa electione, licet Iosephus qui erat alter Candidatus, tantæ esset probitatis, ut vulgo *Iustus* cognominaretur, tamen datis sortibus, id est, conjectis nominũ chartulis in urnam, ut fieri solet, Matthias præelectus est à Domino, & *annumeratus cum undecim Apostolis.* Tertium denique post electionem, Apostolatus dignitatem cumulavit insignibus meritis, de quibus sic sanctus Antoninus; *Fuit in lege Domini Doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum Patrator, ac tandem Martyr extensis in cœlum manibus spiritum Deo reddidit.* 1. p. Tit. 6. c. 2.

Congaude sancto Apostolo, venerare sanctitatem, cole gloriam, imitare virtutem in exercendo ministerio tuo, tanta cum fidelitate, quantam adhibere oportet ad illud expectandum & suscipiendum de manu Domini. *Sicut enim in manu Domini sors nostra est, sic in sorte nostra, manus est Domini*, qua nos videlicet regat, & cui nos totos regendos in administratione nostri officii relinquamus, sicut non aliter quàm ab eo ipsum officium seu ministerium fuit acceptandum.

Ratio planè est eadem & digna quæ sæpius expendatur, nempe ad eligendum vitæ statũ, sive ad acceptandum quodlibet officium & ministerium, opus omnino est magnam adhibere fidelitatem in exquirenda Dei voluntate & sequenda, ne si alium statum acceperimus quàm ille statuerit, deerremus à viis eius, & à viis perfectionis & salutis nostræ: Qua *Initio tendere fusè in libris de ordine morum & vitæ, tiæ partis,*

nec-

nec non in prima parte hujus operis, tota hebdomada quinta post Epiphaniam, ubi de sanct. Matthæi vocatione, atque in hac etiã parte, infra in considerationibus quæ sunt communes omnibus statibus, quibus hoc unum addi modò sufficiat, quod habet Lessius in eo, quem scripsit, libro de statu vitæ eligendo; unde clarè patebit, quanti momenti sit statum seu officium ac ministerium suum, fideliter à Domino expetere, & non nisi eo volente suscipere, quantùm quidem eius voluntas hic in parte potest explorari & cognosci.

Quæst. 12. Num. 154 *Sunt enim, inquit, in mente divina mille auxiliorum ordines, & mille mediorum series quibus eum quolibet nostrum uti potest, & certissimè novit quid ex qualibet serie esset secuturum. Novit enim qua serie mediorum esses salutem consecuturus, cum qua in exitium & damnationem lapsurus. Novit quod officium, quis locus, quæ habitatio, qui socii, quæ occasiones, quæ studia tibi forent ad salutem, quæ ad perniciem. Salus enim & interitus sæpissimè à re modica & levi occasione pendent. Maximum beneficium est, si salutarem mediorum seriem obtineamus, maximum incommodum si ab ea excidamus. Ex illa mediorum serie pendet donum perseverantiæ sine quo nemo salvatur, cuius præparatio in mente divina, est nostra prædestinatio.*

Hæ sunt videlicet viæ Domini, à quibus decrratur, quando vitæ status eligitur non consulto & volente Deo. Quomodo verò salus & exitium pendent à re modica quam nisi divina providentia procuraverit vel averterit, certissimè peribis, sic paulo ante declarat

4. 8. n. 97. expressius. *Adit quis convivium, audit ibi verbum minus sibi honorificum, oritur rixa, occiditur. Alius exit vesperi ebrius ut domum redeat, incidit in adversarium, contrahitur pugna, confoditur. Alii iter facienti occurrit bivium, eligit viam quæ videtur commodior, incidit in latrones qui viatoribus ibidem insidiabantur, ab his spoliatur & interficitur. Similia quotidie plurima eveniunt: sicut ex minima scintilla sæpe maximus accenditur ignis, ita ex modica occasione sæpissime maxima pernicies. Poterant istæ occasiones innumeris modis à Deo, qui omnia prævidet impediri, vel minima inspiratione averti, nisi se homo reddidisset indignum,* non inquirendo scilicet viam Domini seu vitæ degendæ statum & officium sicut par erat inquirere. Psal. 104. *Isti non cognoverunt vias meas, ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

II. PUNCTUM.

SED nisi eadem fidelitate sequamur divinã directionem in exercendo ministerio nostro, deerrabimus à viis Domini, & à viis salutis nostræ.

Cur enim decrrasses a viis Domini, si statũ aut ministerium tuum non accepisses à Domino, nisi quia Domini voluntas erat & gratia, ut in illo viveres statu? At nonne est eadẽ Domini voluntas, ut in illo, quem suscepisti, statu rectè & perfectè vivas? nonne ob id vel maximè gratia datur? nonne idcirco directio Domini proponitur? nonne inde divina gloria, tua perfectio, & quidquid ad salutem spectat, in eo uno sistit, ut sicut monet Apostolus, *videas ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas?* Coloss. 4.

An putares satis esse ad tenendam viã Domini, si quis in eo quidem esset vitæ statu in quo eum vellet Dominus; nec ultra tamen de recta vivendi via cogitaret? Et quorsum tandem abirent tam crebræ voces Apostoli, ut *videamus vocationem nostram, ut sicut vocavit Deus, ita & ambulemus, & unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum?* Quid est videre vocationem, quid est secundum illam ambulare, aut in ea permanere apud Deum, nisi sic in ea vivere, ut secundum divinam ejus directionem & voluntatem vivamus? Quod ita verum est, ut satius esset non cognovisse viam Domini in statu eligendo, quàm non eam tenuisse in colendo statu prout à te coli volebat Deus. Unde idem Apostolus: *Quandoquidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Quasi diceret: non ita meum duco, quod sim Gentiũ Apostolus, cùm ignorem quamdiu me talem esse voluerit Dominus, quàm donec talis fuero, rectè perfungar hoc munere, & tam fideliter illud obeam, ut sicut mihi est honorificum munus, ita & ego munus honorificem. 1. Cor. 7. Rom. 11.

III. PUNCTUM.

SICVT igitur in manu Domini sors nostra est & ministerium, ut ab illa fideliter quodcunque Dominus voluerit, acceptemus: sic in sorte nostra & ministerio, manus est Domini & directio quã sequamur eadem prorsus fidelitate: quia eadem est ratio & suscipiendi muneris à manu Dei, & exercendi per manum eius, ne alioquin videlicet

delicet à viis Domini aberremus, & ne nobis objiciatur in nostris inde nascentibus malis:
Ier. 2. *Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam?*

Hujus fidelitatis exemplum luculentissimum patet in Davide, qui cum fide divina certus esset se Sauli successurum, quidquid ille contrà moliretur: sic tamen se observabat & divinæ directioni collaborabat in omnibus, ut nihil eorum prorsus omitteret quæ quisq; consultissimus provideret, nihil planè committeret, quæ supremam providentiam anteverterent aut retardarent. Ps. 25. *Pes meus stetit in directo:* quasi diceret, neutram in partem declinavi, sed recta, quo me ducebat Deus, per occurrentes quoslibet casus, eò semper dirigebar. Quod & ante pari fidelitate Iob præstitit, qui, ut documento nobis esset similis observantiæ, sic de se loquebatur: Iob. 23. *vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi, & non declinavi ex ea.*

Admirabile verò est, atque ad hanc quam consideramus divinam directionem religiosissimè, observādum, singulare prorsus exemplar, quod refert sanctus Paulinus in Epistola ad Macharium de Valgio quodam sene Cathecumeno postea Victore appellato, qui cum solus è naufragio in navi jactabundus, mare æstuosissimum oberraret, sic eum Christus Dominus salvum & incolumem in portum duxit, ut indicaret singula quæ ab ipso fieri secum vellet, faceteque bonus senex cū Christo quod Christus cum sene conficiebat. Non poterat solus senex, nolebat solus Christus, simul ambo rem peragebant. Si essent explicanda vela, vela pro viribus movebat senex, tum statim explicabantur & antennis alligabantur: si sentina exhaurienda, parabat senex situlam, indeque educebat, quantum semel aut iterum posset, tum siccatam illico navim cernebat, sicque in aliis navigandi muniis se strenuum exhibebat, ut manus Christi manifestè quidem cerneretur manum senis ad opus admovere, sed & manus senis ad Christi manum erat adjungenda. Ps. 30. *Dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

Epist. ad Macarium.

Vide suprà citatos conformes locos.

DE SANCTO IOSEPHO SPONSO BEATÆ VIRGINIS.

Die 19. Martii.

Vide in prima parte, Sabbato primæ hebdomadæ Adventus Domini: quibus aptari potest & sequens Veritas.

DE SANCTO IOACHIMO PATRE B. VIRGINIS.

Die 20. Martii.

Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua: qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Eccles. 44.

VERITAS PRACTICA.

Affinitas sanctitatis cum Beatissima, Virgine, magis æstimanda, quàm sanguinis.

RATIO est, quia non potest æstimari affinitas sanguinis cum Beatissima Virgine, nisi propter bonum quod est vel honestum vel utile vel delectabile.

Sed illa triplex ratio boni, melius reperitur in affinitate sanctitatis quàm sanguinis.

Ergo magis est æstimanda.

I. PUNCTUM.

TANTA est dignitas Beatissimæ Virginis Matris, ut quicunque eam contingant sanguine, dignitatem & nobilitatem

inde hauriant singularem; quamobrem cùm inter omnes, Pater eius sanctus Ioachimus attingat eam propius, nobiliorē etiam inde extrahit claritatem, & ampliori meretur à nobis honore coli. Verùm cùm nō modò sanguinis sed & sanctitatis affinitate sanctissimam Filiam suam Pater optimus tangat, sitque hæc sanctitatis affinitas longè major quam sanguinis, erit ad gloriam sancti Ioachimi nobilius, & ad profectum nostrum accommodatius, si in veritate proposita attentè consideranda tantùm immoremur. Sic ergo est, *Affinitas sanctitatis cum Beatissima Virgine magis est æstimanda quàm sanguinis.*

Tota enim ratio æstimandæ cujuslibet rei atque adeo affinitatis humanæ in id recidit, ut, quantum est in illa re boni, tantum æstimetur; bonum autem cùm sit triplicis generis, vel honestū, vel delectabile, vel utilē, hinc profectò sequitur, ut, quantum honesti, quātū utilis, & delectabilis boni reperitur in hac humana cognatione, tanta sit & ratio illius æstimandæ. Sic regia dignitas cùm abundet istis bonis, omniū opinione suprema est inter humanas & politicas, cæteræque hominum conditiones & status tanto habentur in pretio, quanta est illorum ad regiam propinquitas & accessio. Quamobrem vide hic quantus sit honos, quanta utilitas & quanta vitæ jucunditas Patrē esse illius Virginis quæ Mater est Dei. Certè sicut nulla unquam nobilior Mater matre Dei, sic nullus Pater nobilior patre Matris Dei. Quod si veteres illi Patriarchæ Abrahamus, Isaacus & cæteri tanto apud posteros in honore sunt habiti, quod ad Christi Domini stirpem spectarent, quantò major est sancti Ioachimi honos, qui Dominum Iesum eo propior contingit sanguine quo posterior est tempore.

Quanta porro utilitas in beatissimum virū emanarit, cogitare licet ex precibus & meritis sanctissimæ filiæ quæ haud dubiè nō ingrata erat, & gratitudinis debitum suo apud Deum merito persolvebat. Restaret de vitæ jucunditate dicere, nisi satis notum esset cogitanti, nihil esse posse parenti jucundius quā amabilem prolem, & cum maximè proles diu fuit expectata, cùm antè longis expetita votis, & iis corporis atque animi dotibus exornata, quibus inter omnes creaturas eminebat Virgo pulcherrima simul & sanctissima.

Sit ergo nobis vel hoc etiam nomine plūrimum commendandus sanctus Ioachimus, quòd illam omnium proximè, sanguinis affinitate contingat, quæ quantùm in se boni continet & honesti simul & utilis & jucundi, quod certè est utiobique præcipuum & singulare, tantùm à nobis meretur coli.

II. PUNCTUM.

SED illa triplex ratio boni, melius reperitur in affinitate sanctitatis quàm sanguinis.

Dicitur affinitas sanctitatis inter eos, qui nō modò sunt in gratia sanctificante, sed virtutum omnium actibus & præcipuè charitatis, conantur in dies sanctiores fieri & perfectiores, sicut sanctissima Virgo quotidie imò & per horas & momenta crescebat gratia, meritis, & omni sanctitatis modo. Habent cum illa igitur affinitatem quotquot sancti sunt, id est, in gratia & charitate constituti, & eo quidem majorem, quo sanctitate propius ad eam accedunt. Verùm, tanta esse dicitur illa affinitas, ut minimus eius gradus superet omnē sanguinis affinitatem, quia videlicet plus continet boni honesti, utilis, & delectabilis.

Ac de honesto patet, cùm tota ratio boni honesti sit in ea conformitate, quam res habet ad rationem humanam & divinam: nihil autem sit conformius rationi vel humanæ vel divinæ, quam hominem in eo esse statu, quo Deum Creatorem suū præcipuè colat, & singulariter ab eo diligatur, sicque rectius ad finem cui conditus est, æternamque beatitudinem perveniat: quod non alio verius præstatur modo, quàm per gratiam illam sanctificantem, quæ adjunctam habet charitatem & alios virtutum actus, qui quo sunt numero plures & merito præstantiores, eo & illa boni honesti ratio censetur amplior.

Bonum hic verò utile suprà quam etiam in humana cognatione longè uberius reperitur, cùm bonum illud sit animi non corporis, sit æternum non temporale, sit divinum nō humanum; imò utrumq; simul & animi & corporis, temporale & æternum, humanum & divinum. Nam quanta quāta est divinæ mercis amicitiæ, divinæ fœcunditas unionis, & divinæ visionis amplitudo, tanta est hujus sanctæ per omne tempus & in omnem æternitatem affinitatis utilitas.

Delectabile porro esse quis dubitet supra omnem humanæ vitæ jucunditatem, cùm sit ipsa

ipſa poſſidenda beatitudo, cuius ſemen eſt gratia, & cujus fructus eſt vita æterna, & gaudium ipſius Dei, quod nemo tollat à nobis.

Quod quidem triplex boni genus in hac ſanctitatis affinitate contentum peropportunè ſimul conjunxit Sapiens ſub nomine Sapiētiæ de qua dixit: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniã antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabã quoniam horum omnium mater eſt. Quã ſine fictione didici & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati* Itane æſtimas illum ſtatum? Sap. 7.

III. PUNCTUM.

Affinitas ergo ſanctitatis cum Beatiſſima Virgine magis eſt æſtimanda quam ſanguinis; cùm quidquid æſtimandam facit affinitatem ſanguinis magis reperiatur in alia, videlicet triplex boni ratio, quæ eſt honeſti, utilis & delectabilis.

Sic apertè S. Ioannes Chryſoſtomus de Timotheo, quem ſuum ſæpe Apoſtolus filium vocat: *Nõ fuiſſet*, inquit, *tam beatus Timotheus, ſi Pauli filius à natura fuiſſet, quàm nunc eſt admirabilis, quoniam ſecundum carnem nihil ad ipſum attinens, per cognationem, qua eſt ſecundum religionem, in ipſius ſe adoptionem induxit, cum ſedulitate diſciplinæ illius characteres in omnibus ſervans.* Hom. 7. ad pop.

Neque hinc deperit aliquid gloriæ ſancto Ioachimo Patri ſanctiſſimæ Virginis, imò multum accreſcit, cùm non modò eam attingat ſanguine ſed & ſanctitate. Et patebat quidem eius ſanctitas antequam filia naſceretur, cum totus eſſet in precibus, & pariendis in pauperes bonis ſuis, qua pietate tantum promeruit apud Deum, ut illam ſibi, nobiſque omnibus progenerarit filiã. O quale viri promeritum! ô quanta totius humani generis erga talem virum debet eſſe gratitudo, cui talem debet filiam, quam ſuam agnoſcit matrem! At verò cum hæc ei divinitus nata eſt cumque ſuo vitæ exemplo, ſuis precibus & meritis, ſanctitatem patris haud dubiè, tam potenter promoverit quam erat potens & gratioſa: quis mente complecti poſſit quò ille perfectionis aſcenderit?

In obitu tandem poſtremoque die perfungendo, quæ illi nõ ſubſidia detulit obſequentiſſima filia? quibus eum expirantem orationibus non eſt comitata, ut eò beatitudinis excelſiorem in cœlo gradum obtineret, quò depreſſiorem in terris eum viderat & ſanctiorẽ? Niſi enim dum viveret, Sanctitatem coluiſſet, nihil illi fateor ad beatitudinem, ne quidẽ continuatæ per totam vitam filiæ preces, potuiſſent; ſed cùm, ut dictum eſt, non minus ſanctitate quam ſanguine filiam attigerit, duplici hac affinitate ita colendus eſt, ut dicamus tamen majorem hanc eſſe magiſque æſtimandam ſanctitatis affinitatem quam ſanguinis. Quod ita verum eſt, ut ſi quis affinitate tantum ſanguinis contingeret Beatiſſimam Virginem, & non ſanctitatis, inferior eſſet & diſiunctior ab illa Virgine, quam qui tantum ad illam accederet propinquitate ſanctitatis & non ſanguinis.

Quod minime mirum videri debet, cum illud ipſum de eadẽ Sanctiſsima Virgine circa Filium dici poſſit, ut jam ſupra notavimus; nempe ſi hoc tantum haberet quod eius Mater eſſet, & non ſancta Mater, minùs ad illum accederet quàm qui Sãctus eſſet; *Quæ eſt Mater mea, aut qui ſunt fratres mei*, dicebat ille, cum de Matre ſua interpellaretur. *Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: ecce mater mea & fratres mei: quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*; quaſi diceret, ſi mea carnalis mater non faceret voluntatem Patris mei, non ita mihi diceretur mater aut propinqua, ſicut qui faceret Patris voluntatem. Matt. 12.

Sic ſanctus Hieronymus, *non negat Matrem*, inquit, *ſed docet carni ſpiritum præferendũ.* Ubi & Divus Chryſoſtomus; *Vna nobilitas eſt, Dei facere voluntatem.* Itemque Beda: *Chriſtus docet religioſiorem cordium copulam quàm corporum.* Et cum alias prædicaretur beatus venter qui talem portaſſet filium, & ubera quæ ſuxiſſet; *Quin imò*, inquit, *beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Quod explicans Chryſoſtomus; *Non eſt reſponſum*, inquit, *repudiantis matrem, ſed oſtendentis quod nihil ei partus profuiſſet, niſi fidelis fuiſſet.* Sic rurſum Beda: *Dei genitrix, inde quidem beata, quod Verbi incarnandi miniſtra temporalis: ſed inde multa beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos æterna.* Luc. 11.

Sed omnium excellentiſsimè S. Auguſtinus

Tr. 10. in Ioan. 10.

post relata Christi Verba: *Ergo*, inquit, *& Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnifi avit Dominus, quia fecit voluntatem patris, non quia caro genuit carnem. Intendat Charitas vestra: Propterea cùm Dominus in turba admirabilis videretur faciens signa & prodigia, & ostendens quia lateret in carne, admirata quædã animæ dixerunt, fœlix venter qui te portavit. Et ille, imo fœlices qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Hoc est dicere: & mater mea, quã appellastis fœlicem, inde fœlix, quia verbum Dei custodivit: non quia in illa verbum caro factum est, sed quia custodit illud ipsum verbum Dei per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo.* Et alibi: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi quàm concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde quam carne gestasset.* Sanctus denique Iustinus in quæstionibus, *non matrem debito honore fraudat Dominus, sed docet qua, ex maternitate virgo sit beatissima.* q. 536.

I. de sancta Virg. c. 2.

Quæ cum omnia proposita valde confirment veritatem, videlne animæ quantum tibi ex sanctitate boni accedat, qui dum sis sanctus, propior eris beatæ Virgini quàm propinquus ejus, cui deesset sanctitas: imo propior eris ipsi Christo Iesu, quàm ejus esset mater, si sancta non esset. O Sanctitatem supra res omnes creatas exoptandam, cùm supra Patrem Virginis matris, aut ipsam Dei supra matrem, qua dignitate nihil sublimius, ipsa tamen sanctitas præstet & emineat.

Vide in hac 2. parte, Feria 6. post Cineres, ubi de Sanctitate. Et in 3. parte. Die 26. Iulii de sancta Anna.

DE SANCTO BENEDICTO

Die 11. Martii.

Inter Benedictos benedicetur. Eccles. 24.

VERITAS PRACTICA.

Inter benedictos benedicetur, non cui melius omnia: sed qui ex omnibus melior.

SENSVS & RATIO est, quod ex multis, qui putantur in hac vita benedicti, ille est verè benedictus dicendus, non cui fœlicius succedunt omnia, aut qui pluribus abundat bonis, sed qui rebus aut successu rerum meliùs utitur.

Sed non est melior rerum aut bonorum usus quam si ipse, qui ea recipit, fiat ex eis melior & sanctior.

Ergo inter benedictos benedicetur non cui melius omnia, sed qui ex omnibus melior: sicut ipse sanctus Benedictus.

I. PUNCTUM.

2. l. Dial. c. 1.

FVIT *Vir vitæ venerabilis*, inquit sanctus Gregorius, GRATIA BENEDICTUS ET NOMINE: *ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile: ætatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animũ dedit, sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè uti potuisset, despexit jam quasi aridum mundum cum flore: qui liberiori genere ex provincia Nursiæ exortus, Romæ liberalibus literarum studiis traditus fuerat: sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorũ cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque literarũm studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit, recessit igitur scienter nescienter nescius, & sapienter indoctus.* Tum de vita eius & miraculis sanctus ille Doctor toto Dialogorum secundo libro. Sed ex illis paucis, imò ex solo nomine cui res respondet, satis superque rerum est quæ considerentur.

Quid est enim *Gratiâ* BENEDICTUM *esse & nomine* nisi tantis donorum cœlestium abundare benedictionibus ut per Antonomasiam & excellentiam præ cæteris BENEDICTUS sit dicendus? Et certè legi non possunt sine stupore animi, quæ de sancto viro tam mira & stupenda referuntur, sive sanctitatem vitæ respicias, sive miraculorum multitudinem, sive Ordinis, quem instituit, religiosi præstantiam; quæ à nobis quidem fusius in vernacula meditatione descripta sunt. Verùm, quod mihi modò ex omnibus magis admirandum & ad praxim accommodatius venit, non est illa

illa gratiarum copia, non bonorum etiam spiritualium abundantia, nec fœlices instituti progressus ordinis: sed rectus & probatus rerũ omnium usus, quo non ad privatam illegloriam & singularem nominis commendationem, aut simile aliquod singulare commodũ; sed ad suam sanctitatem, ad communem totius Ecclesiæ proventum & æternam animarum salutem, quæcunque sibi cœlitus donarentur & acciderent, derivabat. Hoc est revera benedici; hoc est esse *Benedictum Gratia & nomine*: hoc est quod de sapientia seu de sapientiori viro scribit Sapiens, *inter benedictos esse benedictum; NON cui melius omnia fiant & succedant, sed qui ex omnibus fiat melior.*

Ratio præsupponit, quod in comperto est, plures benedictionum reperiri species, quibus
Is. 3. benedici contingat in hac vita. Sunt enim
primò benedictiones quæ dicuntur mundi,
Luc. 6. seu quæ à mundo & mundanis dantur, *cùm*, ut ait Propheta, *justificatur impius & iniquus laudatur in iniquitate sua. VÆ cum benedixerint vobis homines. MALEDICAM benedictionibus vestris.* Deinde sunt benedictiones terrenæ & temporales de quibus frequens est
Mal. 2. mentio in Scripturis. Ac denique dicuntur à Domino benedici qui plures vel singulares gratias ab eo recipiunt sive in suũ sive in alio-
Is. 23. rum usum, *hic accipiet benedictionem à Domino*, quasi diceret, non à mundo, non à terra, non ab hominibus, sed à Domino, cujus quidem benedictio longè est aliis præferenda, ratione dantis & doni; sed tamen nisi rectè quis datis donis utatur, quid prodest illi benedictio? audi Psalmistam: *Et dilexit maledictionem & veniet ei: & noluit benedictionem & elongabitur ab*
Ps. 108. *eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Putasne sit aliquis qui nolit benedictionem Domini & qui maledictionem diligat? nõ aliter est putandus quam qui accepta benedictione abutitur & in maledictionem convertit, sicut Iudas traditor de quo est totus ille Psalmus.

Non est itaque satis ad veram benedictionem, sive ut quis vere benedictus dicatur, si benedictionem à Domino accipiat, si multa, vel singularia, si rebus abundet, si prosperis gaudeat eventibus: sed si accepta benedictione & omni rerũ abundantia fuerit rectè usus, multi enim benedicti à Domino, sed inter benedictos ille unus benedicetur, qui cum divina gratia sic bonis datis bene utitur, ut, quod est in Scriptura, *Dominus impleat in eo* Tob. 7. *benedictionem suam.* Inchoata est in aliis benedictio, sed impletur in rectè utentibus.

II. PUNCTUM.

IAM verò, non est melior rerum aut bonorum usus, quam dum ipse, qui bona recipit, fiet ex eis melior & sanctior.

Nam primò, etsi quis non abuteretur bonis in vitium, sed tantum in temporale commodum, quis non videt non hunc esse finẽ propter quem sua Deus communicat qui *universa* Pr. 16. *propter semetipsum operatur?* Deinde si dixeris id Deo fore gloriosum, dummodo Deum inde laudes & ames: at quænam eius laus dignior, quàm à digniori & meliori animo, quẽ ipse Deus suis benefactis semper prætendit & provocat quantum in ipso est, ut air sanctus Psaltes, *Etenim benedictionem dabit legislator.* Ps. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Et Apostolus: Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus: ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Videsne finem quem habet Dominus qui benedicit? Potestne verò esse alius illo melior? Et quando esset alius finis, deberetne is qui recipit benedictionem, aliud in ea spectare, quam quod is spectat qui benedicit?

O quam acutè Sapiens: *Compedes in pedi-* Eccles. 21. *bus, stulto doctrina, & quasi vinculum manuum super manum dextram*: Id est, qui nescit rectè uti suis animi dotibus & quibuscunque donis acceptis, perinde est ac qui pedibus manibusque constrictus, suorum usu membrorum privaretur. Nescit autem illis animi donis rectè uti, qui non inde sapientior & melior efficitur.

Quod & paulò antè, idem Sapiens, sic per avari similitudinem luculenter expresserat: Ibid. 14. *viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum? Qui sibi nequã est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc reddutio est malitiæ illius.* Quasi diceret, hoc est esse sibi malum, non esse bonum ex bonis suis: hoc est sibi velut invidere, quando quis mavult parcere suis bonis, quàm inde sibi benefacere ac prodesse.

III. PUNCTUM.

INTER *benedictos igitur benedicetur non cui melius omnia, sed qui ex omnibus melior*, qui sic omnibus datis & acceptis rectè utetur, ut ex omnibus & singulis sanctior, humilior, ad omne virtutis exercitium paratior, & ut ait
2. Tim. 2. Apostolus, *vas sit in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Hoc est non modò benedictionem accipere & implere, sed in ipsam quodammodo transire benedictionem, ut ait Dominus per Pro-
Zacch. phetam: *Salvabo vos, & eritis benedictio.* Id est, sic inter benedictos benedicemini, ut ipsa sitis benedictio, non modò quia plus aliis benedictionis accipietis, sed quia benedictione acceptâ melius utemini, quando ad vestram salutem & perfectionem, ejus usum convertetis: sic enim sancti & salvi facti, verè tùm eritis ipsa benedictio, cujus finis & effectus est sanctitas & salus vestra.

Ps. 127. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum*; qui timet scilicet, quod dixit Dominus de his qui suis abutuntur donis: *Quia ego*
Osee 2. *dedi ei frumentum & vinum & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Et ibidem: *argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.* Ibid. 8.
Nec non quod dixit Dominus in Evangelio: *omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Luc. 12. Hoc enim si verè times, sic intentus tibi eris in omnibus, ut quemadmodum accepisti à Domino ut loquaris & agas, sic omnino perficias; sicque fiet quod precabatur Moyses, *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens:* id est, universim in omnibus, & singulatim, in unaquaque actione, dum eam inchoando, tu propones cum gratia, quod est perfectius, & finiendo recoles an id effeceris. Deut. 28.

Vide in 1. parte, hebdomada 5. post Epiphaniam ubi duabus consequentibus Feriis hæ duæ Veritates proponuntur:

Gratitudo animi nulla formari potest digna beneficio vocationis, nisi se animus dignè conformet vocationi.

Non est minus perfectæ mortificationis, bene uti rebus, quàm omninò non uti.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Die 25. Martii.

Quæ tribus primis Adventus hebdomadis propositæ sunt considerationes & veritates, sive de Mysterio Incarnationis, sive Annuntiatione Mysterii, hûc opportunè referri possunt: quibus & nonnullas in pauca contractas addimus, quas unicuique promptum erit aliunde latius producere.

DE CULTU BEATÆ VIRGINIS In parvis rebus.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen Virginis, Maria. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Sui quisque cultus ac pietatis in B. Virginem, sæpe fidem facit majorem in parvis, quàm in magnis.

RATIO est, quia majorem sui cultus ac pietatis fidem is facit, qui magnis indicat se purè colere Beatam Virginem.

Sed sæpè id magis indicatur in parvis quàm in magnis.

Ergo

Ergo si quisq; cultus ac pietatis in B. Virginem, fidem sæpe majorem facit in parvis quàm in magnis. Quod præsertim adolescentibus, aut plebeis viris, aut incipientibus est opportunum.

I. PUNCTUM.

QVID *sibi voluit Evangelista*, inquit S. Bernardus homilia 1. super MISSVS EST, *Quid sibi voluit tot propria nomina rerum in hoc loco, tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tã diligenter studuit enarrare. Nominat sic quidem nũcium qui mittitur, Virginem ad quam mittitur, Sponsum quoque Virginis; arborumque genus; civitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Putasne aliquid horum supervacuè positum sit?* Tum ille sigillatim de unoquoque disserit. S. verò Petrus Chrysologus sic de his
Serm. 140 universim: *Locum, tempus, personam, S. Evangelista designat, ut relationis veritas manifestis ipsarum rerũ comprobetur indiciis.* Sic enim fit sæpius ut, dum minutiora quæq; recensẽtur, apertius innotescat quod narratur, quàm si majora tantum proferrentur. Adde quod, ubi Mysterium describitur, in quo quæ magna sunt, facta sunt parva: & quæ parva erant, facta sunt magna, convenientissimum fuit sic parva magnis jungere, ut parvis magna dignitatem confererent, & magnis parva fidem astruerent. Denique nihil ad cultum B. Virginis designandum aptius, quàm ut intelligamus sic magna esse parvis annectenda, ut neutra sibi præjudicent, sed se utraq; potius juvent; & magnorum merito, parva nobilitentur: & parvorum numero, magna consistant. Si nostra quidem spectamus debita, nihil tam magnum reddimus quin parvum cẽseri debeat: si verò dignitatem ejus, quam colimus, nihil tam parvum est, quod non magnum fiat illius magnitudine. Nullũ est itaq; genus officii & pietatis omittendum in ejus cultu, quod præstare possimus cum gratia.

Nec magna suis sumptibus aut difficultatibus nos deterreant; nec parva suis minutiis nos deludant, quasi nihil esset ad cultum & meritum quod in illis præstatur. Illam enim colimus, quæ & satis potens est ut magna quæq; compenset, & satis benigna est ut parva quæque respiciat.

Et quia facilius est unicuique parva quàm magna præstare, unde & minus excusabiles sumus, si desimus in his quæ magis possumus, idcirco præcipuè in his invigilandum est, ne quid propositi prætermittamus officii, quantumcunque sit illud exiguum. Imò quo est magis exiguum, minus omittamus, sive quia ut dixi, facilius est factu, sive quia ut dicendum est ex proposita veritate, magni est meriti. Sicut enim ex parvis illis *Galilæa, Nazareth sexto mense*, & aliis minutionibus circumstantiis, sacer historicus historiæ suæ fidem apertiorem facere dicebatur, sic planè sic ex parvis & quotidianis illis quæ potes reddere, *Tu majorem fidem præstabis tuæ devotionis & pietatis in Beatam Virginem, quàm si forte quid majus esset & dignius.*

Ratio, quæ affertur, jam supra partim aut infra magis agitatur, in prima scilicet & tertia parte, locis in fine hic annotatis; unde hæc pauca in rem præsentem deducũntur. Suæ quisq; pietatis in colendissimam Dei matrẽ, majorem facit fidem, qui melius & apertius indicat quàm purè illam colat, Id est, vel sincerè ex animo, vel purè propter ejus meritum & dignitatem, vel purè propter morum & cordis puritatem, qui certè cultus quocunq; horum trium modo sumatur, est excellentissimus & acceptissimus.

Quasi Libanus, inquit, *non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non* Eccles. 24 *mixtum odor meus.* Quasi diceret, & in me & in meis hoc est quod præsertim eminet, ut nihil sit mixtum & infectum, sed pura omnia & sincera, *Virgo erat*, inquit S. Ambrosius, *nõ solum corpore sed etiam mente, quæ nullo dol* L. 2. de *ambitu sincerum adulteraret affectum.* Nec a Virgin. mare, nec amari: nec quidquam colere, aut à quoquam velle coli, nisi purè & sincerè, hoc est Parthenicum, hoc est Virgineum, hoc est Marianum.

II. PUNCTUM.

SED *sæpe id magis indicatur in parvis, quàm in magnis.*

Primò quàm purè & sincere, ex animo, & non verborum tenus: nam illa parva sunt ordinariè magis voluntaria quàm magna; sunt illa quæ idcirco ex devotione dicuntur fieri, quia fiunt voluntariè, seu ex propria potius propensione bene affectæ voluntatis, quàm ex ulla obligatione vel motivo extrinsecus adven-

Exodi 35. adventante. *Omnis voluntarius & prono animo*, inquit Scriptura, *offerat aurum & argentum & æs, hyacinthum & purpuram, pilos caprarum, pelles que arietum rubricatas.* Id est, sive aurum sive æs offerat, sive purpuram, sive pilos caprarum, quæ certè sunt in se valde diversa, si tamen voluntario & prono animo offerantur, perinde acceptantur omnia, nisi quod ea quæ magis voluntariè offeruntur, magis etiam placent, quia illa est voluntatis propensio quæ præsertim spectatur. Non est dubium, quin si aurum tum propenso daretur animo, sicut æs, aut quid vilius, auri oblatio esset pretiosior, sed quia rara est non modò talis oblatio, sed & talis propensio voluntatis etiam in his qui commodè pretiosa possent offerre; idcirco verè dicitur, in parvis sæpius & pene in solis parvis hanc animi pronitatem reperiri, atq; propterea sic melius indicari quâ purè & sincerè ex animo colant eam, cui sic sua deferunt. *Corde perfecto & animo voluntario*, sic utrumque simul scriptura jungit. 1. Par. 28

Deinde quod est magis considerandum, cùm parva fideliter fiunt, non magna inde speratur merces, sicut in magnis; non id spectatur, non id attenditur, sed purè dignitas & excellentia sanctissimæ Virginis Matris, quæ tanti est meriti, ut posse illi servire, censeri debeat acceptū potius beneficium quàm officium persolutum: quod certè est purè illam colere, purè propter ejus dignitatem & meritum, cui licet valde impar & longè inferius sit illud parvum quod præstatur, quia tamen purè præstatur propter ejus celsitudinem, ab illa puritate haurit quod à parvitate deesse poterat. *Offeret unusquisque secundū quod habuerit juxta benedictionē Domini Dei sui, quam dederit ei.* Deut. 16 Quidquid detur purè detur propter ejus excellentiam cui datur, sic excellet omnibus donis.

Deniq; cùm nullus sit Virginis Cultor, qui non audierit in servanda cordis & corporis puritate cultum ejus præcipuè situm esse, quis nescit illam cordis & corporis puritatem tanto magis indicari, quanto minora erunt quæ propterea curabuntur? Quis è duobus purior & sanctior: aut qui ne primas quidem occurrentis vitii species quantumcunq; leves ferre possit quin expugnet: aut qui solum illud quod est in vitio gravius caveat: *Musca morientes perdunt suavitatem unguenti.* Eccl. 10. O præclarè dictum à Sapiente! quantumcunq; suaves & acceptæ sint illæ preces quæ offeruntur, si tamen ab impuro corde offerantur, perit eorum suavitas; tanti refert cor illi purum servare! tanti refert primis & modicis invigilare cordis motibus ubi tota consistit puritas!

III. PUNCTUM.

SIC igitur sui qui, q; cultus ac pietatis in Beatam Virginem, sæpe fidem facit majorem in parvis quàm in magnis rebus, quia sic indicat se purius illam colere, in qua cultus puritate tota versatur pietas, quæ tantæ dignitati & bonitati debetur, *Accipe*, inquit, *disciplinam meam & non pecuniam: doctrinā magis quàm aurum eligite.* Prov. 8. Quasi diceret, si quid mihi vultis offerre gratum & acceptum, nolite laborare in conquirendis exquisitis & pretiosis rebus, obvias & quotidianas prout edocemini, prout scitis & potestis, malim mihi à vobis præsentari. Sicut & à me non expectetis temporales divitias & humanas illas dotes, quibus inhiare solet naturalis cupiditas. Meo vos exemplo doceo, & quid petere, & quid dare debeatis. In parvis æquè versata sum ac in magnis, & quidquid in me fuerit magni, non ita magnitudinem meam sicut humilitatem & parvitatem, respexit Deus. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cant. 1. Id est, humilitate & exilitate mea potius attractus est ille Rex regum, quàm ulla virtute alia. Hæc est disciplina mea, hæc vitæ ratio quam tenui, ut semper parva magnifacerem; & hæc est doctrina quam profiteor, ut, qui meus esse velit, hanc sequatur. *Si quis est parvulus veniat ad me.* Prov. 9. 8. *NVNC autem filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas, audite disciplinam, & estote Sapientes, & nolite abjicere eā.*

Mirum certè quod Sponsa Sponso poma offerat & similes quosdam vulgares fructus; quæ ut manifestius videas spectare ad Sanctissimam nostram Virginem, recordare quod alias ex S. Ambrosio commemoratum est, quod illa quanta quanta esset, se tamen pauperum precibus commendabat, & in eorum prece tantum ponebat, quantum in divitiis divites hulus sæculi. Potesne jam dubitare quin illi parva placeant: aut si non dubitas, potesne illi recusare? Et tamen in quantis parcus es & avarus. Quā multis otiosis verbis abstinere posses, in ejus cultū? Quàm multis cupiditatum motibus? Quam multis mundanis & sæcularibus nugis? Non commemo-

memoro positivos quos vocant pietatis actus, qui multi parvi & quotidiani possent exerceri, sed negativos illos urgeo, qui videntur actu minores, qui tamen merito ac beneplacito sunt majores. Nam illa sunt quæ tam libenter recipit optima parens nostra, quàm vehementer optat nostram salutem, quæ ex his negativis actibus magis pendet quàm aliis. *Qui operantur in me*, inquit, *non peccabunt*, qui mihi colendæ vacant, qui mihi suo velint placere cultu, si me audiunt, non peccabunt, si mihi verè velint placere, hoc uno quod volunt agent, si non peccent, si se ab omni specie mala quantumvis levi, contineant. Eccles. 24.

Vide in 1. parte, Feriam 6. infra hebdomadam sextam post Epiph. Et in 3. parte, Feriam quintam infra hebdomad. 8. post Pentecosten. Et in Festis B. Virginis.

DE SANCTITATE BEATISSIMÆ Virginis, Unicuique magis proponenda.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Quod cuique magis ex Virgine Matre proponi debet, est ejus Sanctitas: non quàm sit sancta, sed quàm tota sit sancta.

Sensus & Ratio est, quia quod magis simul promovet majorem Virginis gloriam, & nostram spiritualem utilitatem, illud est, quod cuique magis ex Virgine proponi debet.

Sed ejus sanctitas sic proposita, ut non ita quàm sancta sit, quàm quòd tota sit sancta spectetur, magis simul promovet majorem Virginis gloriam, & nostram spiritualem utilitatem.

Ergo illud est, quod cuique magis ex Virgine Matre proponi debet; omnibus quidem Christianis sed præsertim proficientibus & perfectis.

I. PUNCTUM.

IGnari viarum viatores si fortè incidissent in trivium: ne aberrarent longius, erant olim appositæ quædam statuæ seu acetvi lapidum, qui dicebantur Mercurii, unde unaquæque via designabatur: cujus saltem nominis mentionem facit Sapiens in Proverbiis. Sic opportunè dici posset cœlestis Nuncius jam nobis repræsentari, ut tanta in diversitate rerum, quæ occurrunt tractandæ, determinetur nobis quid aptius & quid rutius quò tendamus. *Ave*, inquit, *gratia plena*. Quàm multa proferri poterant in ejus, quam salutabat, laudem & gloriam? sed nihil aptius, nihil sublimius, nihil utilius quàm ut ejus sanctitas quæ est ipsa gratiæ plenitudo, nobis proponatur, sive ad cultum, sive ad imitationem hujus sanctissimæ Virginis Matris. Quod ut apertius patefiat, in hoc est posita veritas modò expendenda, & veritatem ratio sic demonstrat. Prov. 26.

Quod magis simul promovet majorem Virginis gloriam, & nostram spiritualem utilitatem, illud est, quod cuique magis ex Virgine proponi debet. Non alterum sine altero; neque nostra sola spectetur utilitas, neque sola illius gloria, quia vix aliter commodius alterutrum promoveri potest, quàm si simul indivisim proponatur. Quæ est enim nostra utilitas sine illius gloria? Aut quam apud nos consequetur gloriam, nisi quales illa nos optat & procurat, efficiamur, aut effici studeamus? *Gaudium meum & corona mea*, dicebat Apostolus suis Philippensibus. Et rursum aliis explicatius: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante D. N. Iesum Christum? vos estis gloria nostra & gaudium.* Phil. 4. 1. Thess. 2.

Certè nisi Paulus jam fuisset sic à Christo glorificatus, ut eximius esset Apostolus, nec Philippenses, nec Thessalonicenses aut alii quibus prædicabat, tantam ex eo prædicante per-

percepissent utilitatem; & nisi multum hi ex Apostolo profecissent, non tanta fuisset Apostoli gloria, unde manifestè patet quantum se illa duo invicem juvent & promoveant.

Quod in beata Virgine tantò potiorem habere locum necesse est affirmare, quantò nobis arctius intercedit cum illa vinculum eorum omnium, quæ ad salutem spectant. Illius gloria est, nostra est utilitas; & nostra utilitas, illius est gloria. Quantò enim excellentiorem eam esse & sublimiorem audiverimus, tantò erit & cultus noster, & animus totus in illam propensior; quantóque hæc nostra propensio magis religiosa fuerit, tantò & illa in nos effundetur splendidius. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Non una tantum sed duæ sint oportet simul ex utraque parte pendentes murenulæ, quæ quidem sunt aureæ ex Virginis merito, & vermiculatæ argento, ex nostra utilitate simul juncta. *Flos est campi, & lilium convallium*, ad utilitatem scilicet & eorum omnium opportunitatem, qui ea velint uti.

Cant. 1.

Ibid. 2.

Ibid.

Illa est quæ petit *fulciri floribus, & stipari malis*; quasi diceret, se florere nolle nisi simul fructificet. Illa est cui sic dilectus loquitur, *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea.* Nempe amica ex merito suo, columba ex nostra utilitate, & inde ex utroque pulchra & formosa. Tùm quod subjungitur, quàm aptè & cohærenter! *ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora:* Nempe ad ejus meritum cognoscendum desideratur facies; & ad utilitatem hauriendam vox & sermo petitur.

Sic evolvi possent quæcunque in Canticis de illa referuntur symbola, in quibus illa duo sic simul juncta, mutuam sibi servant fidem, ut quod Deus sic conjunxit, nefas sit hominem separare.

II. PUNCTUM.

Sed ejus sanctitas sic proposita, ut non ita quàm sancta sit, quàm quòd tota sit sancta, spectetur, magis simul promovet majorem Virginis gloriam, & nostram spiritualem utilitatem.

Primò quidem quod sanctitas, quæ omnes increatas gratias, & omnes externos virtutum actus comprehendit quàm longè superet dignitate & merito quascunque alias animi seu corporis dotes, atque ipsius etiam maternitatis eminentissimam dignitatem, vide & recole quæ in Conceptionis festo & de S. Joachimo relata sunt. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.* Dic quicquid voles de Virgine Matre, nisi dixeris eam sanctam, nihil dicis ad ejus gloriam, quia quæcunque anima fuerit illa sanctior, erit & glorioſior, nam gloria in sanctitate est, *Magnificentia in sanctificatione ejus. MAGNIFICENTIAM gloriæ sanctitatis tuæ loquentur.* Hoc est, quod in cœlo à primoribus Angelis de Deo celebratur magnificentius: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus.* Hoc est quod de Christo commendatur singularius, *Sanctus sanctorum. QVOD nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur.* Hoc est quod de nostra Virgine primum & præcipuum commemorat Angelus, *Ave, gratia plena*, gratia illa omni videlicet, quæ & sanctificans dicitur, & qua sanctificatio perficitur, qua qui abundat plenius, eo est sanctior, & quo est sanctior, eo est Deo propior & glorioſior. *Qui sanctus est sanctificetur adhuc*, nam sanctitati præcisè adæquatur beatitudo & gloria.

Eccles. 26. Ps. 95. Ps. 144. Is. 6. Dan. 9. Luc. Apoc. 22.

De sanctitate porro seu gratia beatissimæ Virginis cogitare volenti au dicere, tria essent distinctè proponenda, nempe qualitas, quantitas & plenitudo. Qualitas ejus est, superioris cujusdam ordinis supra omnes alias gratias tam excellens ut minimus ejus gradus excellat supremo gradui cæterarum, *omne desiderabile, ei non potest comparari.* Quantitas verò talis, quæ respondeat dignitati Matris quæ cùm aliquo modo sit infinita, ut ait sanctus Thomas, sic gratia & sanctitas non nisi abyssus inscrutabilis, & immensum quoddam mare dici potest; unde hæc sunt præclara S. Augustini: *Mariæ dignitatis & gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam quam concipiendus præbuit, conceptus & natus non abstulit, sed auxit: quæ quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de ejus natura naturam suscepit quam condidit.*

Pr. 8. 1. p. q. 25. a. 26. Opusc. de Assumpt. Virginis.

Plenitudo denique hoc quantitati & qualitati addit, ut nulla fuerit animæ facultas, nulla pars corporis, nulla vitæ actio, nulla uno verbo res capax sanctitatis, quæ ad sanctã spectavit Virginem, cui non infusa fuerit sanctitas tam constanter & effusè ut nihil nisi sanctum toto vitæ decursu egerit, dixerit, cogitarit.

Cant. 4. gitarit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; Nihil prorsus inordinatum. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus* Ps. 45. *in medio ejus non commovebitur.* In medio ejus, id est, in corde unde cæteri vitæ actus emanent & sancti sint. Vel potius in medio cujuscunque ejus actionis ut eam dirigat, purificet & omni sanctitate repleat: *Non commovebitur*, id est, nunquam inde recedet, nunquam deficiet, sancta ubique & semper in omnibus sicut ipse Deus, non natura sua, sed gratia divinitus communicata & conservata: de cujus plenitudine quomodo à cæteris differat, vide in sequenti discursu.

Hoc est autem quod in sanctitatis gloria dico eximium, hoc est vel maximè quod de sancta Virgine gloriosum commendetur, non tam præcisè quod sit sancta qualibet qualitate aut quantitate sanctitatis, quàm quod sit tota sancta, quàm quod nihil prorsus defuerit ad talem sanctitatem quæ maternitati divinæ competebat, nihil prorsus in vita ejus vacuum & inane fuerit, quod non sanctitas & gratia totum impleverit & meritis cumu- 2. Reg. 3. larit. *Et Dominus erat cum ea, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.*

At quantumcunque sublimis & singularis fuisset ejus gratia, si quo in actu vitæ Virginalis defuisset, si qua in parte corporis, si quo in motu cordis defecisset, apparuisset lacuna & macula, nec tota pulchra & sancta fuisset, quod sanè de ejus gloria multum detraheret. Nunc verò cum dicitur plena, nihil lacunosum, nihil infectum, nihil inane, nihil naturale, nihil ne humanum quidem cogitatur, sed totum spirituale, totum cœleste, totum divinum. Quæ certè laus, laudis ipsius est gloria, seu ipsius corona gloriæ, id est, extremum quo humana creatura possit ascendere.

Sicut aurum quantò est purius, tantò est pretiosius, sicut Angelus quantò magis est incorporeus, eo magis est spiritus & excellentioris naturæ, sicut & ipse Deus quantò est simplicior, & ab omni corpore, seu accidente remotior, tantò est in sua natura perfectior; sic planè de quovis homine cujus perfectio est quàm proximè ad Angelos aut ad ipsum Deum accedere, tantò magis eò promovetur, Rom. 8. quantò magis totus evadit spiritualis, *non permutatione suæ corporalis substantiæ, sed mutatione vitæ & morum*, ut ait S. Paulinus in illud Apostoli, *In carne non estis, sed in spiritu.*

Hoc laboramus errore, inquit præclare Seneca, *sic nobis imponitur, quod neminem æstimamus eo quo est, sed adjicimus illi ea quibus adornatus est. Atqui cùm voles veram hominis æstimationem inire & scire qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus.* Nos verò in sublimiore instituti schola, dicamus etiam, animum ipsum quodammodo exuendum esse, quantum quidem ad naturalem spectat statum & ordinem, inspiciendus est qualis quantusque sit in supernaturali statu & ordine, & tantò demum erit magis æstimandus & prædicandus, quantò magis in eo purius & sincerius erit statu, nulla ut rei cujusquam inferioris permixtione depravetur. Ep. 77.

Sic autem perfectè pura & tota spiritualis dicitur sancta Virgo, cùm plena gratia dicitur, quasi diceretur nihil in ea posse aliud inveniri, quod non in gratiam transierit, quod non in se gratia transmutarit, sicut ignis ferrum sic ignefacit, ut non ferri quidem naturam destruat, sed suas illi qualitates ita communicet ut in ignem ferrum transiviisse videatur.

Hoc probè intellexit sanctus Ambrosius, cùm explicaret illa verba sancti Joannis de beatissima Virgine Matre sibi à Domino data in matrem, *Et accepit eam discipulus in sua.* *In exhort. ad Virgin.* *QUID est*, inquit, *in sua, cùm reliquerit patrem & Christum sequutus sit: aut quomodo in sua, cùm ipsi Apostoli dixerint, ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & sæcularia non habebat quia de mundo non erat? Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus præceptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt, accipite, inquit, Spiritum sanctum. Neque enim mater Domini Iesu, nisi ad possessionem gratiæ demigrarit, ubi Christum habebat habitaculum. Hæc Ambrosius* docte & acute; ait Cardinalis Toletus, *Beata enim Virgo inter spiritualia bona maximè putatur quæ Apostoli non reliquerunt, sed acceperunt; in temporalibus pauperrimi, sed in spiritualibus ditissimi.* *In Ioan.*

O qui sciret pretium gratiæ, ô qui sciret longam illam & prope infinitam distantiam, quæ intercedit inter naturæ opus & gratiæ: quantũ illud stuperet in Virgine Matre, quod nullum nisi opus gratiæ toto in vitæ decursu ediderit: & quantum in cæteris hominibus

miraretur, quod vix ullum eorum opus sit gratiæ, vix ullum quod naturæ non sit & naturæ corruptæ?

Supereſt ut de ſpirituali noſtra utilitate inde potiſſimum permanante conſideremus. Quod quidem erit facillimum agnoſcere ſi duo hæc principia ſatis per ſe nota præſupponas. Primum eſt, ad ſpiritualem profectum in primis valere ſolidum cultum & ſinceram pietatem in Beatiſſimam Virginem, cui hæ propterea Sapientiæ voces communi totius
Prov. 8. Eccleſiæ ſenſu conveniunt, *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*
Eccleſ. 24. *IN me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Qua de re infra fuſius. Alterum eſt, hunc ſolidum cultum & ſinceram pietatem non poſſe melius inſtitui quàm ſi pro noſtra quique vocatione ſtudeamus illam imitari, ſicut ipſa nos invitat; *Beati qui*
Prov. 8. *cuſtodiunt vias meas*, & ſanctus Bernardus
Serm. 2. Super miſſus. expreſsè monet; *ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum.*

Quibus ſic præſuppoſitis, nihil ad imitationem aptius aut convenientius proponi poteſt quàm illa ſanctitatis plenitudo ſic declarata, per omnes vitæ degendæ partes. Quid enim imitemur in ejus gratiæ qualitate vel quantitate quam nulli hominum aut Angelorum fas eſt non modò adæquare, ſed nec æmulari? At verò plenitudinem ejus ſanctitatis & gratiæ ſic poſſumus & debemus imitari, ut ſecundùm gratiam nobis communicatam non uni aut alteri ſolùm virtuti vacemus, ſed omnibus univerſim. Nec aliquibus duntaxat virtutum actibus aut aliquo tantùm tempore, vel loco, vel motivo, ſed ubique, ſemper, & eodem quo illa fine ac propoſito, intendamus, invigilemus, inſeneſcamus, & immoriamur univerſæ virtutis ſtudio, nulla ut prorſus ex
Eccleſ. 14. parte *deſraudemur à die bona; & particula boni doni nos non prætereat.*

Hoc eſt eam imitari, hoc eſt illi eſſe addictum, hoc eſt illi eſſe carum; hoc eſt in via
Epheſ. 3. eſſe ad profectum, hoc eſt *impleri in omnem plenitudinem Dei*, quod optabat Apoſtolus, id eſt, quantum ipſe Deus velit; hoc eſt quod ajebat S. Bernardus, *ne deſeras ejus converſationis exemplum.* Non dicit ejus contemplationis, non ejus zeli & ardentiſſimæ charitatis, quæ fortè eſſent ſublimiora, ſed *converſationis*, id eſt, retum in tuo vitæ ſtatu agendarum ſpiritualem induſtriam, nihil ut agatur perperam, improvidè, negligenter, otioſè, ſed omnia honeſtè, ordinatè, in ſpiritu, ex virtute & ratione ſuperiori; Quid juſtius? Quid rationabilius? Sed expendenda ſunt ſancti Abbatis verba, *ne deſeras ejus exemplum.* Id eſt, ubique, ſemper, in omnibus. In hoc enim uno ſita eſt plenitudo gratiæ ut ad omnia ſe extendat ne cuiquam noſtrum dicatur: *Non* Apoc. 3. *invenio opera tua plena coram Deo*: Sed potius, *Conſummatus in brevi, explevit tempora mul-* Sap. 4. *ta, placita enim erat Deo anima illius.* Certè ſi eſt placita Virgini, erit & Deo: placebit verò Virgini, ſi virginitatem illam, quæ eſt actionum integritas, ſervet, ſicque non recedet ab ejus converſationis exemplo.

III. PUNCTUM.

Sic ergo quod cuique magis ex Virgine Matre proponi debet, eſt ejus Sanctitas, non ſic quidem propoſita, ut qualis quantaque fuerit, ſubtilius enarretur, ſed quàm fuerit integra, plena & perfecta, non in habitu ſolo, ſed in actu ſimul & opere, ſeu potius in tot gratiæ & ſanctitatis actibus, quot ejus vitæ fluxerunt dies, quot fuerunt horæ, & momenta, quibus omnibus & ſingulis præſidebat gratia, dominabatur virtus, & imperabat ſanctitas. *Conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa* Pr. 31. *non comedit.*

Sic enim primò intelligetur quàm fuerit digna Mater Dei, quo uno titulo quidquid ad ejus gloriam dici poteſt, continetur. Deinde verò, quod aliud eſt in his noſtris quærendum exercitationibus, apparebit quid fructus inde colligi, quid ſpiritualis emolumenti poſſit in vitam & mores redundare. Nam quando hoc unum eſſet, quòd omiſſis cæteris, quæ humana ſunt & naturalia, de Virgine Matre hoc vel maximè prædicatur, quòd ſit ſancta, quòd ſit expers omnis culpæ, & totius virtutis Domina, quod unum hoc in toto vitæ decurſu agat, ut bene in omnibus agat: certè ſit evidens, quid ſit in rebus verè boni aut mali: & quàm longè fallantur homines, *qui dicunt malum bonum: & bonum malum.* Iſ. 5. Quis enim dubitet, ſi hæ divitiæ & deliciæ, quæ in præcipuis ponuntur bonis, verè eſſent bona, quin eorum partem bonorum non contemnendam Chriſtus communicaſſet Matri? Aut ſi paupertas talè eſſet malum, quale ſibi fingunt

gunt homines, cur malum hoc non avertisset a suis Deus! Nunc verò cùm unum malum quod est peccatum a sacra Virgine Deus avocarit; & in eam, unum bonum quod est gratia sive sanctitas, plena manu congesserit: quis non discat aliter de rebus judicare quàm mundus judicet: & de bono ac malo sentire aliter quàm caro sentiat?

Hoc autem qui perfectè didicerit, atque in quotidianam praxim adduxerit, næ is proficiet & jam multum profecerit, cum is incarnandi Verbi præcipuus finis fuerit. Hoc est scilicet quod Prophera prædixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: Butyrum & mel comedet ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Id est, sic nobiscum erit Deus, in illo Virginis filio, ut ille Virginis filius sit simul Deus & homo. Atque ut appareat manifestius quod naturale & humanum corpus habeat, nutrietur & crescet illis alimentis, quæ infantibus in Judea subministrantur. Et sicut dum erit infans, ipso gustu sciet quid sit bonum & suave palato, vel quid malum & amarum: ita per hanc ipsam experimentalem scientiam cognoscet, & procedente ætate cognoscendum mundo dabit, quid sit in aliis rebus omnibus verè bonum & malum. Nam hoc ipso, quo ex malis omnibus, in se & in matre sua, solum peccatum reprobabit, hoc solum esse malum docebit. Et dum ex omnibus bonis, sola illa quæ sunt spiritualia & divina sibi & matri præeliget, hæc sola verè esse bona, declarabit. O verè arborem scientiæ boni & mali, reparatricem funestæ illius, quæ primum delusit hominem.

Isa. 7.

Atque hinc forte dictum à sancto Petro Chrysologo de illa Virginis gratia: *Hæc est gratia quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.* Nempe ut si velimus, sic possimus ordinare vitam. Atque ut velimus, hoc unum nobis in colenda & imitanda Virgine proponamus: hoc uno nos ab illa diligendos & in spiritualem nostrum profectum dirigendos cogitemus, sicque illi ex intimo dicamus corde. *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1.

Serm. 143.

DE NECESSITATE VIRGINIS MATRIS ad Salutem.

Ecce concipies in utero, & paries filium. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Non tam sibi quam nobis, Christus elegit Matrem.

Sensus & Ratio est, quod si non ita erat necessaria Christo mater ut esset Salvator noster, quàm necessaria nobis est ut salvi simus: verè dici potest, quod non tam sibi quam nobis, Christus elegit matrem.

Sed non ita erat necessaria Christo mater, ac nobis.

Ergo non tam sibi quam nobis, Christus elegit matrem: unde profectò constabit quantum illi debeamus Matri.

I. PUNCTUM.

LEgationis Angelicæ hoc erat præcipuũ caput, ut dum intelligeret Virgo se electam in filii Dei matrem, huic electioni consentiret, & mox Verbum in ea Caro fieret. *Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur,* inquit sanctus Leo, *quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret effectus,* sic enim aptius videtur legendum quàm, affatus, *quod in ea operandum erat à Spiritu sancto, colloquio discit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei Genitrix mox futura.* Rectè autem & acutè S. Petrus Chrysologus, ad hæc Angeli verba; *Ecce concipies in utero: PROPTER reverentiam dixisse sufficerat, CONCIPIES: quod exaggerat IN VTERO, quid est? Vt conceptus esset veritas non figura: ut partus esset proprietas non imago: ut sicut de Deo vero, Deus verus natus est, sic de vero conceptu, veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, fratres, humani corporis injuria sublata est, non natura, nec est creatura delecta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis quæ Christum aërium corpus assumpsisse mentitur, nec habuisse carnem, sed hominem simulasse confingit.*

Serm. 1. de Nativit. Dom.

Serm. 144

At quis non miretur sic carnem de carne Deum assumpsisse? quis non obstupescat sic Deum esse factum infantem in utero Virginis? sic Deum voluisse in terris habere matrem qui solum in cœlis habebat Patrem! Sunt hæc certè stupenda, sed posito quod Deus esse vellet homo, non minus forte mirum, nec minus expendendum, *Quod non tam sibi quam nobis suam elegit Matrem.* Hoc certè ad praxim de necessario nobis illius Matris subsidio agnoscendo & demerendo, plurimùm facit.

Sic autem apertè declaratur proposita veritas, ut quod primò præmittitur non sit pluribus illustrandum. Quid enim clarius ex ipsis terminis, quàm si non ita erat necessaria Christo mater ut esset Salvator noster, quàm necessaria nobis est ut salvi simus per ipsum Christum, verè dici possit quod non tam sibi quàm nobis elegerit in suam matrem? Nihil de certa necessitate hic agitur; sed ex hypothesi pòst declaranda, quod nobis magis necessaria fuerit quam Christo mater, nonne evidenter illud infertur, quod non ergo tam sibi quam nobis illam elegit mattem?

Nonne sic ratiocinatur Apostolus, cum dicit Philippensibus se quidem aliquando ignorasse quid eligeret, an mori & esse cum Christo, an diutius vivere propter ipsos; hoc tamen postremum elegisse, *quia*, inquit, *permanere in carne, necessarium propter vos.* Quasi diceret, si jam vivo, non tam mihi quàm vobis vivo, quia vobis est magis necessarium quàm mihi, ut vivam longius. O eximiam Apostoli charitatem, qui cùm in corpore velut in carcere se constrictum sentiret, maluit tamen sic vivere quàm dissolvi, quia sic videbat suis esse oportunum! Sed quam longè hanc etiam superat charitas Christi Jesu, qui nostri causa, non in suo tantum sed in materno corpore sic constringi voluit quo cæteri modo infantes constringuntur! Vide in Adventu, hebdomada 3.

Phil. 1.

II. PUNCTUM.

Sed non ita erat necessaria Christo mater, ut esset Salvator noster, quàm necessaria nobis est ut salvi simus.

Ne quidem erat necessarium Deo fieri hominem, ut nos salvaret; cùm multæ aliæ suppeterent viæ, quibus id potuisset, sed quia sic erat convenientius *sanandæ nostræ miseriæ*, ut ait S. Augustinus, homo fieri voluit. Jam verò ut homo esset, satis illi erat habere corpus humanum, quale habent cæteri homines; neque ad hoc habendum corpus, magis ei erat necessaria mater quàm Adamo & Evæ qui duo primi progenitores nostri, verè corpus humanum habuerunt sine ulla matre. Sic expressè S. Thomas, unde quod matrem habuerit, alias oportet esse causas, in quibus illa recensetur non postrema, quòd sic nobis magis expediret, esseque ita necessarium ut vix alioquin sine illa matre salvi esse possemus. Non quod Christus ex se non sufficiat, non quod aliunde sine illo possit salus comparari: sed propter rationem jam supra ex parte productam in prima parte, Feria sexta primæ Adventus hebdomadæ, ubi quod de perseverantiæ dono dicitur, debet ad alias actuales trãsferri gratias, sicque ulterius declarari potest quàm sit nobis necessarium tantæ matris patrocinium ad salutem. *3. p. q. 1.* *Ibid. q. 31. a. 4.*

Cum enim nulla sit salus pòst mortale peccatum nisi peccator per seriam pœnitentiam resipiscat: ad hanc autem pœnitentiam seriò instituendam tanto sit opus majoribus gratiis & auxiliis, quantò peccator gravioribus oneratur peccatis: sit verò divinæ justitiæ & æquitatis in pœnam præcipuè recidivi & toties repetiti peccati, denegare peccatori robustiores illas gratias quas accepisset, nisi Spiritum sanctum sua pervicacia cõtristasset; quo tandem modo & ratione peccator salvabitur nisi quis divinam illam mitiget & flectat justitiam? *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* *1. Pet. 4.*

Ne dicas, ut monet Sapiens, *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Nec dicas etiam Christum pro te passum, ea tibi meruisse quibus redires in gratiam, & salutem consequereris. Nam quas ille tibi gratias promeruit & obtinuit, tu toties neglexisti & conculcasti, ut jam in pœnam sic contemptæ gratiæ sanguis ille pro te fusus contra te clamet vindictam, & qui erat Redemptor tuus, si redemptionis gratiæ & beneficio respondisses, factus sit adversarius & judex tuus, qui talentum reposcat, & non habentem puniat; qui servum inutilem mittat in tenebras exteriores; qui dimissum debitum ab eo revocet, qui sibi debita non remittat; qui nolentem se *Eccl. 5.* *Matth. 25 18.* *Luc. 19.* *Matth. 25*

regna-

regnare super se præcipiat coràm interfici; qui denique statuat hædum à sinistris suis & dicat ei, ito maledicte in ignem æternum.

Heb. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ullâ miseratione duobus aut tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum, quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Hæc ad verbum Apostolus, ex quibus videas sic stante misero rerum tuarum statu, quàm sit opportunum aliquod & necessariũ subsidium, quo divina concilietur justitia. Hoc autem esse dicitur beatissima Virgo mater, quæ pro materna sua benignitate peccatorem ad se recurrentem excipiat, & pro sua potestate Filium exoret, & nobis abunde impetret, quod nunquam nisi à matre Christus exoratus, concessisset. Sic passim sancti Patres quos supra momorato loco retulimus, quibus hæc addi possunt egregia S. Bernardi: *Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus & mulier una nocuere: sed gratias Deo, per unum nihilominus virum & mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum.* Et post pauca: *Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat, esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens Mediator Dei & hominum homo Christus, sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata.* Valde notanda verba. *Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & judiciũ, quia etsi didicit ex his quæ passus est compassionem ut misericors fieret, habet tamen & judiciariam potestatem. Deniq; Deus noster ignis consumẽs est: quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei. Opus est mediatore ad mediatorẽ istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Quid ad Mariã accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelica historiæ seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si, ut verè sunt, plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris: age gratias ei qui talem tibi Mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum.* Et quæ plura ibi fusè pergit.

De verbis Apoc. signum magnum.

Tùm verò etiam fusius in proxime consequenti discursu, unde hæc pauca quibus alia confirmentur: *Ecce coram tremendo Iudice, peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina, tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis obiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primùm in terris suscepimus misericordiã de manu Domini Dei nostri. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus, à facie formidinis fortitudinis Dei. Ad te Domina mea, stillant oculi nostri, te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui Domini nostri iram quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges: eiusq; gratiam à qua ingrati excidimus nobis tua conciliet. Cuius livore sanati sumus, eius iterum medelam deposcimus, quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas.*

Ad eam deprecatio.

Hæc non modò intellectum illustrant; sed affectum etiam incenderent vehementissimè, si quemadmodum ille vir sanctus, sentires peccati tui vulnera. O quæ sunt tua vulnera, si sunt ea sancti Bernardi quæ ipse plangit!

III. PUNCTUM.

NOn tam ergo sibi quàm nobis Christus hanc elegit matrem, quæ nobis magis quàm ipsi esse necessaria, necessitate salutis, necessitate pœnitentiæ, necessitate gratiæ: qua quidem necessitate nulla major esse potest. Unde si Apostolus considerata necessitate, vel ordinatione divina volebat idcirco Christianos subditos esse potestatibus sublimioribus, quantò id nos magis urgere debet, ut subdamur & serviamus tantæ matri, quæ non ad temporalem aliquam utilitatem, sed ad ipsam æternam vitam est necessaria; & quæ ita est ordinata nobis

Rom. 13.

bis à Filio in colendissimam matrem, ut in ea colenda salutis nostræ quodammodo summam posuerit.

De aquæ ductu.

Sic aptè S. Bernardus: *Intuere, ô homo, consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam! Ut quid hoc? forte ut excusaretur Eva per filium, & querela viri adversus faminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultra, ô Adam, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito: dic potius, mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto.* Tum paulo post sic inde infert: *Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare quæ ascendit deliciis affluens. Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc inquam voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.*

Et post multa sanè pia & efficacia, sic concludit universim pro ipsa in Deum ac Christum Dominum pietate: *Cæterum quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ, gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tua aut sanguine plena, aut infestæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti: ideoque modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptatione dignissimis manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.*

Comment. tomo 2. Tract. 5.

Si quid denique ultra desideres ad ampliorem hujus Veritatis notitiam, sic aptè Salmeron ubi de plenitudine gratiæ seu de differentia plenitudinis gratiæ quæ de Christo Domino dicitur, & de Beata Virgine, ac de nonnullis aliis sanctis: *Christus*, inquit, *ut sons & Caput omnium electorum, plenus est, de cujus plenitudine universi electi ab initio mundi acceperunt, accipiunt, & in finem usque mundi accipient. Maria vero illi proxima, ac singulariter conjuncta, plena dicitur gratia, quantam Matrem Messiæ habere decebat, quantumque pura creatura poterat esse capax, & quantum expediebat ut illa tanquam mater pientissima in nos omnes tanquam filios effunderet: ut pote quæ assumpta fuerat à Christo, non ex ulla necessitate, aut impotentia sua, verum propter suam meram bonitatem & gloriam in matre communicandam, atque illustrandam: nimirum ut esset, si ita loqui licet,* COR REDEMPTRIX, MEDIATRIX, ET COOPERATRIX SALUTIS HUMANI GENERIS, *& ad quam, tanquam ad singularem advocatam, quæ semper pro sua reverentia à filio exauditur, communi fidei instinctu & devotione omnes fideles, tam justi quam peccatores, ad impetranda omnia bona atque beneficia, tam corporalia quàm spiritualia, omni tempore, & omni loco confidenter accedere deberent atque confugere. Hæc est plenitudo gratiæ spectans ad Matrem Messiæ. Reliqui verò sive Apostoli, sive Martyres, sive Virgines, sive Confessores, si pleni gratia dicuntur, intelligendi sunt eatenus Dei gratiam participare, quatenus ratio officii sui, sive vocationis exigere & postulare videbatur.*

Hæc ille in commentariis, unde ad rem nostram duo quædam particularius colligas. Primum, quod si unumquemque Sanctorum meritò credas suæ respondisse vocationi & gratiæ, quantò id certius affirmandum de sanctissima nostra Matre, quantumcunque excellentior & sublimior fuerit ejus gratia & vocatio, quàm cæterorum omnium. Secundum est, quanta inde obligatio & necessitas ejus colendæ, quanta eorum securitas qui ad eam confugiunt, ut quæ suo non desit officio & muneri: quanta eorum miseria & calamitas qui non eam debitè colunt, cùm sic eam Christus velit ab omnibus honorari; ut omnes ab ea pendeant pro sua spirituali vita, sicut ab illa pendere voluit pro sua temporali. Ratum fixumque est: Christus honorat in nobis Matrem: honorat autem, cum ejus cultores remunerat, aut cum ejus punit contemptores. Honorat, inquam, dum nihil per illam exoratum recusat; aut dum nihil nisi per eam donat.

DE

DE IMITANDA BEATISSIMÆ *Virginis docilitate.*

Dixit autem Maria ad Angelum:

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Frustrà Beatam Virginem oras, si non quæris sicut illa, quod ignoras.

Ratio est, Quia si ultro & voluntariè manes in culpa, frustra Beatam Virginem oras.

Sed si non quaris sicut illa, quod ignoras & quod est tibi scitu necessarium, ultro & voluntariè manes in culpa.

Ergo frustra Beatam Virginem oras, si non quaris sicut illa, quod ignoras.

Ergo ne frustra illam ores, imitanda est eius docilitas, inquirendo diligenter quod nescis, & credendo firmiter quod didiceris.

I. PUNCTUM.

De verbis Apoc. signum magnum.

REcte S. Bernardus de firmo proposito servandæ Virginitatis, quod Beata Virgo conceperat: *Probat propositi inviolabile fundamentum quod tam constanter promittenti filium Angelo respondit, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Forte enim propterea primo turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam se audisset in mulieribus, qua nimirum benedici in Virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat qualis esset ista benedictio, quod iam videretur esse suspecta. Vbi verò in promissione filii, manifestum Virginitatis periculum videbatur; non potuit ultra dissimulare quin diceret: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Meritò proinde & illam meruit benedictionem & hanc non amisit: ut longè glorioſior fiat & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas, ac mutuis seſe radiis illustrare hæc duo sydera videantur.*

In quibus verbis illud præcipuè observandum, quod ait de Beatissima Virgine, cum in promissione filii manifestum virginitatis periculum animadvertit, tunc interrogasse Angelum, quomodo id fieri posset, salvo scilicet virginitatis proposito. Quasi Angelo diceret Virgo prudentissima: nihil recuso quod velit à me Deus, sed cum sciam illum à me velle virginitatem, tu vero mihi de maternitate loquaris cui repugnat virginitas, quæro, ut me accommodem divinæ voluntati, quomodo illa duo simul convenire possint. Qua in quæstione proposita, luculentum prudentiæ & docilitatis exemplum nobis dedit, ut quoties ex Evangelio, ex obedientia, ex divinis consiliis proponitur aliquid vel intellectu vel factu difficile, inquiramus modestè, quomodo fiat istud; non idcirco repudietur quia non intelligitur vel quia repugnat naturæ, vel, quidquid tandem appareat quod opponatur: sed suspendatur judicium & affectus, expectetur vel quæratur interpretatio difficultatis, ne anticipata prævaleat opinio, ne pudeat nos ignorare aliquid, aut interrogare quod ignoramus: nam alioquin vel negabis te posse facere quod tamen posses, si quod nescis scires; vel indicabis te nolle quod tamen velle oportet; vel te excusatum putabis ubi nulla erit legitima se excusandi ratio; res est deniq; plena periculi, nec leve censeri debet periculum, ubi de divina voluntate & de salutis negotio agitur.

Quamobrem in id seriò invigilandum, & attentè consideranda veritas qua excitamur ad hanc imitandam Beatissimæ Virginis docilitatem, efficaci sane motivo, & acri stimulo. Quid enim cultori Beatæ Virginis accommodatius, atq; ad agendum quod persuadere velis potentius quam nisi hoc agat, frustra Virginem oret, frustra illam colat & veneretur. Nihil illi cum Virgine, nihil cum illo Virgini. Nonne hoc pavendum? Hoc est autem quod dicitur, *Nisi quod ignoras interroges & inquiras sicut illa, quomodo fiet istud, frustra illam oras & colis.* Nam ut habet declaratio veritatis, certum est quod si ultro in culpa, quam vocant, habituali & gravi permaneas, neque velis aut satis cures ex illo damnoso statu emer-

emergete, nihil tibi prosit quidquid ores aut colas Beatam Virginem. Quid enim prosit quod neq; gloriolum Virgini, neq; tibi ad salutem opportunum esse possit? At quamdiu in lethali peccato vis vivere, quid illi à te gloriosum: quid ab illa tibi saluti erum esse potest? Peccavisse aliquando, & velle resipiscere, ac propterea vehementer illam orare, sanè illi est gloriosum & tibi salubertimum: sed ita pervicacem esse in culpa, ut illam nolis unquam deponere, facis & Virgini, & pietati, & animæ tuæ injuriam, si putes in eo statu te colere Virginem & Salutem.

Hom. 2. super missus. Quando vel omnium reus esses delictorũ, quæ tamen displicerent, accede nec desperes, unquam, aut si vel in ipsum desperationis barathrum, inquit S. Bernardus, forte incideris, inclama Virginem, invoca Virginem Matrem, nomen ipsum Mariæ cogita, nec frustra verbum effluet, nec cogitatio. Quando verò vel sola una lethalis hæreret culpa quam expiare nolles, etsi tum preces multiplicaveris, etsi dona, etsi vota, & quidquid pium cogitari potest, addideris, nihil agis, quia hoc unum vel maximè tibi esset agendum, ut culpam expiares, quæ te ab æterna felicitate procul excludit. Vel enim putas te cum illa culpa salvandum, vel minimè. Si primum ais, falsum ais & blasphemum: si secundum, quid tibi ultro pereunti cum Virgine, quæ si pereuntem adjuvare velit, tu adjuvantem avertis; aut se illa ultro averte-, & sicut olim Ismaëlis mater, *Non videbo*, dicet, *morientem puerum*. Gen. 21.

II. PUNCTUM.

Sed si non quæras sicut illa quod ignoras, ultro & voluntariè manes in culpa.

Quando illud scilicet quod ignoras, debes & potes scire, tunc nisi quæras, ignorantia est voluntaria & affectata, quæ sanè lethalis est, ut expresè ait S. Thomas, & tum perinde est ac nolle agere, juxta illud Psalmi: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Illud autem quod sic voluntariè ignorari potest, cùm sit varium & & multiplex, tum verò ad triplex revocatur genus. Primum est eorum quæ sunt omnibus Christianis communia, ut *non esse de mundo; non esse in lata via, nolle divites fieri, non esse tepidos.* Certum est ex scripturis, hæc esse vetita, hæc damnosa & condemnata: neque tu qui hæc legis, ignoras ita esse; sed nostine quid sit esse de mundo? quid in lata via? quid esse tepidum, aut ditari velle? Si hoc ignoras, ignoras quod scire debes & potes, & illa est ignorantia voluntaria, inexcusabilis & peccato annexa. Cum enim proclive tibi sit esse de mundo, nisi diligenter advertas, non possis autem hanc adhibere diligentiam-, nisi probè scias quid sit esse de mundo; certè hoc te scire tam oportet quam aliud quod non negas: ac proinde ignorari non potest sine culpa. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, propterea infernus dilatavit animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino.* 1.2.q.76. a. 3. Ps. 35. Is. 5.

Secundum genus eorum est, quæ sunt tui status aut officii, si Sacerdos, si Religiosus, si Confessarius, ignores autem quæ spectent ad ministerii tui exercitium in re gravi, in peccati periculo; possisque tam facile quidquid ignoras scire, quam facile posses studere, vel interrogare, nec tamen studeas aut interroges, peccas ignorando, & ille es de quo Apostolus, *si quis ignorat ignorabitur*, id est, relinquetur in peccato & peribit, quasi qui versatur in periculo, unde non potest eripi nisi adjuvetur, nec tamen adjuvatur, quia ignoratur in tali esse periculo. Sic est qui ignorat quæ scire debet & potest. *Quia numquam novi vos.* 1. Cor. 14. Matth. 7.

Tertium denique te magis adhuc spectat, si quo rei aut creaturæ pravo teneris affectu, de quo dubites an sit parvus, nec tamen dubii tui solutionem quæras, ne forte contra ac velles respondeatur tibi, & cogaris affectum deponere, quem tu mavis fovere: tunc ignoras esse mortale quod putas esse tantum veniale, & in illa tua ignorantia tibi blandiris & palpas, quasi securus inde sis quod si scires esse mortale, non consentires. Sed perversa est illa securitas & ignorantia, fraudulenta est & dolosa perversitas, *In dolo renuerunt scire me, ait Dominus.* Hi sunt qui apud Job *dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Nolunt scire*, inquit S. Gregorius, *quid faciant: & quasi minus vapulaturos se existimãt si nesciant quod operari debuerunt. Sed aliud est nescisse; aliud scire noluisse, nescit namque, qui apprehendere vult & non valet: qui autem ut nesciat aurem à voce veritatis avertit, iste non nesciens sed contemptor addicitur.* Quod & paulo post apud eundem Jobum sic repetitur. *Quasi de industria recesserunt ab eo: & omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Ier. 7. Iob 12. 15. Mor. 19 Iob 34.

Nun-

Nunquid hoc est esse in culpa ? Nunquid hoc est quod miseri lugent in inferno, *viam Domini ignoravimus*, quia scilicet eam poterant & debebant scire, nec tamen voluerunt sed neglexerunt. *Talis negligentia facit ignorantiam esse voluntariam & peccatum.* Ipsa sunt S. Thomæ verba. Ipsa sunt contra te manifesta testimonia & aperta Judicia.

Sap. 5.

Supra.

III. PUNCTUM.

Frustra igitur Beatam Virginem oras, si non quaris sicut illa, quod ignoras. Frustra, inquam, ad salutem tuam, & ad salutis media, quæ ab illa seu per illam postulamus. Nam tu te illi & teipsum tibi opponis, quamdiu manes in illa voluntaria ignorantia, quæ tam mera est culpa, quàm si quid velles agere quod certò scires esse peccatum. Si quid enim te latet ex his, quæ scire debes & potes, te volentem latet; *Latet eos hoc volentes*, ait S. Petrus quasi diceret, perinde est quantum ad culpam & pœnam, ac si scirent, nam culpa est, velle nescire quod eos scire oportet.

2. Petri 3.

At verò non dubitas quod si esses in manifesto crimine nec pœnitere velles, nihil tuæ tibi prodessent orationes, nihil sanctissimæ Virginis suffragia, nihil quidquam divinitùs institutum; quia quod illa præstant est pœnitentia, seu oblata gratia qua possis pœnitere si velis: aut profectò si nolis, non te impœnitentem salvabit gratia, nec quantumcunque gratiosa Virgo, quæ & mediis sibi ordinatis ad salutem usa est, & suos quosque ad hoc ipsum verbo & exemplo invitans; *Nunc ergo*, inquit *filii, audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote Sapientes, & nolite abiicere eam. AVDIENS sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Audi Fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Pr. 8. Ibid. 1.

Hæc sunt prima Sapientiæ monita, de quibus fusè in prima parte, tota hebdomada tertia post Epiphaniam. Certe hoc mirum! Vix est aliud negotium de quo non libenter instruamur à peritis, præter salutis negotium, quod vix tamen tutò geritur sine ductu Instructoris aut Superioris, *à quo nisi quisq; juvetur*, inquit S. Augustinus, *nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarũ implicamentis expediat. ET os meum non interrogastis*, ait Dominus, *habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Quasi ad dissolvenda omnia conscientiæ dubia satis esset respondere, quod sic mundus docet & agit. Hæc est umbra Ægypti, hæc est adumbrata pene omnium ratio, qui, ne videant se peccare, se mundi velant umbra, se mundi tegunt tenebris. *Erit vobis fiducia umbra Ægypti in ignominiam.* L. 1. de Serm. D. in monte c. 3. Is. 30. Ibid.

DE INIURIA FACTA VIRGINI MATRI, Ab iis qui excusant impossibile.

Quia non erit impossibile apud Deum, omne Verbum. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Qui dicunt se non posse quod jubentur, non possunt id dicere sine injuria Virginis Matris.

Ratio est, quia qui aliquid dicunt contra bonitatem & potentiam Virginis Matris, non possunt id dicere sine eius iniuria.

Sed qui dicunt se non posse quod jubentur, dicunt aliquid contra bonitatem & potentiam Virginis Matris.

Ergo id non possunt dicere sine ejus injuria, quod certe est impium & cavendum.

I. PUNCTUM.

TAm novum illud erat & tam mirum, quod Angelus nuntiabat Virgini, Virginem parituram, ut meritò ad divinam omnipotentiam tale opus retulerit, dicens, *Non erit impossibile apud Deum, omne verbum*, sive omne opus quod dixerit se facturum. Hanc autem omnipotentiam breviter explicans S. Bernardus: *Apud Deum*, inquit, *nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo quia virtus est: nec modus à facto quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum, omne Verbum.* Hom. 4. super missus.

Hæc est divina potentia, quam præ cæteris attributis sic magnificabat Virgo Deipara: *Quia fecit in me magna qui potens est.* Verè magna, verè magnifica, verè magnificanda per omnes ætatum vices. Hic est divinæ potentiæ singularis actus, quem Christus Dominus nascens exercere voluit, relinquendo suis causis suos alios naturales effectus, & hoc unum sibi assumens, ut Matrem Virginem conservaret. Hoc est denique divinæ opus omnipotentiæ, quod spectandum inprimis proponunt sancti Patres ad firmandam nostram fidem, sive in iis, quæ speculativa dicuntur, sive in practicis. Sic certè sanctus Ambrosius pro veritate sanctissimi Sacramenti: *Nunquid naturæ usus præcessit cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit: liquet igitur quod præter naturæ ordinem, Virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est; Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?*

E. de initiandis 9. & de Sacram. 4.

Sic & sanctus Leo pro iis quæ ad mores spectant & virtutum praxim. Postquam dixit Dei esse gloriam ex Matre Virgine Christi nascentis infantiam: *In terra autem*, inquit, *illa pax conceditur quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quos enim spiritu de intemeratâ matris visceribus nascitur Christus, hoc de sanctæ Ecclesiæ utero nascitur Christianus, cui veræ pax est, à Dei voluntate non dividi, & iis solis, quæ Deus diligit, delectari.* Sanctus quoque Chrysostomus: *Auditu quidem mirabile est, quod ineffabilis Deus, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est:* Tùm paucis interjectis, *quod si ambigis de his, quæ ad tuum spectant honorem, ab his quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multò est difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem, Dei filium consecrari. Natus est secundum carnem, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.*

Serm. 9. de Nativ. D.

Hom. 2. in Matth.

Et tamen quàm multi etiam nunc causantur ista, quæ ad salutem aut perfectionem nostram jubentur & consuluntur, esse impossibilia, aut certè tam difficilia, ut vix in mundo præstari possint! Disce incredulè, disce ex iis quæ sunt Christi & Virginis Matris, etiam quæ tua sunt credere. Crediſne potuisse Deum se hominem facere, & suam Virginem Matrem? Cur non credes illum posse te, si velis, facere humilem, pauperem spiritu, patientem, mitem, & reliquis ornatum virtutibus, atque etiam ut libenter velis id posse, nisi planè resistas ejus potestati? Neque enim renitentem coget. Sanè hoc unum sufficeret ad omnem retundendam calumniam, quâ religionem impetunt non modò hæretici, sed & Catholicis bene multi, qui sibi fingunt non posse quod nolunt, & quod jubentur tamen facere. Religionis hæc est orthodoxæ injuria, divinæ est violatio potestatis, & cœlestis gratiæ non parva offensio. *Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut abundetis in omne opus bonum*, inquit Apostolus, qua de re sæpe alibi.

2. Cor. 9.

Sed quia non tam defectu divinæ potestatis, quàm effectu divinæ justitiæ, qua privantur gratiis, dicunt sibi contingere ut non possint quod vellent, opponamus illis potentiam quam sibi etiam opponi voluit divina justitia, & demonstremus quod licet indigni essent gratiis, digna tamen semper est Virgo Mater, quæ nobis illas obtineat, *Unde aut nunquam debent dicere se non posse quod jubentur, aut non possunt id dicere sine illius Matris injuria.* Nam si quid contra ejus potentiam & bonitatem dicunt, nonne tam apertam ei faciunt injuriam, quam qui alieno detrahit nomini, quod quidem scelus tam grave est, quam nomen cui detrahit, est gloriosum! Non defuerunt certè impii qui blasphemas in eam voces evomerent; *Nam illa est*, inquit S. Bernardus, *quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura: cujus planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa, sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suæ, Christum edidisse dogmatizabat: alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius post partum viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen THEOTOCOS impiissimè sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuò post Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quod inimicitiæ essent inter semen mulieris & draconis.*

De verbis Apoc. signum magnum.

Hæc ille ad verbum sanctus Pater, ex quibus facile est intelligere, quod, qui, de illa negant quæ gloriosè possidet, aut qui affirmant dedecorosa quibus exempta est, injuriam illi faciunt.

faciunt; sic planè qui, qualem habet potentiam & benignitatem denegaret, non minus ei foret injurius, non minus eam læderet, & sacrum ejus nomen violaret.

O quis ille tam impius qui modò vellet suam draconi præstare operam, ut per se, Virginem sic oppugnaret?

II. PUNCTUM.

SEd qui dicunt se non posse quod jubentur, dicunt aliquid contra bonitatem & potentiam Virginis Matris.

Nam dicunt se non habere gratias, se non audere petere, se non mereri obtinere. At saltem eant ad beatissimam Virginem, quæ idcirco electa est à Christo Domino in matrem nostram potius quàm in suam, ut supra dictum est. Negare certè non possunt se orando posse illam adire, quid enim periculi, quid molestiæ, quidve negotii? Quod unum itaque superest, dicunt se frustra illam adituros, cùm non possit aut nolit quod petant impertiri. Nam si possit & velit quod petunt, quid est ex illius parte quod non obtineant? aut si diffidant obtinere, quid est quamobrem diffidunt, nisi quia ut dictum est, vel non possit, vel nolit conferre quod postulant?

Quod autem verè possit & velit unumquemque ad se verè & sincerè accurrentem adjuvare: audi ut loquitur. *Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ & gloria, ut ditem diligentes me & thesauros eorum repleam.* Quod vel ex solo nomine Matris Dei concludunt omnes sancti Patres. Hoc enim nomen meretur ut quidquid petat à filio, non neget filius, *Neque enim fas est*, inquiebat matri Salomon, *ut avertam faciem tuam.* At quantò magis id dicet qui plusquam Salomon est pietate & sapientia? Vide in tertia parte in die Assumptionis, quibus addes ex Petro Damiano: *Accedit ad aureum illud divinæ severitatis tribunal, non rogans sed imperans: domina non ancilla. Quomodo enim potestati tuæ obviare poterit illa potentia quæ de tuis visceribus traxit originē?*

De illius verò bonitate seu benignitate quis dubitet, si Dei matrem ac nostram cogitet? Nam ut mater est Dei, tanta charitate repleta est, quantam illa decet matris dignitas, & quantā esse oportet quæ est omnium constituta mater. At verò tanta charitas possetne recusare petenti, quod posset illi dare: cùm præsertim id à Deo acceperit ut dispensaret petentibus. Si fideli servo dandam pauperibus dedisses pecuniam, essetne fidelis servus si sibi eam reservaret, neque eam opportunè daret? Et putares de Virgine Matre, quòd non communicet acceptam gratiam, quam idcirco accepit ut illam suis communicet? Vocanda in jus esset, & de tot gratiis compellenda quot negasset. Absit hoc à me vel ut cogitem, Virgo sanctissima, sed tam constanter teneo te non minus esse fidelem in dandis, quàm potentem in accipiendis gratiis, ut malim credere te vocandam in jus esse, quod est auditu absonum, & creditu impium: quàm te fidelem aut benignam non esse. Hoc enim de te audivi & credidi, quod à tuo scriptum est, fideli servo, quodque velim ab omnibus sciri & credi: *Omnibus omnia facta est: sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, ager curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, tota denique Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.* De verbis Apoc. apparuit signum.

III. PUNCTUM.

QVi ergo dicunt se non posse, quod jubentur, non possunt dicere sine injuria Virginis Matris; quia non possunt dicere sine offensa ejus potentia & bonitate, quæ duo divinæ maternitatis insignia sic in illa relucent, ut, quàm certò quisque credit eam esse Matrē Dei, tam verè credere debeat eam esse satis potentem & benignam, ut se in cunctis adjuvet; aut si de hac ejus potētia dubiter, dubitet eam esse Dei matrem, aut Deum ejus filium non eam honorare. Sic planè S. Bernardus sic infert ex ejus electione & assumptione, *Ascendens ergo in altum Virgo beata dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique mater est unigeniti filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis poterit omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.* Serm. 1. de Assumpt.

Vellesne de his ambigere? Vellesne dubitare utrum satis bona sit Virgo Mater, ut, quæ potest, tibi conferat: aut satis bonus ejus Filius, ut, quàm possit illam honorare, non honoret? Nolles sanè tam impiè, tam sceleratè de utroque sentire; & tamen quid dicis, quid sentis, quando te excusas ab his, quæ tibi in tuo vocationis gradu præstanda essent? Quid tibi vel aliis tunc respondes? Cur non illum qui occurrit humilitatis, aut patientiæ vel charitatis actum exercet, respõde modò quid dicas? noñe statim impossibile clamitas, noñe statim illud ingeminas, tibi non esse satis virium, tibi non esse satis gratiæ? nam alioquin si posses, si valeres cum gratia, cur non faceres quæ tibi vides facienda? Dicendum esset necessariò, te nolle, te liberum esse, tibi non placere; quod cùm erubescerès dicere, nil restat quàm ut impossibilitatem excuses: quod unum & idem est, implicitè, ut vocant, ac dicere, quod vel non sit satis bona Virgo, quæ te adjuvare velit, vel non sit satis potens ut possit. Nam si posset, nam si vellet, quid est cur non posses? responde quid est quod non posses, cùm tantum possis quantum illa tibi, si ejus potestatem tibi advocares. Quòd autem non tibi advoces, non est defectus potestatis sed voluntatis sed fidei sed pietatis, qui sanè defectus non minus etiam injuriosi sunt beatissimæ Virgini Matri, quàm alii de quibus diximus, quia sic apertè est contemnere ejus beneficentiam, ejus patrocinium, ejus solicitudinem, & suam inimicis animam prodere ac salutem.

Recessit ab eis omne præsidium. Actum est de illis, nostri sunt, *sicut panem ita eos possumus devorare.* Sic Josue de Chananæis & Amorrhæis. Sic de te dæmones, si non recurras ad Mariam. Recessit à te omne præsidium, actum est de salute tua, de fide tua, de castitate tua, quod unum tenebricosos illos fugabat hostes, præsidium præsens Virginis, hoc illos excitabit dum recesserit; hoc se stimulo simul concitant ad nos audacius invadendos, recessit ab eis omne præsidium. *Num.* 14.

O quisquis te intelligis! Vide in Nativitate B. Virginis, & aliis ejus festis, nec non Feria sexta primæ Adventus hebdomadæ: & alibi verbo, *Difficultas, Salus.*

DE HUMILITATE ET CELSITUDINE Matris Dei, simul junctis & simul colendis in beata Virgine.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Talis superbi fastus est, ut ne quidem Dei Matrem veneretur.

Ratio est, quia is matrem Dei non veneratur, qui ancillam eam & humilem non veneratur.

Sed talis superbi fastus est, ut ancillam eam & humilem non veneretur.

Ergo neque ut Matrem Dei. Quod certè vix ullus credat superbus, aut vix ullus se superbum credat.

I. PUNCTUM.

HAbet hoc quidem vera humilitas & devotus animus, ut, quod ait sanctus Petrus Chrysologus, *insulis beneficiorum crescat ad obsequium, augeatur ad gratiam, non ad arrogantiam prosiliat, non ad superbiam pertumescat.* Sed vera hæc humilitas *rara est avis in terris*, ait sanctus Bernardus. Unde & ipse admirans eam in beata Virgine, *Quæ est*, inquit, *hæc tam sublimis humilitas quæ credere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat! Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione, magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata. Si me miserum homuncionem, meis decepta simulationibus, ad aliquem vel mediocrem honorem provexit Ecclesia, Deo nimirum hoc, vel propter mea, vel propter subditorum peccata permittente, nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis* *Serm.* 142 *de Annūt.* *Serm.* 45. *in Cantic.* *Ser.* 4. *supermissus.*

qualis ab hominibus, qui cor non vident, putatus sum? Credo sanè, conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honore, eo sanctiorem, quo superiorem æstimo: videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subito intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes.

Durum certè & impium, quod hic sanctus Pater postremùm ait de contemptis à superbo parentibus, sed quantò magis impium, quòd proposita veritate asseritur, ut nec ipsam Christi Domini Matrem veneretur. Eo se scilicet extendit fastus superbi, *Vt qui non vult beatam Virginem venerari ut ancillam & humilem, nec eam colat & veneretur ut Dei Matrem.* Tantæ notitia vesaniæ qua superbus intumescit, fortassis erit aptior ad deponendum hoc tam immane vitium, quàm proposita ipsius virtutis excellentia, cujus splendorem ne perspiciat, obest tumor mentis.

Perpendenda est itaque diligenter hæc prima propositio, quod qui Matrem Dei non veneratur ut ancillam & humilem, nec eam veneretur ut matrem. Quia videlicet maternitas Domini, prout consideratur in beata Virgine, sic conjuncta est cum ejus humilitate, ut nisi Virgo esset humilis humilitate ancillæ, non esset Mater Dei. Potuisset quidem non humilis esse Mater Domini, sicut non Virgo & non sancta; *Nam*, ut ait sanctus Anselmus, *Quamvis de mundissima Virgine Filius Dei conceptus fuit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente, justa proles nasci nequiverit; quia tamen non id decebat,* & quia sic decretum erat, ut non nisi ex Virgine nasceretur Dei Filius, verè dici potest, quòd si Maria non fuisset Virgo non fuisset Mater Dei, & qui Mariam non coleret ut Virginem, non eam coleret ut Matrem Dei: sic planè de humilitate & multò magis, si Divum Bernardum audimus, cujus hæc sunt memoranda verba: *Sine humilitate audeo dicere, nec Virginitas Mariæ placuisset. Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus: nisi super humilem & quietum! super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset: si super eam non requievisset, nec impregnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potius quàm virginitatem. Etsi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.* Et paulò post: *Vt igitur quæ Sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset & mente, accepit humilitatis.* Ex quibus inferas, quòd, quò sanctitas mtãis excellentior est & conformior maternitati divinæ quàm corporis, eò magis humilitas per quam Dei Mater, sancta mente efficitur, conjuncta est cum ipsa maternitate: ac proinde sicut non crederes te venerari Matrem Dei, nisi virginem & sanctam corpore venerareris: quantò id minus credendum est, si non eam colas ut mente sanctam, id est, ut humilem & ut ancillam Domini?

I. de Conceptu Virg. c. 18.

Hom. 1. super missus est.

Ib. hom. 2.

Hoc ipsum idem sanctus Pater valde confirmat in hæc Canticorum verba: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. QVÆRAMVS*, inquit, *geminam animæ pulchritudinem, hoc enim mihi videtur innuere. Decor animæ, humilitas est. Non à meipso hoc dico, cùm Propheta prior dixerit: Asperges me hyssopo & mundabor, humili herba & pectoris purgativa, humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum Rex & Propheta lavari confidit, & sic niveum quèdam innocentiæ recuperare candorem. Verùm in eo qui graviter peccavit, etsi amanda non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit, & ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit.* *Serm. 45. in Cant.*

Jam verò si humilitatem illam tollas, nonne ejus tolles decorem? Nonne id tolles quo permotus est Deus ut eam sibi eligeret in Matrem & Nutricem? Nonne id tolleres sine quo non esset Dei Mater? Ac proinde nonne vides sic ejus humilitatem esse conjunctam cum divina maternitate, ut nisi fuisset humilis non magis fuisset Mater Dei, quàm si decora & innocens non fuisset.

O admirabile commercium tam excelsæ simul humilitatis, & tam profundæ celsitudinis! quis tam audax & impius qui tam piè juncta & connexa velit dissolvere?

II. PUN-

II. PUNCTUM.

Sed superbus ancillam eam, & humilem non veneratur.

Nam cùm duo sint ad cultum & venerationem personæ necessaria, unum ex parte venerantis, & id æstimet quod veneratur; & aliud ex parte personæ cui cultus & veneratio exhibetur, nempe ut gratam & acceptam habeat talem venerationem: duo illa desunt ex utraque parte.

Primum quidem ex parte superbi, non æstimat humilitatem & demissionem; nam si eam æstimaret & coleret, superbus non esset, imò superbiam ita detestaretur sicut humilitatem coleret, cùm sint contrariorum affectus & effectus: unde ex opposito fit, ut, quandoquidem superbus est, humilitatem planè abominetur. Sic enim expressè Sa-
Eccles. 15. piens: *Abominatio est superbo humilitas*, quod certè est magis emphaticum & expressum, quàm si diceretur, superb⁹ humilitatem abominatur, sic enim abominatur ut ne nomen ejus ferre possit.

Quod si dicas, superbum quidem in se abominari humilitatem seu humiliationem, non tamen ita in aliis, imò eam suspicere & venerari. Nihil dices, nihil oppones; nam quid est venerari beatissimam Virginem ut ancillam Domini? Non est tantum æstimare ejus humilitatem, sed est eam tanti æstimare, ut te illi planè subjicias. Hoc est enim in genere seu generatim loquendo de cultu beatæ Virginis, qui dicitur Hyperduliæ cultus, id est, debitæ supra sanctos alios servitutis, hoc est eam venerari & colere, si te illi subjicias quocunque id modo fiat. At verò eam venerari ut ancillam, singularis quædam est ratio cultus, qua te illi subjicias ut humili & ancillæ, quod non fit tantum per externas quasdam demissiones corporis, neque per internos animi motus, quibus te illi totum mancipes & submittas: sed per verum & realem affectum, quo ejus humilitatem in te æstimes, in te colas, & pro viribus imiteris. Quod eò vel maximè verum est cùm ipsa considerata ut humilis, nihil aliud magis amet, nihil suggerat, nihil suadeat, nihil præcipiat & commendet vehementius, quàm ne superbias, quàm ut humilieris, quàm ut aliis credas, quàm ut injurias patienter toleres, quàm ut te infirmum reputes. Hæ sunt ejus viæ, viæ salutis quas docet custodiendas, hæc est disciplina qua suos erudit ut toties ex Sapiente audivisti, *Nunc ergo filii audite me: beati qui custodiunt* Prov. 8. *vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.* At nonne hæc sunt, quæ in primis odit & detestatur superbus? quomodo ergo illam audiet? quomodo illi obsequetur! quomodo illi se subjiciet; ac denique quomodo illam colet & venerabitur ut ancillam, cùm venerari nihil sit aliud quàm illi obedire? *Quomodo dicis quòd amas* Iud. 16. *me, cùm animus tuus non sit mecum?*

Atque hinc aliud patet quod est ex parte ipsius Virginis, ut est humilis ancilla Domini, quàm parùm ipsi grata & accepta esse possit superbi veneratio; quæcunque tandem illa sit. Nam ut est humilis, non minus detestatur superbiam quàm superbus humilitatem. Sic enim apud eundem Sapientem sub nomine Sapientiæ, *arrogantiam*, inquit, & Prov. 8. *superbiam, & viam pravam, & os bilingue detestor.* Neque id tantum in se, sed in aliis æquè detestatur, unde aliqua versio habet, *arrogantem & superbum detestor.* Sicut cùm Deus dicit: *Detestor ego superbiam Iacob, & do-* Amos 8. *mum ejus odi:* sic illa; detestor ejus superbiam qui me colit; nihil enim commune superbo & humili. *Si quis est parvulus*, inquit, *veniat* Prov. 9. *ad me*; quasi diceret, ne elatus ne superbus veniat, quia nihil mihi cum illo est: sic in suo Cantico postquam de humilitate sua egit; tùm in superbos, *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Adde quod cùm, ut vidimus, hoc unum præcipuè ancilla Domini à suis cultoribus exigat, ut se humilient sui exemplo; quidquid aliud præstent, quidquid gratum illi esse potest cùm id negatur, quod sibi magis esse gratum significat? *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* quid- Is. 1. quid dicant, quidquid orent, non exaudiam: *Os bilingue detestor* simul cum superbia, id est, superbum mihi loquentem humilia, & superba cum aliis loquentem & agentem. Nonne tu sic bilinguis es?

III. PUNCTUM.

Superbus igitur qui Matrem Domini non veneratur ut ancillam, nec veneratur ut Matrem: quia sicut non fuisset Mater Domini nisi ejus ancilla fuisset, sic planè non coletur ut Mater Domini, nisi ut ejus ancilla colatur:

neque

neque ut ejus ancilla coletur, nisi sic ametur ejus humilitas, ut reipsa & ipsis actibus exerceatur ab eo, qui se dicit eam venerari; quod tam repugnat superbo, ut esse superbus desinat si se ita humiliet, aut nisi se ita humiliet, nunquam humilitatem colet, neque humilem ancillam Domini, neque sublimem venerabitur Domini Matrem.

Sap. 15. O quàm verè dictum à sapiente: *omnes insipientes & infœlices supra modum animæ superbi!* Quid enim insipientius quàm putare se superbū humili posse placere Deiparæ! Quid infœlicius quam ei nolle placere, cum possis, si deponas superbiam! Quid insipientius & infœlicius quam: dum contendas te illi placere, magis in te concites ejus odium & execrationem provoces; atque inde consequentes infaustos casus! Neque enim humilis ancilla Domini aliter odit & detestatur superbum, quam eū à se repellendo nec quomodo libet communicando. Non est odium in affectu sensibile sicut in nobis est, adversus odiosos: sed est odium in effectu; id est, ita se gerit adversus superbum, sicut in adversarium & odiosum; neque tantùm non acceptat eius cultum & preces; sed odit quodammodò ac detestatur.

Estne verò quidquam insipientius & infœlicius? quid facies aversa virgine, à qua omnis despectus intereat necesse est: sicut ab illa omnis aspectus impossibile est ut pereat? Recole quæ supra dicta sunt in hanc sententiam, & sanctum audi Bernardum, ubi post multa de virginitate & humilitate sanctissimæ matris: *Si non potes,* inquit, *virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus, virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur: ad illam invitaris, ad istam cogeris: de illa dicitur, qui potest capere capiat; de ista dicitur, nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit regnum cœlorum. Illa ergo remuneratur, ista exigitur: potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes.*

Hom. 1. super missus est.

Et paulo post: *Quid dicis virgo superbe? Maria Virginem se oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate! Respexit, ait illa, humilitatem ancillæ suæ: Quæ illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota: nunquid castior illa? nunquid devotior? Aut nunquid tua forte pudicitia gratior castitate Mariæ, ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias, ex tua, quod illa non potuit ex sua? Denique, quanto honorabilior es ex singulari munere castimoniæ, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdas permixtione superbiæ.* Vide quæ plura hic habet & expende, quod si virgini tam necessaria est humilitas, & tam cavenda superbia, quid impuro? quid impio?

Propterea sic ille idem alibi aptè. *Ergo beati qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis & innocentiæ, si tamen & decorem induere humilitatis adiiciant. Profectò audiet quæ hujusmodi invenitur: ecce tu pulchra es amica mea. Vtinam vel semel dicas animæ meæ, Domine Iesu, ecce tu pulchra es. Vtinam mihi humilitatem custodias, nam primam vestē ego malè servavi. Servus tuus sum ego, nec enim audeo profiteri amicum, qui testimonium decoris mei cum repetitione non audio. Sufficit mihi si semel audiam. Sed quid si & hoc in quæstione sit? Scio quid faciam. Venerabor amicam servus, cumulatum in ea decorē deformis homunculus admirabor, gaudebo ad vocem sponsi tantam nihilominus pulchritudinem admirantis. Quis scit si saltem ex hoc inventurus sim gratiam in oculis amicæ, ut gratia ipsius & ipse inveniar inter amicos?* Sic nempe inchoanda est humilitatis praxis, apnoscendo se superbum, & sese humiliando quòd non sis humilis. *Humiliemus illi animas nostras. REVERTERE ad Dominam tuam & humiliare sub manu eius.*

Serm. 45. in Cant.

Iudith 8. Gen. 16.

DE PRÆCEPTO QVOD ACCEPISSE Ait Virgo Deipara ut inhabitaret in Iacob.

Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium. Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ec. 24.

VERITAS PRACTICA.

Qui præcepit & dixit B. Virgini ut inhabitaret in Jacob, tibi simul præcepit & dixit, ut quantum velles illam in te habitare, tantum esse velles alter Jacob.

RATIO est, quia quando Deus alligavit finem certis quibusdam mediis, tunc dicitur ita præcepisse media, ut quantum quis vellet finem, tantum velle deberet media.

Sed cùm præcepit Beatæ Virgini ut inhabitaret in Iacob, sic finem alligavit medio, ut non aliter in quoquam Virgo habitaret nisi qui vellet esse ut Iacob.

Ergo tibi simul præcepit & dixit, ut, quantum velles illam in te habitare, tantum esse velles alter Iacob. Quod certè motivum est efficax ad inquirendam & exprimendam similitudinem vitæ & morum cum antiquo illo Patriarcha.

VIX intelligi potest ratio nisi quibusdam ante prænotatis, quæ si vel breviter proponantur, ita evidenter patebit ratio, ut hic aliud non sit opus quàm prænotanda illa paulis attingere.

Eccl. 9. Primum est quod licet nemo sciat, *utrum amore an odio dignus sit*, utrum salutem prosequatur æternam, aut ab illa forte excidat: tamen ut cum gratia provocemur vehementius ad capescendam salutis viam, certa quædam ejus impressa sunt vestigia, ut quemadmodum ait S. Bernardus & alibi infra fusius exponitur, *electis consolatio ministretur, & subtrahatur reprobis excusatio. Cognitis siquidem signis vitæ, quisquis hæc negligit, manifestè convincetur in vano accipere animam suam, & pro nihilo habere terram desiderabilem, comprobatur.*

Ser. 2. in Oct. Pasc.

In 3. parte In Nativ. S. Ioan.

Secundum est, quod signa hæc præluxerunt in antiquo illo Patriarcha seu Patriarcharum Judæorum duodecim Patre, qui dictus est Jacob & Israel, filius Isaac & frater Esau. unde est illud apud Propheram & Apostolum, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, quod primò quidem dictum est de illis duobus fratribus, ac eorum posteris, quantum spectat ad majorem curam quam Deus præsetulit habere de Jacob & de Judæis potius quàm de Esau & de Idumæis qui ab hoc descenderunt. Deinde verò translatum est ad electos & reprobos, qui hoc ipso designantur tales esse, quo ad diversos mores Iacob & Esau vi-

Mal. 1. Rom. 9.

detur propius accedere, de quibus paulo post.

Tertium observandum est, quod cum Beatissima Virgo Deipara hoc inter alia singulare privilegium habuerit, ut singularem electorum curam susciperet, idcirco illi dictum esse *ut in Iacob inhabitaret*, Id est, in illis qui similitudine morum Patriarcham Iacob exprimerent, imperium & dominationem exerceret, ut eos regeret, & dirigeret quemadmodum Rebecca Jacob. atq; illi etiam præcipuo quodam pietatis cultu moverentur in Sanctissimam illam Virginem velut in suam Matrem, ac futuræ salutis parentem optimã: sicq; ille mutuus pietatis sensus quo & mater filios & filii matrẽ prosequerentur, esset quædam beata radix æternitatis, sicut gratia dicitur semen futuræ gloriæ. *Et in electis mittet radices.*

Quartum, quod advertas, est, sic dictum esse B. Virgini ut simul etiam præceptum fuerit inhabitare in Iacob. *Tunc præcepit*, inquit, *& dixit mihi*, hoc est, sic decretum est apud Deum, sic firmum fixumq; est, ut in similibus Iacob inhabitantem, tanquam si præceptum esset impositum, cui observando proinde sic astricta sum ut mihi non liceat in aliis inhabitare. Aut Iacob similes inveniam oportet aut faciam, præceptũ est & non præteribo.

Quintum, quod propius Veritatem propositam spectat, hinc planè sequitur, quod quantum quis velit in se sanctam inhabitare Deiparam, tantum oportet ut velit esse alter Iacob, quia talem illa non faciet nisi volentẽ: & qui talis esse noluerit, nunquam in eo Dei Mater inhabitabit. Quod ut firmius apprehendatur, dicitur etiam esse simul præceptum cuicunq; volenti hanc sanctam Virginis curam & inhabitationem, ut se vita & moribus velut Iacob exhibeat. Nam est quoddam veluti medium sic à Deo institutum ad illum finem consequendum; quandoquidem non potest aliter Virgo in quoquam habitare qui talis esse nolit. Sicut cùm præceptum est Apostolis ut neminem nisi baptizatum & pœnitentem absolverent à peccatis, simul etiam præceptum est omnibus qui absolvi cuperent, ut baptizari vellent & pœnitere; cũ alioquin illi aliter nullos possent absolvere. Sic planè cùm præcipitur B. Virgini ut in Iacob inhabitet, præcipitur etiam omni volenti hanc inhabitationem ut velit esse Iacob, quia medium quoddam est ad illam inhabitationem

nem, sicut baptisma & pœnitentia ad peccatorum absolutionem. Certum est autem quod quando Deus sic fines aliquos certis quibusdam mediis attexuit, tam necessariò unicuique præcepit illa media, quàm quisq; volet illos fines.

Denique quod sextum & postremum est ad praxim in primis opportunum, restat inquirere, qualis fuerit Iacob, quinam ejus diversi à suo fratre mores, quæ nobis cum illo similitudo vel discrepantia.

Septem ex Scripturis colliguntur differentiæ morum utriusque fratris, quarum prima
Gen. 25. his continetur verbis; *Factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitatin tabernaculis.* Id est, quantum unus sese foras effundebat, tantum alter sese domi continebat. Magna certè & notanda diversitas.

Secunda est, quod Iacob erat pius ut patet ex multis ab eo erectis altaribus; Esau autem
Hebr. 12. *profanus* ab Apostolo dicitur. O quantum utriusque intervallum.

Tertia, Iacob erat pudicus quantum illa ferebant tempora, neque unquam de conjugio cogitavit nisi ex parentum consilio & jus-
Gen. 26. sione. Esau verò duxit uxores, *quæ amba offenderant animum Isaac & Rebeccæ*, unde & *fornicatorem* eum vocat Apostolus.

Quarta, Iacob suis animi vacabat temperandis appetitionibus, ut apud Labanum socerum & sæpe alias patuit: Esau verò suis indulgebat intẽperãtiis, unde & arguitur, quod
Hebr. 12. *propter unam escã primitiva sua vendiderit.*

Quinta, licet Esau cogitaret interdùm de divinis & cœlestibus: rarius tamen, secundariæ quodammodo erant illius curæ, cùm longè magis addictus esset caducis bonis cumulandis: Iacob verò etsi bonis abundaret, non hæc erat tamen ejus prima, & præcipua solicitudo circa hæc bona sibi comparanda, sed potius ut bonorum Parentem omnium coleret, à cujus nutu totus pendebat. Quæ quidem differentia videtur aptè compræhẽsa in diversa benedictione quam à patre Isaac, uterque legitur accepisse. Sic enim dictũ
Gen. 27. Iacob, *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*: Esau verò; *In pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Nulla hic mentio Dei; *Et de rore cœli* pronuntiatur post pinguedinem terræ, cùm è contra Iacob, nihil de terra dictum esset nisi post rorem cœli à Deo dandum, quasi diceretur, quod uni primum est, postremum est alteri; qui primus est in mente Iacob cultus Dei, postremus est in Esau. Non propter bona, Deum Iacob colit, sed quia Deum colit, bona consequitur. Esau verò ut bene sibi sit, Deo supplicat, nõ tam Deo quam sibi serviẽs. Videsne disparitatem vitæ?

Sexta, si forte peccasset Jacob, pœnitebat eum sui delicti, redibat statim in gratiam cum Deo, & cum hominibus, frequenterque illud ore usurpabat. *Erit mihi Dominus in Deum.* Esau verò post grave crimen admissum, *Ibid. 25.*
abiit parvipendens quod primogenita vendidisset, & tametsi videretur aliquando resipiscere, *non invenit tamen pœnitentiæ locum*, ait Apostolus. Quod certè multis accidit.

Septima denique: Iacob suorum talem habebat curam, ut omnes in divino cultu contineret. *Abiicite Deos alienos qui in medio vestri* *Gen. 35.*
sunt. Esau verò de his tam parũ solicitus fuit; ut ejus posteri statim à verò Dei cultu defecerint: *Ipse est Esau pater Idumæorum*, inquit *Ibid. 36.*
Scriptura, quasi diceret, parens eorum qui nominati sunt inter infideles. O quantum ab uno in multos boni vel mali derivatur!

Hic est itaq; vitæ & morum diversus character, qui Iacob ab Esau, qui electos à reprobis, & qui Parthenicos ac veros Virginis Matris cultores à falsis certò discriminet. Quàm quisq; castus, simplex, sibi vacans & aliis ornatus erit virtutibus, quas in Iacob spectavit, tantum erit apud illam in gratia, & tantum certitudinis ac firmitatis obtinebit ad æternã salutem consequendam. Non illa sine virtutibus, sed nec virtutes sine illa. Sicut nempe parant illi ad tempus in mente nostra virtutes habitaculum, sic parat illa virtutibus & menti nostræ sempiternum in cœlo domicilium. Non staret cultus Beatæ Virginis sine virtutũ præsidio, sed neq; virtutes consisterent, aut satis valerent apud Filium, nisi cultus accederet sanctissimæ matris. Hac insignitæ notã virtutes, tantam supra cæteras referũt dignitatem, quanta prope est ipsa Mater super alias creaturas. O pondus virtutis & pretium, qãta est ipsa dignitas divinæ Matris!

Quamobrem etsi alia non adesset virtutum commendatio, singulari tamen hoc nomine, quo nobis gratiam Beatissimæ Virginis demerentur, singulariter à nobis essent colẽdæ, nò modò quia inde plus nobis referũt meriti

& valoris; sed quia nos inde etiam plus adhibemus animi ad roborandas virtutes, quæ tãtæ Matri offerantur & placeant. Neque enim illa minutis virtutibus delectatur sed veris & solidis, non ore, non suspiriis, non hic fusis duntaxat precibus exoratur, sed generoso cõflictu cum vitiis, sed constanti castitatis cura, sed invicta salutis comparandæ solicitudine: cum alioquin nisi precibus adjungantur opera, *Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau.* In die Virginis sacro, vox quidem vox Iacob est, sed in aliis diebus, manus manus sunt Esau. In templo quidem vel dum orat, vox Iacob est; sed dum aliis vacat muneribus, manus sunt Esau. Gen. 27.

Perge ulterius hanc prosequi perversitatem, & ingemisce tuis animi desultoriis levitatibus. *Vir duplex animo inconstans in omnibus viis tuis.* Vide potius *ne dimittas legem Matris tuæ.* Iac. 1. Prov. 1.

Vide in 3. parte, Die 24. Iunii, ubi ad hæc verba quæ in nativitate S. Ioannis Baptistæ dicebantur, *Qui, putas, puer iste erit,* hæc exhibetur veritas:

Sicut prima & puerilis ætas index est secutura vitæ præsentis: ita hæc vita præsens indicium est futuræ pòst æternitatis.

Die 2. Aprilis.

DE SANCTO FRANCISCO DE PAVLA.

FUNDATORE ORDINIS MINIMORUM.

Ego Minimus in domo Patrùmei. Iudicum 6.

VERITAS PRACTICA.

Hic erit verè maximus, qui verè est minimus.

RATIO EST, quia qui maximam in hac vita gratiam seu charitatem, & parem in alia gloriam consequetur, Hic erit verè maximus.
Sed qui verè est minimus, maximam gratiam & gloriam consequetur.
Ergo hic erit verè maximus.

I. PUNCTUM.

QUæ duæ sunt in domo Domini seu in Christiana familia maximè commendatæ virtutes, humilitas & charitas, eæ ambæ præ cæteris eminent in sancto Francisco de Paula, Fundatore sanctissimi Ordinis PP. Minimorum. Humilitas quidem tanta, ut se suosque omnium MINIMOS & dici & esse vellet: Charitas verò tam sublimis ut unum Deum respiraret, unum eum ab omnibus diligendum vellet, unam charitatem in ore haberet, in corde gestaret & in opere exerceret. Hæc videri possunt fusius in ejus vita, indeque colligi quo sanctitatis & gloriæ pervenerit, cum gloria respondeat charitati, sive gratiæ, & gratia humilitati, unde eruitur hæc universalis veritas valde practica & valde expendenda: *Hic erit verè maximus qui verè est minimus.*

Ratio quæ affertur est evidens quoad omnes suas partes, nec tanta eget probatione ad intellectum, quanta cõsideratione ad voluntatẽ & affectum. Quid enim clarius ex principiis nostræ religionis quàm quod prima propositione dicitur, qui maximam in hac vita gratiam seu charitatem, & parem in alia gloriam consequetur, hic erit verè maximus? Namcum vera magnitudo rei alicujus sit in commensurata proportione ad suam regulã; moralis autem nostræ magnitudinis nulla sit alia regula certior quàm charitatis & gratiæ sanctificantis pro hac vita, & gloriæ beatificæ pro alia; certè qui plus hic gratiæ & plus in cœlo gloriæ consequetur, hic divino & humano judicio dicetur major. *Sic inter natos mulierum non est major Ioanne Baptista,* quia nullus est gratia sanctior. *Sic excellentiorem* dicit Apostolus *viam charitatis,* quia nihil est excellentius ad promerendam gloriam, cujus semen est gratia, & via certa charitas. Sic denique pauris sanctus Augustinus, quod tota fusissimè quanta quanta est scriptura, continetur: *Ille tenet, & quod patet & quod latet in divinis eloquiis, qui charitatem tenet in moribus.* Hinc Ille aprè qui orabat, *ô veritas Deus, fac me unum tecum in charitate perpetua.* Matth. 11. 1. Cor. 12. De Laud. Charit. Ioh.

Tædet

L. 1. de Imit. Ch. c. 3. *Tædet me sæpe multa legere & audire, in te est totum quod volo & desidero.*

II. PUNCTUM.

SED qui verè minimus est, maximam gratiam & gloriam consequetur. Verè minimus dicitur, qui exemplo sancti Francisci se infra omnes alios demittit, qui quo plura & maxima bona facit, eò se magis etiam humiliat, quia se Deo videt magis obstrictum, & cum tam multas recipiat gratias, quibus forte alius fidelius uteretur, timet sibi ab ingratitudine & negligentia; qui denique quæ Dei sunt, Deo reddit, nempe gloriam & honorem totius boni, sibi autem, quæ sua sunt, perpetuò repræsentat, nempe nihilum & peccatum, dicitque cum Propheta Daniele: *Tibi Domine Iustitia, nobis autem confusio faciei.* Dan. 9.

Talis autem maximam consequetur gratiam & gloriam, quia sic Deus exaltat humiles, ut promisit; sicut enim Deũ maximè honorãt humiles, ita eos Deus, ut habet Sapiens: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Eccles. 3. Sic aptissimi sunt ad Dei dona recipienda, quia seipsis vacui non ad inanem gloriam, non ad propriam commoditatem & jucunditatem, sed ad unam Dei gloriam, illa recipiunt & referunt. Deus enim cum sit ex se propẽsissimus ad dona sua conferenda, hoc uno impeditur nobis ea cõferre largius, quòd iis abuteremur, unde quo humiles procul sunt ab illo gratiarum abusu eò propius disponuntur ad earum receptionem. Refugit natura vacuum in quo nihil operatur: At gratia, *quæ non sunt, eligit, ut quæ sunt destruat. NON solidum sed inane & cavum intrinsecus faciei illud, sicut in monstratum est,* nempe altare. Sic Denique præcessit in Capite ut quantum se humiliavit Dominus, tantum & exaltatus fuerit, unde necesse est, ut id sequatur in membris, quemadmodum ipse toties in Evangelio dixit: *Volo ut ubi ego sum, illic sit & minister meus,* qui scilicet mecum fuerit humiliatus, mecum erit in gloria. Unde Apostolus postquam de humiliato Christo Iesu: *Propter quod,* inquit, *& Deus exaltavit illum.* Et alibi: *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. SIC ponit humiles in sublime.* Nonne

1 Cor. 1. Ex. 27. Vide Ephes. 4. Ioan. 17. Hebr. 2. Iob. 5.

melius est ut dicatur tibi ascende huc, quam ut humilieris coram principe? SVPERBVM sequitur humilitas, & humilẽ spiritu suscipiet gloria. Prov. 25. Ibid. 29.

III. PUNCTUM.

ERGO hic erit verè maximus, qui vere est minimus.

Quia hic maximam assequetur gratiam & gloriam in quibus vera est magnitudo. *Erunt novissimi primi, & primi novissimi.* Sic HONORABITUR *quemcunque voluerit Rex honorare.* Vult autem humilem & solum humilem. *Sola est humilitas quæ exaltat,* inquit sanctus Bernardus, *sola quæ ducit ad vitam: qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit. O perversitas, ô abusio filiorum Adam, quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam Angelicis humeris formidandas.* Sic & graviter sanctus Basilius: *Hæc est hominis sublimitas, hæc gloria & magnificentia, verè cognoscere hoc, quod magnum est & illi conglutinari, ac gloriã à Domino gloriã quærere.* Matt. 20. Esther 6. Serm. 2. de Asc. Hom. de Humil.

De necessaria verò conjunctione charitatis & humilitatis sic præclarè sanctus Ambrosius, postquam ex Apostolo retulit charitatẽ esse patientem, non inflari, non esse ambitiosam; *Inflatio ergo,* inquit, *& ambitio possunt destruere charitatem, possunt evacuare martyria: huic autem ruinæ nihil subvenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit non currit ad medicum. Hunc autẽ pestilentia flatum spiritus veræ humilitatis & veræ charitatis excludit. In nullo enim hæ virtutes ab invicem dividuntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, ut, qui in una carum construitur, simul utraque potiatur. Sicut enim parens charitatis est humilitas, ita parens humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definivit, inveniemus eadem similem habere charitatem, si ei humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum jactantia largitas, aut cum elatione martyrium?* Lib. 10. Epist. 84. ad Demet.

Hæc fructuosè omnia, sed illud aptissimũ, quod ait unum quodammodo totum conflari ex duabus partibus, charitate & humilitate. Illudque est, quod scripsit sanctissimus Gebennensis Episcopus, humilitatem nihil esse

nisi charitatẽ demissam, sicut charitas est ipsa humilitas exaltata. Sicque in sancto Francisco de Paula rectè utramque virtutem sic ad unam reduxeris, si dicas humilitatem eius nihil nisi charitatem nihil nisi ipsammet humilitatem impletam & ascendentem. *Vade & pete tibi vasa vacua non pauca*, qua sacra repleantur oleo. *Spiritum vobis & vitam reddet sicut nunc vosmetipsos despicitis. SVSCIPIAT de pulvere egenum & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus. QVIA hæc dicit excelsus & sublimis habitans æternitatem & sanctum nomen eius in excelso & in sancto habitans & cum contrito & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum.* divina planè verba.

4. Reg. 4. 2. Macc. 7 1. Reg. 2. Is. 7.

Vide plura passim de humilitate, ac præsertim in hac 2. parte, hebdomada 4. Quadragesimæ, Ubi hæc inter alias sat conformis jam expositæ veritati veritas demonstratur:

Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

Die 25. Aprilis.

DE SANCTO MARCO EVANGELISTA.

Similis factus est Leoni in operibus suis. 1. Macch. 3.

VERITAS PRACTICA.

Fortioris est animi, non vinci à bonis blandientibus, quam ipsa vincere mala terrentia.

RATIO EST, quia ubi reperitur major conflictus & difficultas, tum fortioris opus est animi.
Sed major est conflictus & difficultas cum bonis blandientibus quam cum malis terrentibus.
Ergo fortioris est animi, non ab illis vinci quam ipsa vincere. Quod tamen pauci putant.

I. PUNCTUM.

L. 1. contra Iovinianum.

NON frustra sanctus Marcus comparatur Leoni, neq; propter eam tantum causam quam refert sanctus Hieronymus, *quia suum Evangelium inchoat à voce Clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas eius*; sed quia, ut dicitur de Iuda Machabæo, *Similis factus est Leoni in operibus suis.* Fuit enim excelso & generoso animo in superandis quibusvis difficultatibus: quod vel maximè patuit in ea vitæ forma quam Alexandriæ instituit & omnibus Christianis servandam persuasit, ut refert idem sanctus Hieronymus. *Assumpto*, inquit, *Evangelio, quod ipse confecerat, porrexit in Ægyptum & primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina & vitæ continentia, ut omnes Sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit Et quomodo Lucas narrat Ierosolymæ credentes habuisse omnia communia, sic & ille quod Alexandriæ sub Marco fidei Doctore cernebat, memoriæ tradidit.*

L. descript. Eccles.

Hoc ipsum Cassianus Collator sic religiosè commemorat. *Qui à beatæ memoriæ Evangelista, qui primus Alexandrinæ urbi pontifex præfuit, normam susceperè vivendi, non solum illa magnifica retinebant, quæ primitùs Ecclesiam, vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse, multitudinis scilicet credentium erat cor unum, &c. verùm etiam his multò sublimiora cumulaverant; etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tantò abstinentiæ rigore distractam, ut etiam his, qui erant religionis externæ, stupori esset tam ardua conversationis eorum professio.*

2. Instit. c. 5.

Hoc igitur tam arduum vitæ institutum ut agrederetur sanctus Evangelista, ut proponeret, ut persuaderet suis, & ad fœlicem tandem exitum perduceret, nonne oportuit eum generosam Leonis indolem esse imitatum. *Qui*, ut ait Sapiens, *ad nullius pavit occursum?* Quot enim difficultates, quot pericula, quot obices nõ occurrerunt contra tale propositum: quæ omnia invictus Marci animus superavit? Ipsa certè vivendi ratio, cujus erat Author aut certè promotor & exemplar, cùm tota fuerit in conti-

Prov. 30.

continentia & iis humanæ vitæ bonis abdicandis, quibus carere difficillimum est, non aliter transigi potuit, quam per continuatos fortitudinis actus, qui longè insigniores sunt omnibus aliis qui ex hac virtute procedunt.

Hinc nata veritas valde expendenda, *Quod fortioris est animi non vinci à bonis blandientibus, quam ipsa vincere mala terrentia.* Et quidem ratio facilis quoad illam primam partem, qua dicitur quando conflictus & difficultas est major, tum majoris & fortioris esse argumentum animi, si non vincaris, quam si minor esset difficultas. Sic enim vel ad acuendam fortitudinem ante certamen excitamur, propositis hostium viribus, quemadmodum
Ephes. 6. his nos urget Apostolus. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus;* Unde infert, *propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Vel quando pugna peracta est, sic victorum virtus illustrius commendatur, quod plures & robustiores dejecerint: Quod trecenti milites Gedeonis, multa hostium fregerint millia:
Iud. 15. quod unus Samson *in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum,* ut ipse aiebat, *deleverit &*
1. Reg. 15. *percusserit mille viros* in se irruentes: quod puellus David prævaluerit adversum Philistæum illum Gygantem in funda & lapide: quod nos denique potestates omnes & spirituales nequitias, si volumus, pervincamus. O quanta fortitudo sic posse, ô quanta ignavia sic nolle vincere!

II. PUNCTUM.

SED major est conflictus & difficultas ne vincaris à bono sensibili & blandienti, quam ut vincas mala terrentia.

Bona illa sensibilia sunt, pecunia, possessiones, delectationes, honores, dignitates & quæcunque appetitum concupiscibilem movent; quæ quia movent illum vehementissimè, tãtus est in his motibus reprimendis labor, ut paucissimos reperias qui libidinẽ verè reprimant, unumque illud allegant, quod sit difficilius. Hæc nempe est *arcta via* quam
Matth. 7. tenent; contrà verò *spatiosa & lata via* quam
Eccles. 31. cæteri omnes percurrunt. *Beatus dives,* inquit Sapiens, *qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris: quis est hic & laudabimus eum?* Quasi dicat rarissimus est, sicut & qui non sectetur honores & quas potest vitæ delicias. *Omnes enim,* ut ait Propheta, *conversi sunt ad cursum suum: quasi equus impetu vadens ad prælium.* *Ier. 8.* Hæc est caro quæ concupiscit adversus spiritũ. Hæc sunt carnalia desideria quæ militant adversus animam. Hæc est denique militia & *Iob. 7.* tentatio vitæ hominis super terrã. *Inter omnia certamina Christianorum,* inquit S. Augustinus, *sola sunt ista prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur & semper timetur.* *L. de Hon. mul. c. 2.*

In sustinendis & vincendis quidem malis ut est morbus, paupertas, frigus, fames & similia, non desunt certè difficultates, sed rariores sunt casus, & hi sunt ita necessarii quando occurrunt, ut vix aliter possint expugnari quàm sustinendo; sicque necessitas facile in virtutem commutatur, & eò etiam facilius quo manifestè patet hanc esse Dei voluntatẽ ut sustineamus; quandoquidem nullum est aliud mali remedium. *Sustine sustentationes* *Eccles. 2.* *Dei, coniungere Deo & sustine,* ait Sapiens.

At verò in continendis bonis sensibilibus, non ita rari sunt casus, neque rari conflictus sed quotidiani & ordinarii, ut qui carni adhæreant nec à nobis disiungantur; nõ est etiã illa physica & naturalis necessitas iis continendi, quæ est sustinendi mala; nam quisque pro arbitrio, licet malè agat, liberè tamen potest vel cogitare vel concupiscere vel quovis modo suis indulgere cupiditatibus; unde à Sapiente quæritur, *qui potuit transgredi & non* *Eccles. 31.* *est transgressus, facere mala & non fecit,* quia scilicet tam ratus est, ut vix unus aut alter inter sæculares reperiatur. Est ergo conflictus & difficultas longè major ne vincaris ab his bonis quæ ita demulcent & alliciunt, ut tantum absit quod expugnentur, quin potius exquiruntur, & ultro se abjiciunt & sese provocant homines ad ea consectanda, tanquam ad unũ suæ vitæ bonum: *Venite, fruamur bonis quæ* *Sap. 2.* *sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.* Vide quæ sequuntur & ingemisce, vel quod ex illis sis, vel quod, ut ait Apostolus, *in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationem.* *Ephes. 2.*

III. PUN-

III. PUNCTUM.

FOrtiorus est igitur animi non vinci à bonis blandimentibus quàm ipsa vincere mala terrentia. Hoc est enim seipsum vincere, quod
Sap. 10. est certamen difficillimum, hoc est *certamen forte*, quod Deus permittit sanctis, ut vincant
Ibid. 4. & triumphent. Hinc est illa virtus *quæ in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Hoc fusè & disertè sancti Patres, quorum gravissimis verbis non modò intellectus ad veritatis cognitionem instrui poterit, sed & affectus ad eiusdem praxim & quotidianam exercitationem cum
Ep. 30. Dei gratia concitari. *Grandis virtutis est*, inquit sanctus Hieronymus, *& solicitæ diligentiæ, superare quod natus sis; in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & inclusũ hostem, Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare.* Tum idem alibi de seipso: *O quoties*
Ep. 22. *ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putabam me romanis interesse deliciis!* Et quæ plura prosequitur.

L. 1. Offic. c. 36. Sic sanctus Ambrosius? *Revera*, inquit, *jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur. Quid autem excelsius & magnificentius quàm exercere mentem, afficere carnem & in servitutem redigere, ut obedias imperio, consiliis obtemperes?* Sanctus quoque Gregorius, *quid fortius*, inquit, *quàm omnes animi sui motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frænare, proprias voluntates abjicere, contemptis visibilibus, ea quæ non videntur amare?* Lactantius etiam egregiè postquã illud ex Oratore retulit, *nulla est tanta vis quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit; At animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est quæ ille nec fecit unquã nec potuit. Hac qui faciat nõ modò eum cum summis viris comparo, sed simillimũ Deo judico.* VELLEM, inquit, *adjecisset de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia, ut virtutem eius impleret quem similem Deo judicabat.* Tum de singulis pergens dicere, ostendit fortitudinis gloriam in hoc præcipuè sitã esse, *ne ab illis vincaris.* Et certè si turpe est à quoquam vinci, quantò magis ab ipsa turpitudine! *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

In Ps. 2. pœnit.

Lib. 1. Instit. c. 9.

Apoc. 18.

Plures ex singulis partibus huc facile possunt referri veritates, de quibus vide in indice, Verbo *Fortitudo, Virtus.*

DE SANCTIS PHILIPPO, ET IACOBO APOSTOLIS.

Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me: Philippe qui videt me, videt & Patrem. Ioan. 14.

VERITAS PRACTICA.

Si tempus respicis comparandæ tibi virtutis: vix ullam tibi comparatam respicies.

RATIO est, quia vix ulla est virtus, si non respondet tempori aut gratiis datis.

Sed si tempus respicis comparandæ tibi virtutis, vix ullam respicies tempori aut gratiis datis respondentem.

Ergo & vix ullam tibi comparatam respicies; quod certè est pavendum.

I. PUNCTUM.

CUM in illo postremo sermone, quem Christus Dominus post Cœnam habuit cum Apostolis, multa de Patre suo differeret, dicit ei Philippus, *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*; tum Dominus Iesus, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me! Philippe qui videt me, videt & patrem! Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non creditis quia ego in patre, & pater in me est!* Et quæ plura pergit Dominus, satis indicant ignorantiam Discipuli non vacasse culpa, in eoque potissimum omnes redarguit, quod, cùm tanto jam tempore cum illis fuisset, & tam multis sermonibus ac miraculis de Divinitate sua instruxisset, adhuc essent ita rudes & ignari, ut peterent videre Patrem, nec crederent eum esse in Filio, sicut Filius erat in Patre; quod etsi tolerari posset cum primùm ad ipsum

sum accessere, jam verò postquam tamdiu simul sunt commorati, id penitus esse probrosum & intolerandum. Sic sanctus Hilarius ait arguisse Dominum Apostolos, *in cognoscendo se, ignorantes: cùm toties vidissent ea quæ gerebat propria Deo esse, ut calcare undas; jubere ventis, peccata dimittere, mortuis vitam reddere* Sed, ut ait sanctus Ioannes Chrysostomus, eorum ignorantia & imperfectio nobis revelatur, ut cognoscamus quales ex se, qualesve ex Spiritu sancto fuerint. Nam ille ipse Philippus qui tanto tempore tam parum profecerat in cognoscendo Christo, sic postmodum eum esse verum Deum agnovit & prædicavit, ut propterea Cruci affixus & lapidibus obrutus fuerit, Hierapoli Phrygiæ. Sanctus item Iacobus cum interrogatus fuisset à Iudæis, quid de Christo sentiret, respondit constantissimè illum esse Dei filium; quamobrem in altissimum Ierosolymitani templi locum eum adduxerunt, atque inde præcipitatus, fuste fullonis occisus est. O si tandem aliquando perveniremus eò virtutis & perfectionis, quo nos vocat Christus! ô si saltem agnosceremus nos nondum eo perveniisse, & quàm sit modica, aut prope nulla virtus nostra, probè nossemus! sed miseri miseriam nostram ignoramus! *& nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus.* Apoc. 3.

Ad hanc autem miseriam & paupertatem agnoscendam, opportunè ex verbis Domini quibus Apostolos arguebat, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me*, proponitur veritas expendenda; *Quod si tempus respicis comparandæ tibi virtutis, vix ullam tibi comparatam respicies.* Sicque saltem erit quo te, favente Deo, possis agnoscere. Ratio verò propositæ vetitatis & quæ ex Christi Domini verbis eruitur, hæc est: quod quæ virtus non respondit tempori aut gratiis acceptis ad eam rectè formandam, non est sufficiens aut ulla virtus. Certum est enim primò virtutis multos esse gradus, & qui gradus sufficeret Novitio, non sufficiet Veterano. Deinde satis constat istam differentiam graduum virtutis ita pendere à gratiis datis & acceptis, ut, cui plus datum est, plus exigatur ab eo. Denique licet aliquando brevi tempore plus gratiarum uni detur quàm alteri per multos annos; ordinariè tamen loquendo, progressus virtutis fit procedente tempore, si videlicet primæ datæ gratiæ & consequentibus respondeat anima, tum gratia, simulque virtus, crescit velut aurora consurgens, aut ut ait Sapiens, *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem.* Luc. 12. Prov. 4.

Sic de Christo Domino dicitur? *puer crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia.* Et paulo post, *Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines*, Id est, edebat nova signa virtutis quæ corresponderent ætati, ut nos doceret sic virtutem nobis esse debere velut coætaneam & ejusmodi gradus ac vigoris, quem exigit temporis & gratiæ diuturnitas. *Ecce tres anni sunt* dicebat Dominus vineæ, *ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* Vides numerari tempus & annos, & pro ratione temporis quæri fructum, & expendi virtutem an adæquetur gratiis: & si quidem respondeat, tùm approbetur & compensetur sin minus, tum reprobetur & puniatur. *Appensus es*, Audi anima, audi quid uni dictum sit & in uno tibi: *Numeravit Deus regnum tuum & complevit illud. Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Et alteri; *non invenio opera tua plena coram Deo meo*, quia scilicet *non habebat in mente, qualiter accepisset & audisset*; nec id ipsum ita servabat. Unde planissimum est, virtutem eam quæ non respondet tempori aut gratiis, non esse sufficientem, non esse plenam, non esse vivam sed mortuam, uno verbo, non esse virtutem; ac proinde illi viro dicitui, cujus non erant opera plena, *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* O infidum nomen quo virtus nominatur, & nulla est. Luc. 2. Luc. 13. Dan. 5. Apoc. 3. Ibid.

II. PUNCTUM.

SED si tempus respicis comparandæ tibi virtutis, vix ullam respicies tempori aut gratiis datis respondentem.

Cùm enim Deus sua natura sit liberalissimus & propensissimus ad conferendas gratias, nos verò contrà valde angusti & restricti ad eas accipiendas, quòd earum pretium, dignitatem, necessitatem & utilitatem nescimus, aut non cogitemus; certè verendum est unicuique, ne, cùm multa sic dantur, pauca recipiantur: ne cum semen in agro seminatur, pars in spinas, aut lapides aut viam omnibus obviam decidat & nullum fructum ferat. Undenam putas toties in scripturis conqueri Dominum *quod nullus sit cæcus aut nullus surdus*, Is. 42.

Is. 42. dus, nisi ad quos misit nuncios seu Prophetas? Nonne hinc, quia pauciſſimi ſunt qui oblatas recipiant gratias: plurimi verò qui reſpuunt aut quam duntaxat volunt, particulam ſumunt. *Et locutus ſum ad vos de nocte conſurgens, & loquens: & non audiſtis. ET miſit Dominus ad vos, omnes ſervos ſuos Prophetas conſurgens diluculo, & non audiſtis. Et verterunt ad me terga & non facies, cum docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire ut acciperent diſciplinam. ET noluerunt attendere, & averterunt ſcapulam recedentem, & aures ſuas aggravaverunt ne audirent, & cor ſuum poſuerunt ut adamantem ne audirent legem.* Quæ & ſimilia, quibus abundât Scripturæ, ſatis indicant tam ratum eſſe proventum quàm frequentem ſementem.

Ier. 25. Ibid. 32. Zacch. 7.

2. Cor. 13. Tu ipſe Iudex eſto, *Voſmetipſos tentate*, inquit Apoſtolus; *ſi eſtis in fide, ipſi vos probate.* A quo tempore vacas virtuti? quas non accepiſti tum gratias, lumina, motus & quæcunque tibi acquirendæ virtuti ſunt neceſſaria? Iam verò qualis tua virtus? qualis humilitas, patientia, devotio, manſuetudo, caritas, caſtitas & aliæ tuo magis conformes ſtatui? Itane firmæ ac robuſtæ omnes prout requirit tempus ſtudii, & gratia profectus tui? Si tantùm temporis poſuiſſes in literis aut arte aliqua comparanda, nec plus profeciſſes quàm in humilitate profeceris, nonne apertè cognoſceres literas tuas non reſpondere tempori ſtudiorum? Cur non idem cognoſces de virtute? an quia neſcis ita dijudicare defectum virtutis ac literarum? ô te miſerum & miſerandum, qui nec dum didiceris agnoſcere ipſum profectum vel defectum virtutis!

Etſi certè alia tui defectus argumenta deeſſent, hoc unum planè ſufficit, ut agnoſcas quàm longè diſtes ab eo qui eſſe deberes, pro ratione poſiti temporis: cum nec ſcias agnoſcere utrum ex æquo profeceris? Quàm tibi aptè Apoſtolus: *Etenim cum deberetis eſſe Magiſtri propter tempus, rurſum indigetis ut vos doceamini, quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei, & facti eſtis quibus opus lacte ſit non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ, parvulus enim eſt: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni at mali.* Nota hæc poſtrema verba, ut videas quicunque hanc non habet diſcretionem boni & mali, eſſe ignorantem ut puerum: & illum eſſe puerum de quo dicitur: *puer centum annorum morietur*; id eſt, cui virtus non reſpondet annis: qui eſt ætate centenarius, & virtute decennis.

Hebr. 5. Is. 65.

III. PUNCTUM.

SI tempus ergo reſpicis comparandæ tibi virtutis, vix ullam tibi comparatam reſpicies: quia vix ulla erit quæ reſpondeat tempori & gratiis datis, quibus ſi virtus non reſponder, non eſt virtus, non eſt virtus Sacerdotis, quæ eſſet laici, non eſt virtus veterani Patris, quæ eſſet junioris religioſi; ſicut non eſſet ſcriptio Rhetoris quæ poſſet eſſe Grammatici. *Unicuique ſicut diviſit Dominus.* Hoc eſt ſcilicet quod illi clamant in inferno: *Et virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere.* Putatne nullum prorſus valuiſſe? non eſt ita, cùm vix ſit ullus tam improbus, qui non aliquod ſaltem in vita virtutis ſignum edat; ſed verè tamen ſe nullum dediſſe dicunt, quia tametſi aliquam virtutis ſpeciem præ ſe ferrent, virtutem tamen reipſa non habebant, quia non habebant virtutem ſibi convenientem, virtutem coævam ætati, virtutem gratiis reſpondentem: qui defectus veræ virtutis ſi anteriora illa tempora maculaverit, quantò magis verendum ne hæc noſtra contaminet, cùm apertè Apoſtolus prædixerit: *In noviſſimis diebus ſore tempora periculoſa quibus homines eſſent ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Quænam eſt ſpecies pietatis aut humilitatis & charitatis? Actus quidam exerciti. Quænam eorum actuum virtus abnegata? Illa vis ſcilicet & illud robur quod ex ætate deberent habere, ſi ætati reſponderent: unde nihil reſtat niſi ſpecies & appatens quædam imago virtutis, virtus autem nulla.

1. Cor. 7. Sap. 5. 2. Tim. 3.

Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reverſatur. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſcivit: ſed & cani effuſi ſunt in eo & ipſe ignoravit. Aptiſſima prorſus Prophetæ verba: nam ſubcinericius panis qui non reverſatur, licet diu ſub cinere jacuerit, non eſt coctus, nec proindè bonus; ſic virtus non exculta: robur autem comeſtum ab alienis, & effuſi cani neſcientis & ignari, ipſa eſt virtus animi deficiens ab ætate, cujus tamen defectum

Oſu. 7.

non

non advertimus nec cogitamus, sicque fit ut
Iob.26. quod ait Iob: *Gigantes gemunt sub aquis*, Id est, provecti ætate laborant defectu virtutis,
Eccles.2. *Et quid facient cùm inspicere caperit Dominus?* Hoc est modò gemendum & prospiciendum.

Vide in 3. parte, Dominicam 7. & ubi agitur de Renovatione votorum, in fine.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Die 3. Maii.

Notas facite in populis adinventiones eius. Il.22.

VERITAS PRACTICA.

Si quid forte asperius inveniatur de quo conquereris, de inventa Cruce conquereris.

RATIO est aperta, quia crux id omne dicitur quod est asperum in virtute seu divino cultu. Vt verò melius intelligatur quomodo hæ querimoniæ & murmura redundent in ipsam Christi crucem, sic alia videtur alteri subiicienda veritas:

Inventæ crucis tantum quis detrahit, quantum in pœnis murmurat.

RATIO est, quia detrahere crucis est virtutem eius diminuere.

Sed qui murmurat in pœnis, tantùm diminuit virtutem crucis quantum murmurat.

Ergo & illi tantum detrahit. Quod ne fiat, disce libenter pati.

I. PUNCTUM.

TRES possunt considerari adinventiones crucis, seu triplex adinventio Dei, circa crucem.

Prima quæ hodie colitur, quando Helena Constantini mater Imperatoris Christiani divino mota consilio, sacrum illud lignum, in quo Christus Dominus pependit, invenit Ierosolymis in monte Calvaria, ubi per trecentos pene annos latuerat. Inventio est etiam Dei, seu divina adinventio, non quia tantùm divino, ut dixi, motu facta est, sed quia idcirco facta est, ut Christiani hoc salutari signo per universum orbem celebrato, salutis suæ instrumentum & Salvatoris sui memoriam præcipuo cultu venerarentur. *O Crux splendidior cunctis astris. Hæc est arbor dignissima, in paradysi medio situata, in qua salutis author proprio morte mortem omnium superavit.*

Secunda Dei adinventio circa crucem, est admirandum divinæ Sapientiæ consilium, quo reparandi humani generis hic adinventus est modus; quàm stupendum hoc consilium! qualis adinventio! quis cogitasset salutem hominum, maximum illud divinorum omnium opus, in tã vili & probrosa materia, quale erat infame lignum crucis, esse restaurandam? *Christus factus est pro nobis maledictũ,* Gal.3. *quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quis verò non demiretur illam crucis infamiam in tantam modo gloriam & honorem esse commutatam, ut nihil cruce sit glorioſius, nihil pretioſius? *Vobis honor credenti-* 1.Pet.2. *bus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* *MIHI autem absit gloriari nisi in cruce Domini* Gal.6. *nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Tertia denique adinventio est, cùm ex honore & pretio crucis, in qua Christus Dominus salutem nostram est operatus, infertur æstimatio & commendatio mortificationis & tolerantiæ, quæ est genus quoddam crucis de quo Dominus: *Si quis vult post me venire, ab-* Luc.9. *neget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Sicut enim, quod erat infame lignum, per contactum Christi, factum est glorioſum, ita pœnæ & opprobria quæ secundum carnis & mundi sensum erant horrenda, nunc per Christum facta sunt suavia & amplectenda. *O bona crux quæ decorem de* S. Andreas *membris Domini mei accepisti!* quod non tam dictum de ligno quam de tormento crucis,

seu de qualibet alia pœna, cujus Dominus tã verè abstulit opprobrium & aculeum, ut non sit minus honorificum & suave pati quam gestare crucem. Undenam ergo nunc inter Christianos de pœnis quas inveniunt murmura? Certe undecunque veniant & quicunque sint, qui sic in pœnis murmurent, Iudaicum, Paganum & profanum aliquid redolere dicendi sunt; cùm tantum detrahant honori crucis, cujus hodie honor commendatur, quantum in pœnis murmurant.

Hæc est proposita veritas ad praxim non minus utilis quam facilis ad intelligentiam. Quid est enim honori crucis detrahere, nisi vim eius & virtutẽ diminuere? Nonne si quis negaret miracula, sanitates, expulsiones dæmonum, mortuos suscitatos & alia innumera per sacrum crucis lignum mirè patrata; si quis ea derideret quasi per illud lignum nihil tale fieri posset, nonne cruci detraheret? Quia scilicet vim ejus & virtutẽ negaret. Nonne profiteris crucis signo quod in frõte formas, eam inesse vim ut dæmones pellat, tentationes arceat, divinam conciliet opem, & sexcentis abundet bonis? sit igitur hæreticus aliquis qui hæc irrideat, nonne is cruci detrahet? Cur porro nisi quia vim eius & virtutẽ diminuet? sed absit hoc erroris portentum, & quod ab ipso nascentis Ecclesiæ primo exordio factũ est, sic semper fiat, quod Tertullianus luculentè scribit: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum disciplinarum si legem expostules, scripturarum nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

L. de corona mil. c. 3. & 4.

II. PUNCTUM.

SED qui murmurat in pœnis, virtutem crucis tantùm diminuit, quantùm murmurat.

Hæc est enim virtus crucis, ut pœnas acceptas & gratas faciat; hoc est *lignum*, quod in aquis amaris positum dulces illas fecit; hæc est *farina*, quæ in ollam conjecta, omnem inde amaritudinem sustulit; hic *favus mellis*, ex ore leonis eductus; hoc est *oleum*, quo inunctum jugum computrescit & fit suave jugũ Christi, de quo tam suaviter S. Augustinus: *Mansuefeci jugo tuo cervicem meam, & nunc porto illud & leve est mihi.* Hic *fasciculus myrrhæ*, qui dũ inter ubera sponsæ morabitur, nihil est tam asperum & insuave quod non condiatur, ut de se suisque profitetur S. Bernardus. Denique sicut in cruce est talus, ita in ea est infusio supernæ suavitatis, ut est apud Kempensem.

Exodi 15. 4. Reg. 4. Iud. 14. Is. 10. *2. Conf. 36. Cant. 1. Serm. 43. l. 2. c. 12.*

Undenam põrro illa suavitas, illa facilitas nisi à cruce Christi? sive quod inde Christus gratiam promeruerit, sive quod ejus intuitu nos ita formet: sive quod ex ejus veneratione, animus in pœnarum amorem facile transeat. Quocunque id denique modo fiat, prope illud est quod in templorum consecratione peragitur dùm unguntur cruces. *Vos qui expertus estis*, inquit S. Bernardus, *ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est & per gratiam spiritus adiuvantis, suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima.*

Serm. 1. in Dedic. Eccles.

Tu verò quisquis murmuras, nonne hanc virtutem crucis negas aut minuis? Unde enim murmur tuum nisi ex adverso animi sensu, quem pœnæ sensus excitat? Quid porro est adversus ille animi sensus nisi judiciũ quoddam de amaritudine & acerbitate doloris quẽ sustines? quod quidem judicium tuum si verum est, falsum esse necesse est, quod de virtute crucis dicitur, sicque virtutem eius tantum diminuis per murmur, quantum per illud judicas id esse malum quod per crucem factum est bonum. Esto sit adhuc sensibilis dolor, nõ est sublatus per crucem dolor, sed ille duntaxat animi angor & mœror quem ex dolore percipis, si modò velles ad crucem Christi attendere; sicut dæmon dicitur victus & mors mortua per mortem Christi, cum tamen neo dæmon cesset tentare neque mors vitam abripere, sed quia per mortem Christi facile possumus dæmoni resistere & æternæ mortis damna evitare, sic mors cogitur *non quidem non adesse sed non obesse*, ait sanctus Bernardus. Ita planè de pœnis sentiendum, sic per crucem Christi sunt mitigatæ, ut remaneat quidem dolor, sed non angor ille qui murmur excitat, si cum divina gratia cogitare velis sic te per pœnas conformari Crucifixo, sic te salũrem & perfectionem assequi, sic te, uno verbo, tibi certiores gratiæ, gloriæque thesauros cumulare. Unde quàm verum est hanc esse vim & virtutem crucis, ut illum angorem & murmur possit compescere, tam certò liquet

quet te hanc diminuere virtutem cùm adhuc murmuras; nam illi te opponis, ejus resistis gratiæ, neque minus ei contradicis quàm si negares quod dicitur de eius virtute & potentia, palamque diceres te contrarium experiri. O te misetum qui cum Christi hostibus expugnas crucem, à qua poteras contra tuos hostes propugnari!

III. PUNCTUM.

SIC ergo quando quis invenit aliquid asperum de quo conqueritur, & de inventa cruce conqueritur, & inventa cruci tantùm is detrahit, quantum in pœnis murmurat, Quia sic virtutem eius diminuit quod est illi detrahere, & honorem qui hodie ab omnibus ille confertur velle quodammodo subtrahere, perinde ac si crucis hostis, & de illis esset quos Apostolus vocat, *Inimicos crucis Christi!* Certè non alios ita vocat quàm qui terrena sapiunt & delicias præferunt veris bonis, atque hoc sæpe cùm à se dictum scribat, nunc se flentem ait iterare ac rursum repetere, cum sic ad Philippenses scriberet. Quod & alius Apostolus his aptè verbis exponit: *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes.* *Phil. 3.* *S. Iudas.*

Videsne quò impietatis te murmur tuum adigat? Videsne quantò graviùs in pœnas devolvaris cum de pœnis cõquereris! nihil enim ita celeriter ac severè punit Deus quam istos murmuratores, ut præclarè Iudith suis Bethulitis, unde & patientiæ commendandæ sumit argumentum: *Omnes*, inquit, *qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis sua contra Dominũ protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore & à serpentibus perierunt. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini quibus quasi servi corripimur, ad emendationem & non ad perditionem nostram evenisse credamus. Et dixerunt illi Ozias & Presbyteri; omnia quæ locuta es, vera sunt & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio* *Iudith 8.* *1. Cor. 10.* *Num. 11.*

Vellesne tu illam reprehendere? Nonne tu igitur reprehensibilis es, si murmurare pergis! *Custodite ergo vos à murmuratione quæ non solum nihil prodest*, ut monet Sapiens, sed & valde nocet ut visum est, unde idem pergit; *& à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem quod mẽtitur, occidit animã.* Vide supra in Quadragesima, singulis pene hebdomadis & feriis. *Sap. 1.*

CONSIDERATIONES ET VERITATES COMMVNES OMNIBVS STATIBVS.

PRIMA CONSIDERATIO.

NON SINE DEO STATVM Esse deligendum.

Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, & os meum non interrogastis. Isaiæ 30.

VERITAS PRACTICA.

Præcipitatio animi in statu vitæ deligendo, præcipitium est animæ.

SENSVS est, quod qui sine Deo temerè statum vitæ præsentis eligit, timere debet ne statum eligat futuræ damnationis.

RATIO est, quia illi suo in statu timendum est in futuram vitam, qui statum exercet sine dulcedine & gratiis Dei.

Sed qui sine Deo temerè statum vitæ præsentis

eligit, statum exercet ordinariè sine ductu & gratiis Dei.

Ergo timere debet, ne statum eligat futuræ damnationis; sitq; animæ præcipitium illa præcipitatio animi, quo movetur in hoc vel illud vocationis genus, non ritè priùs consulto Deo.

I. PUNCTUM.

QUANTI sit momenti hæc consideratio vel ex hoc liquet, quod non modò totius vitæ præsentis sed & futuræ, necnon æternitatis operosum illud negotium agitur, cui uni operando creati sumus. Neque verò tantus est labor in cognoscendo & eligendo vitæ statu, si Deum consulas, quantum est periculum ne consulas, & quantum est damnum si statum eligas non consulto Deo. Quamobrem sic est formata veritas quæ consideranda proponitur, ut seriò apprehendas non esse quidquam statuendũ sine Deo, de statu vitæ præsentis; cùm sic alioquin statueretur de statu futuræ damnationis. Expende singulas propositiones quæ id declarant.

Prima est manifesta; quid enim speret is aut quid non timeat qui sine ductu & gratiis Dei statum exercet? An poterit aliquid boni sine Deo? aut si nihil boni præstet, an poterit rectè sperare salutem? an poterit non timere damnationem? Nonne à statu vitæ velut à certa vivendi regula, petenda est ratio totius boni quod agas, orationum, eleëmosynarum, jejuniorum; & similium bonorum operum, quæ ita dependent à proprio cujusque statu, ut in quo unus bene, male alius operari posset? Jam verò si status sit à Deo destitutus, neque eius ductus & gratia dirigatur, nonne velut distorta regula, quidquid ad eum dirigetur depravabit? Si radix est amara, quales erunt fructus? *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* si scaturigo luculenta, quales rivuli fluent? si nequam oculus fuerit, nonne etiam, quod aiebat Dominus, *corpus tuum tenebrosum erit? vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint; nam si tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt:* vide ne infausta illa in te cadant: *Væ eis quoniam recesserunt à me; sed & væ eis cùm recessero ab eis.*

Matth. 7.

Luc. 11.

Matth. 6. Osee 7. & 9.

II. PUNCTUM.

SED qui sine Deo temerè statum vitæ præsentis eligit, statum exercet ordinariè sine ductu & gratiis Dei.

Primò enim qui rem tanti momenti, qualis est electio status, sine Deo constituit, quæ minora sunt sine illo facile aggredietur, nec multum curabit ductum eius aut gratias quibus regatur. Illa illa libido quæ traxit animum ad talem vitæ statum, sic constanter inducet ad eum exercendum, ut vix ullo alio moveatur motu. *Proverbium est,* inquit Sapiens, *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. VNVSQVISQVE in viam suam declinavit.*

Pr. 2. Is. 53.

Deinde verò licet oraret, nonne hæc est ordinaria pœna peccatorum, ut eorum preces difficilius exaudiantur, cum præcipuè circa id orant in quo peccaverunt? Si peccatum quidem suum agnoscerent & de instaurando statu cogitarent, forsitan ignosceret Deus, ut alia meditatione videbitur; sed cùm suo in errore permanentes efflagitarent gratias ad illum statum exercendum quem noluit Deus, aut certè in quo eligendo non est consultus, vix eas obtinerent, & justè remitterentur ad illos quorum consilium potius quã Dei quæsierunt; *Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegent:* Nam si parentes filium, qui se inconsultis matrimonium cõtraxisset, jure privarent suis bonis, aut gratiâ quam illi aliobuin contulissent, none eodem & potiori jure Deus *filios illos substractionis* puniet, qui nec eo rogato nec consulto, in statum vitæ se injecarunt? *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis, & qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cùm consummaveris depredationem, depredaberis, cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris.*

Deut. 32.

Hebr 10.

Is. 33.

III. PUNCTUM.

SIC ergo est, quod qui sine Deo temerè statum vitæ præsentis eligit? timere debet, ne statum eligat futuræ damnationis.

Nam quicunque sit ille status, nisi Deus adsit, quis digne Deo poterit eum exercere? Quis sine Deo tutus, cùm etiam adjuvante Deo, tam multi sua culpa cadant? Quis porrò justius à Deo dici potest in statu exercendo deseri, quàm qui dum statum eligeret, Deum

Deum deseruit? Nonne illis jam pridem dictum, *dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos?* quantumcunq; sint illi prudentes, *peribit sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur. Væ qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos, & quis novit nos? perversa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutum contra frigulū cogitet & dicat opus factori suo, non fecisti me, & figmentum dicat fictori suo, non intelligis.*

2. Par. 24
Isa. 29.

Quamobrem id summopere præcavendum, & audiendus in primis Sapiens: *fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit. In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum.* Rursumque idem & apertius. *Cor boni consilii statue tecum, non est enim aliud pluris illo. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem Circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. LOQVERE Domine quia audit servus tuus. NOTAM fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, & doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terrā rectam propter nomē tuū: Domine vivificabis me in æquitate tua.*

Eccles. 32.
Ibid. 37.
1. Reg. 3.
Ps. 142.

De divina autem voluntate agnoscenda circa statum, vide plura in libris de Ordine, atque hîc in Meditatione vernacula.

CONSIDERATIO SECVNDA
DE NON DIFFERENDA STATUS
Seu Vocationis cognitæ acceptatione.

Non tardes convertiri ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccles. 5.

VERITAS PRACTICA.

Non evitat præcipitium sed mutat, qui ne nimis sit præceps, nimis est lentus.

RATIO est, quia præcipitium evitandum, de quo hic agitur, hoc est, ne quid in statu eligendo fiat contra vel præter voluntatem Dei.

Sed si nimis sis lentus vel ad inquirendam vel captandam divinam voluntatem, fieri poterit aliquid contra ipsam Dei voluntatem.

Ergo non evitat præcipitium sed mutat, qui, ne nimis sit præceps, nimis est lentus: ac propterea sicut tamdiu deliberandum est de vitæ statu donec cognoscatur Dei voluntas: sic eâ cognitâ, non est diutius dubitandum, nec differenda status acceptatio.

I. PUNCTUM.

QUÆ in omni negotio cavenda maximè sunt duo illa extrema, præcipitatio & tarditas: ea præcipuè sunt in statu vitæ deligendo evitanda. Neque minus periculi aut detrimenti est in uno extremorum quàm in alio, cùm ex utroque perinde, ni caveatur, periculum sit, ne quid præter aut contra Dei voluntatem fiat, quod est maximum in hac materia detrimentum. Quamobrem sicut antè provisum est, ne quid præcipites, ita modò ne differas: & eadem prorsus utriusque est ratio quæ à divina voluntate petitur, & in veritate proposita continetur.

Sic ergo habe, totum hoc negotium in hoc uno verti, ut voluntas Dei de nobis agnoscatur & fiat. Hæc una deliberandi causa, hæc una præcipitationis cavendæ ratio; hæc una est legitima ad illos responsio, qui temerè contra postulantes religiosum habitum, fremunt & obiiciunt, ubique & in unoquoque statu Deum posse coli, ac salutem æternam comparari; non est enim hoc aliter verum de unoquoque singulari, quàm si fuerit in suo statu, id est, in eo quem destinavit illi Deus. *Secundum propositum voluntatis suæ*, inquit Apostolus, *secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.*

Ephes. 1.

Cum

Cùm enim divina sapientia sic mundum regat per varios hominum status, ut videmus; providit ipsa, quem cuique statui popotissimùm applicaret, singulisque naturales dotes, talenta & gratias destinavit, quibus non in hac tantùm vita rite suum illud munus obirent ad quod vocati sunt, sed & æternam inde vitam ac beatitudinem promererentur. Sit verò aliquis qui temerè se in statum præcipitet non quem destinarat Deus, sed quem sua libido proposuit; illumne putas hominem tam certò suam salutem in hoc suo statu consecuturum quàm in illo alio cœlitùs destinato? Cave id putes, non quod status ille sit malus, sed quod non ille sit quē volebat Deus, & cui propterea suas gratias attexuerat, quarum præsidio servandus erat is, qui earum defectu peribit in alio statu quē
Pr. 17. nolebat Deus. *Velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.*

Id ergo planè pendet à prima illa Dei, quam Apostolus vocat, *Voluntate Bonitatis*, qua scilicet de unoquoq; benignè statuit non quidem absolutè sed conditione adjecta si
2. Thess. 1. velit, si consentiat, si cooperetur; *Oramus*, inquit, *semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis*; Tum enim demùm beatus is qui se illi primæ voluntati accommodet & totum conformet; si quis verò dissentiat & aliter de se suisque ordinet, nihil nisi distortum, inordinatum, confusum, & perturbatum expectet, quia non habet Deum provi-
Ier. 2. sorem & adjutorem, *quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prospe-*
Exodi 14. *rum in ea. NOLITE ascendere non est enim Dominus nobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris.*

Hæc est ergo ratio, cur sic deliberandum est ante statum, ne quid scilicet contra hunc divinum ordinem statuatur, unde in totam vitam atque ipsam etiam æternitatem perni-
Ps. 57. cies importaretur. *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa, furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Hæc si attentè perpendas, videbis quàm apta sint & congrua. Sed egregius est locus apud Isaiam, qui his opportunè accomodari posset: *Et vos*
Is. 65. *qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam & libatis super eam. Numerabo vos in gladio, & omnes cæde corruetis: pro eo quod vocavi & non respondistis: locutus sum & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ ego nolui, elegistis: Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: ecce servi mei comedent & vos esurietis.* Et quæ plura pergit in hunc sensum, quo declaratur tam male futurum iis, qui sine Deo statum vitæ eligunt, quam bene aliis.

II. PUNCTUM.

SED si nimis lentus vel ad inquirendam vel ad acceptandam divinam voluntatem, periculum est, ne quid fiat contra ipsam Dei voluntatē.

De inquirenda quantocyus divina voluntate satis per se patet & ex superiori consideratione manifestum relinquitur. Nunc verò de acceptanda sine dilatione quando cognoscitur: seu de fugienda tarditate in acceptando statu cognito, ne forte unquam acceptetur si nimis differas, secunda hæc propositio potissimùm est intelligenda. Ac primò quidem illa dilatio licet totum negotium non penitus destrueret, ita tamen displicet Deo, qui jubet statim dari quod noris dandum, neque in crastinum differri quod hodie possis, ut meritò timeri possit ne quid periculi & detrimenti ab ea dilatione proveniat. Sic e-
Eccles. 5. nim Sapiens postquam dixit: *Non tardes converti, ne differas*, statim addit, *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Secundò, minùs paratum indicat animum quàm par esset ad cultum Dei: quid enim nutas cùm noris quid velit Deus? hoc unum erat exquirendum, hoc unum in deliberationem venerat, quod cùm sit modò manifestū, quid est quod rursum deliberas? quid est quod
Eccles. 51. dubitas aut longius differs? *Quid adhuc retardis*, ait Dominus, *& quid dicitis in his*, quæ sunt scilicet tam manifesta ut non sit dubitandi locus!

Tertiò denique quod caput est, cùm nihil sit levius & inconstantius humana voluntate, hoc unum cunctationes illæ producunt, ut nihil tandem fiat, nihil eorum quæ deliberasti, aut quæ facta deliberatione statuisti; quod ex triplici capite provenit. Primo quidem ab inconstantia humana, quæ se facillimè diversas rapit in partes quando

sibi

Sap. 5. sibi relinquitur *fascinatio enim nugationis obscurat bona, & inconstantia cõcupiscentia transvertit sensum.* Deinde verò à dæmone, qui si deliberationem impedire non potuit, conatur effectum retardare & penitus detorquere, sub prætextu consilii certioris capiendi, vel aliqua etiam pietatis prætentâ causâ: *permitte me primum ire, & sepelire patrem meum* Ac tandem ipse Deus tali offensus mora & tarditate, hominem deserit, lumen ab intellectu subtrahit, affectum & voluntatem, & cogitationem & memoriam subvertit omnem. *Vocavi & renuistis, despexistis omne consilium meum! CONSILIVM Dei sprevernnt in semetipsos.* Unde postremò fit ut miseranda illa anima quò se vertat nesciat, ubique tenebras, ubique luctus, ubique damnum timet. *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescat, Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, omnis sapientia eorum devorata est.* O quam ille sapientius qui dicebat: *paratus sum & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

Matth. 8. Prov. 1. Luc. 7. Ps. 106. Ps. 118.

III. PUNCTUM.

NOn evitat ergo præcipitium sed mutat, *qui ne nimis sit præceps, nimis est lentus:* quandoquidem ex hac lentitudine & tarditate non minus est periculi, ne divina fiat voluntas in eligendo statu, quàm ex præcipitatione & inconsulta deliberatione. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit, idcirco permansit gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus.* Tum post multa inde futura damna, sic Propheta pergit *pavor & fovea & laqueus super te, ô habitator Moab, dicit Dominus. Qui fugerit à facie pavoris, cadet in foveam: & qui conscenderit de fovea, capietur laqueo.* Sic planè qui lentiores sunt: sic inopes redduntur consilii ut omnia timeant, & unum fugiendo periculum in aliud incidunt. Posset quidem differri exequutio propter justas causas, sed non acceptatio & præparatio animi ad exequendam Dei voluntatem, cùm perinde periculum sit ne unquam fiat, si sic retardetur, atque si non esset deliberatum de illa Dei voluntate cognoscenda.

Ier. 48.

Si sustinuero, inquit Job, id est, si tardavaro: *infernus domus mea est.* O quale verbum & quàm diligenter expendendum. Primò quidem intelligi potest de ipso loco tormentorum, qui certè tam timendus est, si non fiat Dei voluntas, quam certum est nullam esse salutem non facienti voluntatem Dei. Secundò domus, id est, mansio, status exterior vitæ, infernus est retardanti, & non facienti voluntatem Dei, nam omnia inordinata, ut dixi, confusa, susque deque versa, *Ibi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.* Tertiò, domus interior est conscientia, & est infernus ille inferior de quo David, *eruisti animam meam ex inferno inferiori,* talis verò domus est Cunctatori, cùm undique stimuletur & quibusdam dubiorum atque angorum aculeis constringatur. *Expectabam bona & venerunt mihi mala, præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ:* quia tu scilicet nimis expectasti. Hûc etiam atque etiam refer & revolve quod supra dictum est ex Propheta: *omnes in cade corruetis pro eo quod vocavi, & non respondistis, locutus sum & non audistis.* Nam si quis unquam in tumultu, vel in seditione aut repentinò casu pereat, ille est ordinariè, qui bonum distulit quod jam facere debuisset. Cave: *& Memor esto, quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quia monstratum est tibi.* Id est, decretum mortis, & infaustæ mortis, ni caveas. Ac tandem:

Iob 17. Ps. 85. Iob 30. Is. 65. Eccles. 18

Quo longius differs, difficultatem difficilius tolles.

Vide in 1. parte, Feriâ 2. hebdom. 4. post Epiphaniam.

CONSIDERATIO TERTIA.

QVO DIE SVSCIPITVR ADMINISTRAtio status, ut perfecte secundum Deum expleatur: vel quocunq; die, de officio rite administrando cogitetur.

Dicite Archippo, vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Coloss. 4.

VERITAS PRACTICA.

Sicut à Domino quærendum est officium: ita in officio quærendus est Dominus.

Sensus planior est, quod, quâ ratione probatur ministerium à Domino esse accipiendum, eâdem prorsus concluditur, ejus administrationem ad Dominum esse referendam.

Ratio est, quod ideirco præcipuè à Domino Deo ministerium est accipiendum, quia Dominus est, & sic Dominus vitæ nostræ agnosci debet & coli.

Sed hæc eadem ratio exigit, ut omnis administratio ad eum referatur.

Ergo æque est referenda: & sicut à Domino quærendus fuit status seu officium, sic in officio exercendo quærendus est Dominus; non vanus honor, non mundi gloria, non emolumentum proprium, aut quid terrenum simile.

I. PUNCTUM.

In Ps. 118. VEriſſime & apriſſimè S. Auguſtinus de omni negotio ac potiſſimum de officio ſuſcipiendo; *Magni*, inquit, *intereſt eùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione facimus. Officium quippe noſtrum non initio ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet non tantùm ſi bonum eſt, ſed præcipuè ſi bonum eſt propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur, quare facimus quid facimus, averti poſcit (David) ne videant vanitatem, id eſt, ne hanc attendat propter quam facit cum boni aliquid facit.* Et poſt multa de hac vanitate ſeu amore laudis humanæ ſic pergit: *Porrò ſi vanum eſt propter hominum laudes bona facere, quanto vanius propter adipiſcendam pecuniam, vel augendam ſive retinendam, & ſi quid hujuſmodi eſt commodi temporalis quod nobis accidit extrinſecus: propter ipſam denique temporalem ſalutem non debemus facere bona opera noſtra, ſed potius propter illam quam ſperamus æternam, ubi bono immutabili fruamur, quod eſt ipſe Deus.*

Ex quibus ſanctiſſimi Patris verbis collige, quod, niſi advertatur initio ſuſcipiendi muneris aut alterius boni operis faciendi, ſtatim adrepunt animos tres illi concupiſcentiæ naturalis motus, *Vanitas, Voluptas & Commoditas*, in iiſque tota intentio operis defigitur & depravatur. Quamobrem id maximopere præcavendum, & diſcendum hodie, quod ſi miniſterium à Domino eſt accipiendum, ejus quoque adminiſtratio prorſus ad ipſum eſt referenda. Eadem quippe eſt utriuſque ratio, ut attentè conſideranti patet. Quid eſt enim, quod à Domino miniſterium ſeu officium quodlibet ſit ſumendum, niſi quia Dominus ſic vitæ noſtræ Dominus agnoſci debet & coli? Nam cùm revera ſimus ejus ſervi & filii, atque noſtræ ſervitutis & obſervantiæ teſtimonia & notas proferre debeamus, quoties ſeſe occaſio dederit, & maximè quoties poſtularit, id autem poſtulet & ratio ſuadeat, ut in officio ſuſcipiendo, quod eſt tanti momenti ad reliquam vitam, ejus voluntatem & ordinationem ſpectemus; profectò iſta ſubjectio & dependentia denegari non debuit, cùm à filiis deferatur parentibus, & nos longè plura Deo quam filii progenitoribus debeamus. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creavit te?* Unde ſi quis huic tam debito deeſſet officio, tantam incurreret ingratitudinem ut in eam provocentur cœli & terra. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt: filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Deut. 32. Iſ. 1.

II. PUNCTUM.

SEd hæc ipſa ratio exigit, ut ad Deum omnis adminiſtratio noſtri officii referatur. Sic enim, verè Dominus vitæ noſtræ agnoſcetur, cum non modò præcipuam ſed ſingulas ejus partes in ejus obſequium impendemus; *Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum*, ajebat Job: ſic verè à nobis id exigit, ut, cùm nobis non ſimus nati, non nobis etiam laboremus & operemur, ſed ipſi à quo toti ſumus & pendemus, cui totum debemus quod ſumus, & cui totum poſtquam reddiderimus, *ſervi ſumus, quod debuimus facere, feci-mus.* Job 31. Luc. 17.

En omnes creaturas noſtro miniſterio deputat, quin & Angelos nobiliſſimas illas intelligentias, noſtræ ſalutis & incolumitatis adminiſtros ordinavit, ut ſic illi obſequi, noſque totos illius obſequio mancipare diſcere-

mus,

mus, quale id probrum esset non deferre Deo, quod creaturæ nobis non denegant ! Audi quid omnes loquantur apud Hugonem Victorinum ; *Vide homo, dicit mundus, quomodo amavit te qui propter te, fecit me : Servio tibi quia factus sum propter te, ut servias illi qui fecit & me & te : me propter te, & te propter se : si sentis beneficium, redde debitum ; si accipis benignitatem, redde charitatem.* Adde quod Creator ipse & Dominus plus tibi quodammodo *Act. 17.* servit quàm tu ipsi ? in ipso enim ita vivimus, movemur & sumus, ut sine ipso ne pedem, ne manum movere possimus ; sine ipso nihil *2. Cor. 3.* prorsus boni nec agere nec cogitare. *Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quid ergo non meretur ex quibuslibet ministerii & vitæ nostræ partibus, qui primus, & præcipuus ejus operator existit ? An verò aliquid ipse agat nisi propter se? Potestne Deus alium *Is. 48.* habere finem quàm seipsum ? *Propter me, propter me, faciam, & gloriam meam alteri non dabo. Ego ipse, ego primus, & ego novissimus.* Si autem nos cum ipso & ille nobiscum una eademque simul operatione convenimus, quid decentius, quid rationabilius, quam ut nos in idem una etiam eademque prorsus intentione coeamus ? ac proinde sicut ipse nihil quam se solum aut propter se alia, sic nos nihil aliud præter ipsum aut propter ipsum attendamus? *Nemo nostrum sibi vivit & nemo sibi* *Rom. 14.* *moritur*, ait Apostolus, *sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut mortuorum & vivorum dominetur.*

Admiranda planè verba & quæ propositionem nostram valde confirment, sive consideres quid fecit vivens Christus & quid meruit moriens; sive expendas illud, quod dicitur *ut vivorum dominetur sicut & mortuorum.* Videsne quomodo mortuorum dominantur ? quomodo toti sunt ejus, sive in cœlo, sive in purgatorio, sive etiam in inferno : nullibi enim aliter quam prout ipse ordinavit, sese prorsus quisquam mover: sic vivorum dominari posset si vellet; sed quia liberi sunt quamdiu vivunt, ideo non dominatur nisi velint, velle autem debent, quia sic meretur Domi- *Serm. 20.* nus: *& dignus est planè morte*, inquit S. Ber- *in Cant.* nardus, *qui tibi Domine Iesu recusat vivere, & mortuus est, & qui tibi non sapit desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est & nihil est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia, & qui vult esse sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia.* Quod & graviter S. Cyprianus, *ipse de servo tuo exigis servitutem & homo hominem tibi obedire compellis, & cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis ; nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus & nimius servitutis exactor flagellas, verberas, fame sitiq; frequenter & carcere affligis & crucias; & non agnoscis miser Dominum tuum, qui sic exerceas in homine dominatum!* *Contra Demetrid.*

III. PUNCTUM.

SIcut ergo *à Domino quærendum est officium, ita in officio quærendus est Dominus*: seu quod idem est, *qua ratione ministerium est à Domino accipiendum, eadem prorsus eius administratio est ad Dominum referenda* ; cùm ut est Dominus non modò in præcipua vitæ parte aut aliquo ministerii gradu sit à nobis colendus, sed in singulis quibusque partibus : adeo ut toti ejus & voluntate & effectu simus, sicut debito toti sumus. *Reddite quæ sunt Dei Deo, CORPVS, animam, voluntatem*, inquit S. Hila- *Matth. 22* rius ; *ab eo enim hæc profecta, atq; aucta retinemus : proinde condignum est ut ei totum reddant cui debere se recolunt & originem & profectum.*

Et certè quid prodesset tantopere deliberare in statu deligendo, si cùm statum accepimus & administramus, non Deum sed vanitatem, commoditatem aut quid aliud infimum quæreremus? Nonne propterea vel maximè cautio est adhibenda in electione status ne si Deum non consulamus, ut dictum est; ex vanitate, vel voluptate, aut aliis concupiscentiis in officium aliquod temere nos injiciamus, unde illa detrimenta quæ considerata sunt importarentur in totam vitam, imò in totam æternitatem ? Jam verò, esto elegeris qua par est religione & ratione statum tuum, nec quemquam acceptaris nisi quem putas velle Deum : quid te juvabit hæc electio aut devotio, si, dum administras statum, id administratione sequaris quod electione fugisti? Eligendo statum seu officium, cavebas concupiscentiam : & in exercendo pòst officio non times ipsam consectari ? Quale hoc portentum & crimen putas nisi prævaricato-

Gal. 2. rem te constituere, *cùm quæ destruxisti rursum ædificas?* Sic apertè Apostolus, qua de re supra fusissimè, & modò etiam saris, si quod idem
Ibid. 1. urget expendas: *Miror quod sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi.*

Nonne idem Deus & idem Dominus post electum & acceptatum statum atque in ipsa electione & acceptatione status? Nonne idem debitum servitutis tuæ, ut ne administres illum tuum statum nisi propter ipsum, sicut ne statum eligas nisi per ipsum? Nonne una & eadem ipsius voluntas est, ut ab eo pendeas, illique uni vivas sive in inchoando sive in producendo aut perficiendo quodlibet munere? An una pars vitæ & muneris illius est & non alia? Num locus aliquis ubi non sit præsens: aut tempus aliquod ubi non sit Deus & Dominus tuus? Cur ergo tu alius, cur tu à te in alium translatus, aut potius cur à Deo in teipsum male immutatus & perversus? Responde si vales, aut si non vales, cave sic interrogeris, *& Vide ministerium quod accepisti in* Coloss. 4. *Domino ut illud impleas*, nihil aliud in eo spectando quam quod ipse spectavit. Quidquid proponat mundus, quidquid suggerat concupiscentia, semper illud Prophetæ vigeat & prævaleat, qui postquam dixit: *Inimici hominis domestici ejus. Ego autem*, inquit, *ad Dominum* Mich. 7. *aspiciam, exspectabo Deum Salvatorem meum.* Tota de his est hebdomada 5. post Epiph. in 1. parte: ubi & vide quarto Januarii. Et in 3. parte, Feria 6. hebdomadæ nonæ. Necnon suprà Die 24. Februarii.

CONSIDERATIO QVARTA.
DE ORDINANDO STATV, SI FORTE sit inordinatus.

Scrutemur vias nostras, & quæramus & revertamur ad Dominum. Thren. 3.

VERITAS PRACTICA.

Revocanti hominem Deo ab errore viæ suæ, non obsequi pejus est, quàm primò vocantem ne erraret, non sequi.

Ratio est, quia quod majori Dei bonitati opponitur, illud censendum est pejus.
Sed major est bonitas Dei, revocare errantem quàm primò vocare ne erret.
Ergo tanto pejus est non illi obsequi.

I. PUNCTUM.

INordinatum statum hîc dicimus, qui contra vel præter ordinem & dispositionem Dei est susceptus, uno ex his tribus modis. Primus cùm nullo modo consultus est Deus, sed humano tantum consilio de re deliberatū est, unde acciderit alium forte statum fuisse electum quem noluisset Deus: *Quæ nolui, elegerunt.* Isa. 66. Secundus, cùm in suscipiendo statu aliqua injustitia intervenit, ut sunt contractus dolosi, simoniæ, fraudes, circumventiones, fallaciæ circa ætatem, capacitatem & similia de quibus dicitur: *Non est veritas non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, propter hoc lugebit terra.* Oseæ 4. Tertius, cùm sola vel ambitione, vel terrenæ cōmoditatis respectu, aut sensualis delectationis motu res tota transacta est, *concupierūt concupiscentiam.* Sicut enim terrena & humana vacatio bono & laudabili fine suscepta, laudem meretur & merito salutis æternæ deservit, sic etiam Ecclesiastica licet & spiritualis, si vitiosâ & culpabili intentione assumatur, inordinata est. Sic expresè S. Augustinus, *finis quò referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus quidquid facimus, si non solùm inculpabilis sed etiam laudabilis fuerit, tunc etiam* L. 2. de Morib. Manich. *facta nostra, laude aliqua digna sunt: sin ille meritò culpatur, quem spectamus & intuemur cum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitaverit.* Quomodò verò status sic inordinatus ordinari potest, dicetur aptius tertio puncto, postquam animus ad debitum ordinem revocandum exarserit consideratione veritatis propositæ. Sic igitur habe & diligenter

genter expende, *Quòd revocanti hominem Deo ab errore viæ suæ, sive ab inordinato statu, pejus est non obsequi quàm primò vocantem, ne aliquo ex tribus dictis modis erraret, non sequi.*

Ratio est evidens, quia quod majori Dei bonitati opponitur, illud censendum est pejus. Cùm enim malum sit oppositio, quæ dicitur privativa, boni; certè quo bonum illud est melius, eò pejor est etiam ejus privatio. Et licet omne peccatum opponatur bonitati divinæ, atque ex ea parte sit grave malum, quia tamen bonitas illa major ac major apparet in nonnullis casibus, tunc humana malitia, quæ illi resistit, eo pejor censenda est quo bonitas major. Sic peccata in Spiritum sanctum, id est, in divinam bonitatem idcirco graviora dicuntur aliis & eorum remissio longè difficilior. *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? DURA cervice & incircumcisis cordibus & auribus vos semper spiritui sancto resistitis! NON habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

Matt. 20.
Act. 7.
Marci 3.

II. PUNCTUM.

SEd major est bonitas Dei, revocare errantem quàm primò vocare, ne erret.

Certè magna est bonitas primò vocare, prævenire, mentes excitare, *Si quis est parvulus, veniat ad me. BONITATEM fecisti cum servo tuo.* Sed longè major apparet illa bonitas quando jam semel aut pluries contempta fuit, quando jam vocanti est illi opposita via, quando jam status prælectus, quando jam statuta vitæ degendæ ratio: quando jam *notum fecit nobis Sacramentum voluntatis suæ*, ut vocat Apostolus, & nos nulla ejus ratione habita, *facientes voluntatem carnis & cogitationem*, nos tamen requirit, & revocat, *Redite ad cor, convertimini filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester*: Ah tùm certè, *divitiæ sunt & thesauri bonitatis*

Pr. 9.
Ps. 118.
Ephes. 1.
Ier. 3.
Sap. 12.

O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus, ideoque eos, qui exerrant corripis, & de quibus peccant, admones, ut relicta malitia credant in te Domine! Videsne hanc potissimum à Sapiente poni notam bonitatis divinæ, quòd errantes requirat & corripiat? sic agnoscebat sanctus Augustinus: *Tu Domine licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen es in operibus pietatis Si pœniteo, parcis: si revertor, suscipis: dum differo, præstolaris: revocas errantem: invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem.* Hoc est certè mirum! Vel tam bonum esse patrem erga tam malos filios: vel tam malos esse filios, erga tam bonum patrem.

III. PUNCTUM.

SIc igitur revocanti hominem Deo, ab errore viæ suæ, non obsequi pejus est, quàm primò vocantem, ne erraret, non sequi. Quia major est bonitas Dei sic revocare hominem: & major est malitia hominis sic majori Dei bonitati resistere. Quod utrumque Jeremias luculentè describit; *Tu autem forni.ata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & suscipiam te. Ergo saltem amodò voca me: pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Nunquid vidisti quæ fecit aversatrix Israël? abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi. Et dixi: cùm fecisset hæc omnia, ad me revertere, & non est reversa.* Quasi diceret, in hoc apparet maximè ejus malitia, quòd non reversa sit, sicut apparebat mea bonitas cùm illam revocarem.

Ier. 3.

Sic paucis sanctus Anselmus contra induratos, quos ipso dæmone pejores esse sic ostendit à bonitate divina cui resistunt: *Diabolus persistit in malitia, Deo reprobante; ego verò Deo revocante. Ille obduratur ad puntentem, ego ad blandientem. Etsi uterque contra Deum, ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me. Ecce cujus imaginem horream, aspicio in me horribiliorem.* Potestne aliquid pejus & deterius cogitari? potestne verò aliquid melius & opportunius repræsentari ad ordinandum statum si fortè sit inordinatus, quàm hæc mali extremitas, quæ vel incurrenda est, vel ordinandus status cum gratia quæ se offert in hunc finem?

Legenda essent quæ fusius habentur in libris de ordine de hac materia, sic verò paucis triplex inordinatio de qua primo puncto dictum est, ordinari potest. Primò si in eligendo statu Deum omnino non consuluisti, agnosce culpam, agnosce supremum ejus dominium, cui hoc erat deferendum ut rem tàti momenti non aggredereris sine ejus consilio & nutu. Subjice te illi in hoc ipso tuo statu. Et quidem si deponi potest, ostende te ad id paratum si noris Deum ita velle: aut si

deponi non potest, depone saltem illam libertatem qua es abusus, ut inconsulto Deo illum eligeres & exerceres. Non ita deinceps, non ita ut voluisti, sed purè & nudè ut vult Deus cujus voluntas agnoscitur, & colitur in illa necessitate seu impossibilitate mutandi statu. Quod enim aliter fieri non potest, ad Deum referri debet; & dum ex necessitate fiet virtus, fiet ejus voluntas, & jam ordinatus erit status quando sic eum ex ejus voluntate nec aliter exercebit. Sic aptè sanctus Bernardus cuidam inordinato suadet ut dicat, *malè quidem egi sed factum est, & jam non potest non fieri; quis scit si hoc mihi Deus expedire providerit, & de malo meo ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit. Malum ergo puniat quod ego feci, bonum autem maneat quod ipse providit. Nostris quippe inordinatis seu voluntatibus seu actionibus novit bonitas Dei uti, semper quidem rectè in sui ordinis pulchritudinem, sæpè etiam piè in nostram utilitatem.* Ep. 87.

Secundò, si quo contra justitiam peccatum est, reparetur quo efficaciore fieri potest modo, apud Deum & homines. *Nihil agas in operibus injustitiæ. ATTENDITE ab omni iniquo.* Eccles. 10. & 17.

Tertiò denique corrigantur pravæ illæ intentiones ex concupiscentiis ortæ, & reipsa assumantur rectæ & puræ, sicut supra dictum est secundùm Dei voluntatem, ut quod intendit Deus ita planè fiat. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. COGITAVI vias meas & converti pedes meos in testimonia tua.* Sic cogita, sic statue, sic converte pravos affectus tuos, & statum ordinasti. O facilitatem divinæ bonitatis, ô pervicaciam humanæ mentis, si tantæ bonitati se rursum opponit! *Ecce ego quia vocasti me. Ecce ego quia vocasti me.* Vide in fine 3. partis, de Renovatione: de qua est & illa Veritas in 1. parte, die 7. Januarii. Is. 58. Ps. 118. 1. Reg. 3.

Non aliud sed aliter.

CONSIDERATIO QVINTA.

IN PONTIFICIS AUGURATIONE seu Consecratione.

Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret. Hebr. 5.

VERITAS PRACTICA.

Dum consecratur Pontifex sic affectus esse debet, ut omnes affectus habeat consecratos.

Ratio hæc est inter alias, quia sic affectus & dispositus esse debet Pontifex dum consecratur, ut tunc puram & rectam intentionem habeat.

Sed nisi omnes affectus suos habeat consecratos, tunc actu puram & rectam intentionem non haberet.

Ergo sic affectus esse debet dum consecratur, ut omnes affectus habeat consecratos & puros, sicut ipsam intentionem. Quod certè rarum est nisi diligenter advertatur.

I. PUNCTUM.

Hodiè incipiam exaltare te, coram omni Israël. Sic deus Pontifici consecrando, quod olim Josue. Nam quantacunque nobilitate, scientia, vel authoritate, vel cæteris animi, fortunæve donis sit commendatus Pontifex, nulla re tamen ita exaltatur atque Pontificia dignitate, qui est supremus Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus. Et hæc quidem exaltatio tanta est, ut Pontifici non sit parum timendum & cavendum ne hinc animo nimis exaltetur, & ne fortè exultet in superbiis suis illa exultatione, quæ à sancto Jacobo *maligna* dicitur. Josue 3. Iac. 4.

Quamobrem audiat Sapientem; *Ne in die honoris tui extollaris*: audiat Apostolum, *Christus non clarificavit semetipsum ut fieret Pontifex*: audiat Veritatem sibi propositam: *Dum consecratur Pontifex sic affectus esse debet, ut omnes suos affectus habeat consecratos.* Audiat denique & expendat rationem, quæ inter plures alias modò affertur. Quia dum consecratur, tunc quantùm fieri poterit cum gratia puram & rectam debet habere intentionem, Eccles. 11.

quam

quam habere non poterit nisi suos omnes affectus habeat consecratos & puros. Hoc itaque primò præmittendum & declarandum est, quàm sit Pontifici necessaria in ipso consecrationis actu, pura & recta intentio, non modò ut consecretur in Pontificem, sed ut consecretur Pontifex in illum sanctum finem, qui à Christo prætenditur.

Certè, si nulla unquam humana actio privari suo recto debito fine debet, quantò minus ista qua consecratur Pontifex, quæ cùm sit excellentissima, tantò dolentius deploranda esset ejus jactura meriti, quæ à defectu finis & intentionis incurreretur. *Non defraudeberis à die bono.* Eccles. 14.

Adde, quod cùm sit prima quædam actio, unde multæ in reliquam vitam & in suo genere multum excellentes pendent, velut à fonte rivi aut à radice rami: profectò quanti refert rivos esse puros, & ramos virentes ac fructuosos, tanti planè interest præcipuam fontis & radicis habere rationem. Rectè enim sanctus Gregorius: *omne quod in actione sequitur, eò purum mundumque non exit, quo hac ab origine perturbatur.* 5. Mor. 17.

Quod quidem in hac præcipuè actione tantò magis timendum est, & tantò magis procurandum ut reipsa, actu pura & recta sit intentio, quantò ex hujus actionis objecto natura prona est & facilis sibi pravos fines statuere. Quodnam est hujus actionis seu consecrationis objectum in quo naturalis defigi solet obtutus? Nonne est ipsa Pontificia dignitas? At nonne in hac dignitate omnia insunt, quæ naturam depravatam commovere possint ad depravandum actionis finem? Dic enim quænam illa sunt quæ solent finem in nostris corrumpere & depravare operibus? Nonne hæc sunt, honor, commoditas seu facultas, deliciæ, authoritas, ministrantium turba, & similes concupiscentiæ naturalis fomites atque illecebræ, At nonne illa omnia in dignitate Pontificia reperiuntur? nonne illa ob oculos facillimè obversantur? nonne placent? nonne alliciunt? nonne blandiuntur, & ita mentem naturaliter occupant, ut, nisi oculi avertantur ab hac vanitate, vanitas excæcet oculos & finem actionis planè depravet? At verò cujus est ab hac vanitate oculos avertere, nisi puræ cum Dei gratia intentionis? Aut quomodo pura hæc intentio talem cohibebit vanitatem, nisi actu & reipsa tùm formetur, tùm purificetur, tùm dominetur intentio, cùm alioquin pravum & distortum sibi natura corrupta proponeret finem & omnem corrumperet actionem?

Aptè rursum sanctus Gregorius ad illa Domini verba; *Lucerna corporis tui est oculus tuus:* QVID *per oculum, inquit, exprimitur, nisi opus* Matth. 6. *suum præveniens cordis intentio? quæ priusquam* L. 28. *se in actione exerceat, hoc jam quod appetit con-* Mor. c. 13. *templatur.* Notanda valde verba, quibus manifestè ostenditur, quod, sicut in proprio pontificiæ dignitatis exercitio, multa sunt quæ naturali appetuntur affectu, sic in prima dignitatis susceptione, illa ipsa sese repræsentant, quæ amantur, & quorum intuitu fuscatur oculus, nisi diligenter advigiler. Unde infert sanctus Doctor: *Vigilanti igitur cura intentio nostra pensanda est, ut nihil temporale appetat, tota se in soliditate æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra dehiscente solvatur.* Tum pergens in explanando textu libri Job ad illa verba, *super quo bases illius solidatæ sunt:* BASES, in- Iob. 38. quit, *uniuscujusque sunt animæ, intentiones sua. Nam sicut fabrica columnis, columna autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est, fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus; tunc bases in fundamento sunt, cùm intentiones nostræ in Christo roborantur. Incassùm verò alta super se bases ædificia erigunt, si non ipsa in fundamento solidatæ consistunt: tantòque graviora ruinæ super se damna ædificant, quantò altiora ædificia extra fundamentum portant.*

O verba, verba nunquam satis ponderata: quasi diceret, cùm Prælatura sit altissima dignitas, si absque pura intentione quæ est ejus fundamentum, suscipitur, nihil aliud expectari potest quàm ingens ea ruina, quæ accideret excelso ædificio male fundato. Unde tandem concludit: *Non ergo pensandum est, bases quid sustinent, sed ubi sustinentur, quia profectò humana corda divinitus perscrutantur, non solum quid faciunt sed quid in operibus quærunt.*

II. PUNCTUM.

SEd nisi suos omnes affectus consecratos & puros haberet Pontifex dum consecratur, tunc actu puram & rectam intentionem non haberet.

Cura-

Cùm enim puritas intentionis, ut dictum est, in eo sita sit, ut purè Deum spectet, aut si quid aliud spectetur, purè referatur ad Deum, nec ut in se appetibile est, appetatur: profectò hinc apertè patet tam puros debere esse affectus, quàm ipsam intentionem, quæ nihil aliud videtur esse quàm ipsa interni affectus
Ps. 38. expressio & efformatio. *Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus? & substantia mea apud te est.* Neque aliter ullo modo intelligi potest, quod quis in uno actu vel objecto purè velit placere Deo, nisi simul intelligatur nihil in ejus animo esse contra eundem actum vel objectum, quod hanc voluntatem placendi Deo violet & corrumpat: tunc enim sibi contradiceret & mentiretur & Deum irrideret. Nisi verò sint puri affectus Prælati, dum consecratur, erit aliquid quod opponatur illi voluntati quam præ se fert placendi Deo, erunt impuri & inordinati affectus circa honores mundi, circa commoditates, blanditias, aut quidquid simile palpat & detinet animum: qui quidem affectus tam directè pugnant cum pura intentione seu voluntate serviendi & placendi Deo, quàm impuritas cum puritate, quàm caro cum spiritu, quàm natura corrupta cum gratia. *Quæ enim*
2. Cor. 6. *participatio justitiæ cum iniquitate! aut quæ so-*
Iac. 3. *cietas luci ad tenebras! NVNQVID fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest ficus uvas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa dulcem potest facere aquam*, ait sanctus Jacobus: perinde ac si diceret, non potest impuritas cordis puram facere intentionem; pura intentio est charitas,
1. Tim. 1. *& charitas est de corde puro & conscientia bona,*
Matt. 23. *& fide non ficta. MVNDA prius quod intus est, ut fiat id quod deforis est mundum. COR mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: VIDE ordinem*, inquit
Ps. 50. sanctus Gregorius, *primò cor mundum, deinde spiritum rectum. Prius enim abrenuntiandum est tibi, omni peccato, & omnis à corde vitiorum fœditas eliminanda, ut omne quod agitur aut dicitur, eò purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bonæ intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum quod in ipsa origine fuerit vitiatum? scriptum est enim, bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.*

III. PUNCTUM.

DVm ergo consecratur Pontifex, sic affectus esse debet & dispositus, ut omnes suos affectus consecratos & puros habeat; Quia tum puram actu debet habere intentionem serviendi & placendi Deo, quam non potest omnino talem habere si simul haberet impuros sibi placendi & sua conquirendi affectus. Unde tam puri sint necesse est cordis affectus, quàm puram habere voluerit mentis intentionem. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt*, inquit Matth. 15.
hoc sensu Dominus, ut quæ procedunt de ore, sint tam pura aut impura coram Deo, quàm purum aut impurum cor erit. Quidquid dicas, *cor intuetur Deus.* Et sicut intentio pla- 1. Reg. 16.
cendi Deo, quam debet habere Pontifex, non est tantum pro tempore quo consecratur, sed quamdiu erit Pontifex in omnibus obeundi sui muneris partibus: ita puritas affectuum, quam simul habere debet, non est pro illo tantum actu consecrationis, sed pro reliquis vitæ actibus, & his præsertim quos in sancto suo ministerio exercebit. Nempe ut non se quærat in illis, sed Christum: non sua, sed suorum salutem: non suam sed Domini sui gloriam. Nam ut aptè ait sanctus Augustinus; *Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas* Tract. 123.
velint esse non Christi, se convincuntur amare in Ioan.
non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate: non obediendi, & proximo subveniendi, & Deo placendi charitate. In quibus sancti Patris verbis adverte pravos affectus, qui *gloriandi vel dominandi vel acquirendi cupiditate* comprehenduntur, sic opponi puræ intentioni, quæ *obediendi & proximo subveniendi & Deo placendi, charitate* exprimitur, ut nisi pravi illi affectus purificentur & consecrentur, pura non possit esse intentio.

Quod idem alibi sanctus Doctor ex ipso Episcopi ethymo seu nomine, graviter & luculenter confirmat: *In actione*, inquit, *non a-* L. 9. de Ci-
mandus est honor in hac vita, sive potentia, quo- vit. Dei,
niam omnia vana sub sole, sed opus ipsum quod c. 19.
per eundem honorem vel potentiam fit, sit rectè atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum quæ secundùm Deum est. Propter quod ait Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis non honoris. Græcum est enim atq; inde ductum vocabulum,

quod

quod ille qui præficietur, ei quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens; ἐπι quippe super, σκόπος verò intentio est: ergo ἐπισκοπεῖν si velimus latinè, superintendere possumus dicere: ut intelligat, non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.

1. p. Past. c. 8. Sic conformiter sanctus Gregorius: *Plerumque qui præesse concupiscunt ad usum suæ libidinis, instrumentum Apostolici sermonis accipiunt. quo ait: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cùm repente subjungit: oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse; ac si apertè dicat: laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis, ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tantò fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quantò & à cunctis conspici in honoris arce festinatis.*

CONSIDERATIO SEXTA.

QUO DIE SACER ORDO SUSCIPITUR.

Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Levit. 11.

VERITAS PRACTICA.

In qua sanctitate ordinandus debet esse, debet ordinatus semper esse.

Sensus non est de præciso gradu sanctitatis, sed de ipsa, quam vocant, essentiali sanctitate, quæ tam necessaria est ordinato, quàm ordinando.

Ratio petitur à dignitate sacri ordinis quæ tanta est, ut non debeat suscipi nisi in aliqua sanctitate.

Sed hæc eadem ratio seu consideratio dignitatis valet, ut in illa sanctitate saltem essentiali sit semper ordinatus, in qua est ordinandus.

Ergo indubitata veritas, ut in qua sanctitate ordinandus debet esse, sic debeat ordinatus semper esse.

I. PUNCTUM.

1. Pet. 1. LIcet ad omnes Christianos hæc verba Levitici de sanctitate transferat sanctus Petrus; tamen quia primò dicta sunt ad Levitas seu Sacerdotes, his etiam maximè competunt, & his præsertim incumbit sanctitatem excolere, *incensum enim Domini & panes* Levit. 21. *Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.* Unde sanctus Chrysostomus, *Necesse est*, inquit, *sacerdotem sic esse puerum, ut si in ipsis cœlis collocatus,* In libris de Sacerd. *inter cœlestes illas virtutes medius staret.*

Sanctitas porrò in tribus præcipuè consistit, quæ ordinandi solent afferre ad sacros ordines; Primum est gratia sanctificans, nempe extra statum peccati mortalis sint, & idei eo ante confitentur. Secundum, castitas quæ dicitur sanctimonia, quia scilicet retrahit ab his cupiditatibus, quæ immundam faciunt animam, & hujus votum implicitum & tacitum faciunt, quotquot sacris ordinibus initiantur.

Tertium denique, devotio seu devotæ mentis oblatio, quam præ se ferunt ordinandi ad specialem cultum & ministerium Dei. Sic ergo sancti sunt cùm ordinantur; sed ut constanter sic sancti permaneant, admonentur verbo Dei, & veritate proposita, quæ sic declarata, diu multumque debet expendi.

Ratio cur sanctitas requiratur ad suscipiendos sacros ordines hæc est præcipua, quòd tanta sit dignitas & meritum Sacramenti Ordinis, ut non aliter quàm in sanctitate, id est, in tribus illis quæ dicta sunt, suscipi debeat. Confertur enim in illo Sacramento character indelebilis, & potestas ex se perpetua, circa corpus Christi reale & mysticum, id est, circa sanctissimam Eucharistiam, quæ est verum & reale corpus Christi, cujus consecrandi facultatem sacerdotes habent; & circa fideles Ecclesiæ, quæ est mysticum ejus corpus, quorum peccata retinendi & remittendi potestatem accipiunt. quæ certè dignitas patet quàm sit eminens quàm cœlestis quàm divina, & qualis ipsius Christi Domini Salvatoris cujus ministri sunt Sacerdotes in tam sacris & tremendis mysteriis.

Ac proinde sicut ille sanctus est & illi sancti sint; nam cùm arctiorem quandam simul affinitatem contrahant, simulque uniantur

ut per modum unius Sacramenta conficiant; profectò ad istam unionem & ad operationem tam sanctam, qualis est Sacramentorum Eucharistiæ & pœnitentiæ confectio, non potest non magna requiri sanctitas. Etenim si ad suscipiendam legem in tabulis scriptam
Exodi 19. jussi sunt Israëlitæ per triduum variis pietatis officiis & virtutum exercitationibus sanctificare se & præparare; quantò magis ad suscipiendum illud Sacramentum, quo ad alia etiam angustiora potestas confertur? ô dignitatem ipsis Angelis superiorem! ô sanctitatem ipsis etiam beatis spiritibus majorem si fieri posset, exoptandam! At saltem qualis afferri potest, non negligatur.

II. PUNCTUM.

Sed hæc eadem ratio dignitatis valet, ut in illa saltem essentiali sanctitate sit semper ordinatus, in qua est ordinandus.

Facilè enim conceditur afferendam esse sanctitatem, & vix ullus est ordinandus, qui non ita sanctus accedat; verùm an ita perieveret, aut sibi etiam persuadeat ita perseverandum esse, dubium facit tanta peccandi facilitas, quæ in ordinatis cernitur, perinde ac si nulla post ordinationem seu consecrationem religione tenerentur. *Polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam; inter pollutum & mundum non intellexerunt.* At verò contra tùm maximè, aut certè tùm ex æquo sancti sint necesse est, aut omnino nunquam necesse est; nam si, ut dictum est, tenentur ordinandi ad sanctitatem propter divinam illam gratiam & potestatem, quâ novam affinitatem & unionem cum Christo Domino contrahunt; cur non ordinati ad eandem sanctitatem tenebuntur, cùm eadem potestas eademque affinitas semper maneat, sintque semper velut alii Christi
Ps. 104. de quibus dicit Dominus, *Nolite tangere Chri-*
Zach. 2. *stos meos, QVI tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Esto non sit novum & distinctum peccatum quòd in peccato sint, sicut distinctum peccatum esset si in peccato susciperent ordinem, nisi cùm in peccato etiam suum illum ordinem seu ministerium exercerent: non desinit tamen eadem obligatio peccati evitandi seu sanctitatis conservandæ, quòd eadem ipsa obligationis ratio manifestè valeat æquè post atque ante ordinationem, sive ante susceptum ordinem. *Audite me Lævitæ & sanctificamini, mundate domum Domini, au-* 2. Par. 29.
ferte omnem immunditiam de sanctuario. Nam Eccles. 34.
ab immundo quid mundabitur?

III. PUNCTUM.

IN qua ergo Sanctitate ordinandus esse debet, debet ordinatus semper esse. Quia eadem ratio dignitatis, quæ in sacro est ordine, sanctitatem ex æquo requirit, sive dum ordinatur sacerdos, sive dum ordinatus est. *Mundamini* Is. 52.
qui affertis vasa Domini; quantò magis qui ejus vasa Domini. Et cùm multa ex sacra Scriptura, ex sacris Conciliis, ex Decretis, ex Patribus & ex ratione sint, unde se ad eam munditiem & sanctitatem excitare possint & debeant cum divina gratia; tum verò ex seipsis hoc motivum sumant, cogitando quales primò accesserint ordinandi; quænam eos ratio sic movebat ad dignè accedendum, nùm eadem modò æquè & magis valeat? An pro ipso tantum tempore quo erant consecrandi sive ordinandi, sanctitatem assumpserant, an pro reliquo vitæ spatio? Respondeant neque dissimulent; si primùm dicunt: sanctitatis fictio est & simulatio, de qua severè Sapiens: *Ne sis incredibilis timori Domini, & ne accesseris* Eccles. 1.
ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet Deus abscondita tua, & in medio synagogæ elidat te: quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia. Si secundum respondent, cur datam fidem violant? cur infideles se & perfidos Christo faciunt? *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu verò homo unanimis, dux* Ps. 54.
meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Quod si timebant novum peccatum suscipiendo sacrum ordinem in peccato, cur non etiam novum timeant, peccando in ordine, vel contra votum castitatis, quod infert duplex peccatum, vel contra quidvis aliud quod infert scandalum, vel quoquo modo peccetur à sacerdote, tantò semper videtur peccati gravius, quantò magis videbatur, minus esse peccandum. Hinc aptè sanctus Hieronymus: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis* In c. 43. Ezech.

ruina

ruina eorum si peccent: letemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimiori corruisse.

3. Reg. c. 2. Sanctus quoque Gregorius: *Hinc quoque scriptum est per Prophetam: Laqueus ruina populi mei, sacerdotes mali. Hinc rursus de sacerdotibus malis per Prophetam Dominus dicit: Facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet delinquentem. Namque hunc nemo reddarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam solicita cordis aure pensarent, qua ait: qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, melius erat ei ut ligaretur mola asinaria in collo ejus, & projiceretur in profundum maris. Per molam quippe asinariam, secularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, & per profundum maris, extrema damnatio designatur.*

CONSIDERATIO SEPTIMA.

QUO DIE PRIMUM SACRUM Sacerdos offert.

Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom. 12.

VERITAS PRACTICA.

Sacerdos sic cum Christo sacrificet, ut sit ipse sicut Christus, sacrificans & sacrificium.

Ratio est, quia Sacerdos in ratione ministerii sui, debet se Christo similem reddere, quantum quidem potest cum gratia.

Sed potest esse cum Christo simul sacrificium, sicut tùm ipse est sacrificans, nec potest melius illum assimilare quàm si cum Christo sic sacrificet.

Ergo sic cum Christo sacrificet, ut sit ipse sicut Christus sacrificans & sacrificium.

I. PUNCTUM.

Quanta dignum præparatione sit illud divinum opus, quod Sacerdos aggreditur, res ipsa loquitur; sed in quo potissimum consistat illa præparatio non ita forte liquet. Hæc certè inter alias aptissima videbitur accuratè meditanti, si Sacerdos sic se aptet cum gratia, faciendo sacro, ut sit ipse sicut Christus sacrificans & sacrificium. Ratio similitudinis fundatur in ratione ministerii & præsertim illius sacro-sancti quod missa dicitur, & quod, cùm indivisim à Christo & à Sacerdote simul exerceatur, debet Sacerdos quantum quidem potest cum gratia se Christo similem reddere

Idcirco præcipuè Sacerdotes dicuntur filii Dei; *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Quia videlicet, ut ait sanctus Basilius in hunc versum, *Vero Dei Filio similes esse debent, qui solus potuit acceptum Patri offerre sacrificium, & qui Sacerdotes instituit ut idem secum sacrificium jugiter continuarent usque ad finem sæculi.* Quapropter Sacerdos ille Dei summi Melchisedech singulariter ab Apostolo dicitur, *assimilatus Filio Dei*, quia præter cæteros Sacerdotes, qui Christum præcesserunt, præcipuam cum Christo retulit similitudinem. At verò quænam erat illa similitudo? quænam illa erant in quibus similes extiterunt? Hoc est valde observandum, non enim propterea tantum Melchisedech dicitur similis filio Dei, quòd panem & vinum obtulit sicut Christus, sed ob multas alias convenientias quæ ab Apostolo memorantur, ut videlicet intelligant Evangelici Sacerdotes sibi satis non esse ad hanc similitudinem cum Christo exhibendam, si duntaxat cum Christo sacrificent in altari: sed quàm ultra potest extendi similitudo, tantum eniti debeant cum gratia, ut nihil omittant, quo minus hanc similitudinem plenè assequantur.

Ps. 28.

Hebr. 7.

Et certè cùm tantæ dignitatis sit sacrum illud munus quod obeunt Sacerdotes, dum missam celebrant, quid tandem satis dignum

& satis conveniens tanto muneri facere poterunt? At saltem quod possunt non omittant: ut si quid desit, sit potius potestatis defectus, quàm voluntatis. Nonne id æquum?

2. Macch. 1. Nonne ita sentis? Nonne velles posse plura? at illa saltem quæ potes, ut ex iis sis, *qui corde magno & volenti animo Deum colunt, suasque illi primitias mente promptissima atque devota offerunt.*

Exodi 35.

II. PUNCTUM.

Sed Sacerdos potest esse cum Christo simul sacrificium, sicut cum ipso est sacrificans, nec potest melius illum assimilare, quàm si se cum Christo sic sacrificet.

Cogitandum hìc primò quid sit se sacrificare cum Christo, nempe sibi suisque omnibus inordinatis affectibus velle mori, adeo ut sicut panis in corpus Christi, & vinum in sanguinem convertuntur, aut sicut ipse Christus Dominus se totum immolat; ita planè Sacerdos quantùm ad vitam sensualem & animalem totus immoletur, ut jam non desideriis & ductu naturæ corruptæ moveatur, sed rationis & gratiæ divino motu. Sic sanctus Paulinus illud divi Apostoli explicans, *In carne non estis, sed in spiritu: CARO*, inquit,

Ep. 4. Hom. 6. *transit in spiritum non substantiæ commutatione sed vitæ:* quasi diceret, in hoc est sacrificium carnis, non ut caro mutetur in spiritum, sed carnalis vita in spiritualem.

Et ne putet Sacerdos id esse novum aliquid & nimis sublime, perpendat quod ipse orans in altari dicet, expansis supra Calicem manibus: *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus, acceptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris;* quid est *rationabilem*

3. p. q. 83. a. 4. ad 7. esse oblationem? respondet sanctus Thomas, *id esse per quam à bestiali sensu exuamur: illudque ipsum quod Apostolus omnibus Christianis commendat, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile*

Rom. 12. *obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Et rursum: *Mundemus nos ab*

2. Cor. 7. *omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini.* Hoc est

1. Pet. 2. seipsum immolare: hoc est sacerdotium sanctum, hoc est *offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum*, sicut ait sanctus Petrus; hoc est quod tam facilè possumus cum gratia, quàm peccatum evitare: cùm in eo perfectè evitando tota sit praxis & executio hujus spiritualis sacrificii.

Sed quod est præcipuè considerandum, nihil restat ex nostra parte quò propius ad hanc Christi similitudinem accedamus; nam præterquam quod ista immolatio, virtutem omnem, atque universam sanctitatem, qua Christo similes reddimur, comprehendit; hoc insuper singulare habet, ut in materia subjecta seu in re de qua est quæstio, similitudo conveniens tota reperiatur. Sicut enim efficacia in dicendo magis propria similitudo esset cum Christo prædicante; aut suavitas morum cum ipso conversante: sic cum ipso seipsum sacrificante nihil simili⁹, nihil aptius & convenientius quàm sacrificium fieri. Hoc est quod innuebat Sapiens ex septuaginta Interpretum versione: *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo, sciens quoniam oportet te talia præparare; NEMPE*, ut ait Salazar, *sicut Christus Dominus se hic sacrificat & jugulat, ita oportet te dare totum.* Vide hunc Interpretem, & Molinam Carthusianum, qui de his fusius disserunt, ex sanctis Patribus. *Mentes nostras & corpora possideat quæsumus Domine, dona cœlestis operatio, ut non noster sensus in nobis, sed jugiter ejus præveniat effectus.* Sic aptè orat Ecclesia.

Prov. 23.

Tr. 2. c. 2.

Dom. 15. post Pent.

III. PUNCTUM.

Igitur sic Sacerdos cum Christo sacrificet, ut sit ipse, sicut Christus, sacrificans & sacrificium. Quia sic plenissimè quam possit referre similitudinem cum Christo referet, qua quidem similitudine sicut nihil est honorificentius, ita nec quidquam utilius, nec Deo gratius. *Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in mollibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi: & nunc sequimur te in toto corde.* Hoc nempe est sacrificium quod æquivalet omnibus, sic se offerre. Sic porro in fornace loquebantur tres pueri: at quantò verius de spirituali sacrificio sacerdotis, juncto cum Eucharistico dici debet; cùm sic revera Sacerdos sequatur Dominum in toto corde, sese immolando sicut Christus se immolat: & sic unum & idem sacrificium fiat ex Christo & Sacerdote, sicut unus ex utroque sit sacerdos & sacrificans. Hoc est verè adorare Deũ in spiritu, & veritate,

Daniel. 3.

Ioan. 4.

veritate, quemadmodum sancti Patres interpretantur, non modo de reali & cruento sacrificio, quod Christus offert cum sacerdote, sed de spirituali quod sacerdos offert cum Christo. Sic inter alios S. Athanasius: *Veri adoratores*, inquit, *sunt illi, qui sic vivunt ut ipsi de domibus, de corporibus, de operibus, de verbis, de cogitationibus templa & sacrificia faciant.* *Serm. de natalis Domini.*

Quanti sit autem meriti sic se offerre, docet S. Augustinus his verbis: *sunt multi qui vovent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius ut vinum non bibat per aliquot annos, alius ut jejunia certo tempore faciat, alius ut carnes non comedat: non est istud votum optimum, nec perfectum, adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec jejunium tuum, sed hoc quod te redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam. Et si interroges me, quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, offeram? Respondebo tibi, quomodo: moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis, avertendo à malo, & convertendo ad bonum.*

Quàm verò sit necessarium Sacerdoti sic se offerre, sic paucis S. Gregorius Nazianzenus: *Nemo*, inquit, *sacrificio dignus est, nisi qui prius seipsum hostiam viventem & sanctam Deo exhibuerit*; quia scilicet nimis indignum & nimis alienum à statu sacrificantis Sacerdotis qui sanctam & Divinam illam Christi vitam manibus suis immolet, si suam vilem atque animalem vitam mactare nolit. Si de naturali vita tum ageretur, certè illam Christo si reposceret, negare justè non posset: at quantò minus sensualem vitam, quam nunquam vivere oporteret, etiamsi Sacerdos non esset aut sacrificium non offerret? *Absit ut fugiamus*, inquiebat Judas Machabeus, *& si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Crimen profectò infertur gloriæ tui Sacerdotii & Sacrificii, si dum Christus pro te & per te moritur, sacramentalem illam, quam vivit, vitam immolando: tu mortem fugis, nec judicas illum satis dignum, cui miseram vitam tuam tradas in spiritualem & divinam convertendam! *Eamus & nos & moriamur cum eo.* 1. Macab. 9. Ioan. 11.

Satius esset nullo die velle vivere, quàm non omni die, sic velle cum Christo mori.

Declaratur hæc Veritas in 3. p. Feria 5. hebd. 2. Cui conformis hæc est, in 2. p. Fer. 5. Septuagesimæ.

Ingratus est tanti beneficii, qui se tantùm ex parte immolat, se totum immolante Christo.

CONSIDERATIO OCTAVA.

QVO DIE RELIGIOSVS INDVITVR Habitus.

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me: quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Is. 61.

VERITAS PRACTICA.

Non est in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde.

Ratio est, quia novum illud gaudium, quod percipitur hodie in sumendo habitu religioso, non est nisi à gratia vocationis.

Sed illa vocationis gratia non est in novo præcisè habitu, sed in novo corde sumentis habitum.

Ergo non est in novo habitu novum illud cordis gaudium, sed in novo corde; in corde scilicet ejus novitii, qui deponendo habitum sæcularem deponit sæculares omnes affectus, & induendo religiosum, simul induit affectus omnes suo conformes instituto.

I. PUNCTUM.

SAnctus Augustinus agens de pace seu gaudio spirituali, tale esse ait bonum, *ut in rebus terrenis atque mortalibus nihil gra-* 19. Civ. 11.

tius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inveniri. Et alibi sese apertius explicans: *Scire, inquit, debetis quod quædam sunt bona, quæ non sunt jucunda, quædam autem jucunda, quæ non sunt bona; verbi gratia, bona sunt jejunia, vigiliæ, macerationes & similia; hæc enim bona sunt sed non jucunda, quia caro in his non iucundatur sed læditur: iucunda quippe sunt ebrietates, comessationes, sed non sunt bona: vix poteris reperire in præsenti unum quod sit bonum & iucundum: cupis tamen illud invenire? persequere pacem & amplectere eam, hæc est enim sola virtus quæ habet bonum & iucundum.* Quasi diceret, hoc est plenius & cumulatius in suo genere bonum, quod possideatur in terris, quia quod aliis deest, in eo uno reperitur, nempe ut sit verum simul & sensibile bonum. Licet enim *omnem sensum exuperet*, ut ait Apostolus, non desinit tamen esse sensibile: sed non est sensuale, id est, non est sensibile modo sensuali, at modo quodam spirituali, qui est perfectior & sublimior quàm ut possit explicari. *Absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples*, ait S. Petrus.

Ad fratres in eremo Serm. 2.

Phil. 4.

1. Pet. 3.

Hoc est itaque gaudium, quod sentitur hodie in sumendo habitu religioso, hoc est bonum religiosæ vocationis tam suave, ut jam ex ipso ingressu sese reddat. Hoc est bonum supra omnia sæculi bona, quæ si jucunda sunt, non sunt vera bona, & si quædam verè bona reperirentur, non permittit sæculum illis frui. At verò in religione, jamjam ex ipso limine. *In opere ipsius*, ajebat Sapiens, *exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Propheta verò eximiè: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me.* Nonne videtur ipse Novitius loqui? Nonne videtur tale suum indicare gaudium quale diximus, bonum scilicet & jucundum, bonum sensibile & bonam sensibilitatem? *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino*, quasi diceret non est simplex gaudium sed geminum, non est oris gaudium sed cordis simul & oris, non est gaudium futurũ sed præsens, non præsens transitorium sed permanens; id est præsens simul & futurum, *gaudens gaudebo*, quod nunc incipio, semper erit, quia illud est in Domino, qui fons est gaudii jugiter manans. Cur verò & unde tale gaudium? *Quia*, inquit, *induit me vestimentis salutis*; O pretiosa vestimenta quæ salutem meam continent! O jucunda dies quæ his me vestimentis induit! ô sancta indumenta, quæ mihi à Domino sic parata sunt, ut me jam non esse meum sed Domini, cujus vestes induo, probe intelligam! Sic pluribus indulgeri posset affectui.

Eccles. 6.

Is. 61.

At verò ut fructuosior sit consideratio, diligenter indagandum, quomodo inde hodie ex sumpto habitu tale sentiatur gaudium. Non enim simpliciter & præcisè, *ex novo habitu, novum est illud cordis gaudium; sed ex novo corde.* Quæ considerandæ veritas duplicem afferet fructum. Primus, ut cognitâ verâ causâ gaudii, causam constanter retineamus, quâ gaudium semper conservetur. Secundus, ut sic ametur gaudium, non propter se aut propter nos; sed propter illam nobilem & divinam causam unde effluit, ut sic magis ac magis purum & spirituale reddatur gaudium.

Ratio autem propositæ veritatis plana est & expedita, cùm dicitur sanctum illud gaudium, quod in sumendo habitu percipitur, non esse nisi à gratia vocationis, sive quod idem est, non esse nisi à Domino. Sicut enim non est nisi in Domino, non est nisi sanctum & spirituale, sic planè non est nisi à Domino, cui propterea David dicebat; *Dedisti lætitiam in corde meo.* Solus ille est qui dat veram cordis lætitiam, & sola est vera cordis lætitia quę cum religioso sumitur habitu. Sic probatur unum ex alio, ut quàm verum est solam esse veram lætitiam, quæ percipitur hodie, tam certum sit, illam esse à Domino. Neque enim vera est lætitia quæ non sit à Domino, neque alia potest esse lætitia quam vera & certa quæ percipitur hodie cum novo habitu. Cùm enim falsæ lætitiæ tres esse possint tantum species, una carnis, alia mundi, alia dæmonis, profectò neutra trium harum potest obvolvi sacro religionis indumento. Non quidem carnis, aut mundi, quia renuntiatur omnibus eorum curis & desideriis; atque ex consequẽti non etiam dæmonis, quia non aliter facilius quàm per carnem aut mundum in nos agit. *Nihil in me funestè invenies cruenta bestia*, dicebat dæmoni S. Martinus: quod idem verè dici potest à quovis deserente mundum, si verè mundum deserit. Quamobrem superest, ut sola vera sit lætitia, solum illum sit gaudium, quod est fructus & unctio Spiritus,

Psal. 4.

quod

quod est centuplum promissum, quod est manna absconditum, quod est denique anti-
Matth. 11. cipata merces illius qui dixit, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos*, quod jugum suave est & onus ejus leve. Si quid videtur oneris, rotæ sunt in curru quibus movetur commodius, & alæ sunt in avibus quibus juvantur, non quibus impediuntur.

II. PUNCTUM.

Sed illa vocationis gratia non est in novo pracisse habitu, sed potius in novo corde sumentis habitum.

Sicut enim habitus non facit religiosum, sed cordis immutatio & conformatio ad illud religionis institutum quod suscipitur, sic planè vocationis gratia in hac cordis immutatione & novitate consistit. Quod ita verum est ut vocari aliquem à sæculo in religiosum statum, nihil aliud sit quam vocari ad hanc cordis mutationem & novitatem, ut qui naturali affectu mundana & sæcularia diligeret, jam illa detestetur: & qui detestaretur aspera & humilia, jam illa velit amplecti, ac propterea sæculum deserat & religioso se aggreget instituto. Neque aliud concipi potest, quid sit respondere vel non respondere vocationi, quàm si quis velit aut nolit cor suum sic immutari & novari, ut quæ amabat oderit,
L. 27. & quæ oderat amet. Sic aptè S. Gregorius;
Mor. c. 13. *vetusta vita protinus usus mutatur, ut anima superno spiritu afflata, & in summis appetat quæ contempserat, & contemnat in infimis quæ appetebat.* Ad hoc autem efficiendum, dicitur cor mutari & novari, quia de statu suo naturali, quo tendit in carnalia & terrestria dimovetur in alium statum, quo spiritualia quærat
Ezech 36. & cœlestia. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.*

Nonne hoc est, de quo præcipuè interrogatur Novitius, & de quo sincerè debet respondere, an scilicet sit ad illa paratus omnia quæ natura magis exhorret, nisi per divinam gratiam ad illa paratus esset? Et nonne huic propterea datur novitiatus seu tempus probationis, quo & ipse religionem & ipsum probet religio, num constantem & perpetuam sic possit vitam producere? Si quando denique, quis intepesceret & de asperis vel abjectis officiis quereretur, nonne illud est quod ipse sibi objiciat & repræsentet: *Elegi* Ps. 83. *abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum:* quasi diceret, nulla est de his conquerendi ratio, cùm ego ipse ea ultro elegerim, eligendo istum vitæ degendæ statum, in quo essem abjectus & infimus. Hoc est potissimum in quo eligendo vocatio sita est, ad quod eligendum datur cor novum, & in quo denique retinendo, tota vertitur vocationis gratia.

III. PUNCTUM.

Non est igitur in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde; cum in vocationis gratia sit novum illud gaudium, & illa vocationis gratia sit in novo corde, quod profectò non gauderet in ingressu religionis, nisi novum esset & mutatum sicut dictum est, quia gaudium non nisi ex amore nascitur, atque adeo ut sit gaudium spirituale debet esse amor spiritualis; ut sit gaudium de mortificanda carne, debet esse odium carnis & amor spiritus, quod certè carnis odium & amor Spiritus non esset in Novitio, nisi cor ejus mutatum esset. *Converte me & convertar*, ait Pro- Ier. 31.
pheta, *quia tu Dominus Deus meus: postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. QUID in femore, nisi voluptas carnis accipitur,* L. 25.
inquit S. Gregorius, *& quid est quod ait, post-* Mor. c. 16.
quam ostendisti mihi, percussi femur meum, nisi postquam superna spiritaliter vidit, omne quod in se inferius carnaliter vivebat extinxit, ut quantò magis summa patescerent, tantò amplius ima quæ tenuerat non liberent. Nam quanto incipit quisque superius vivere, tantò & inchoat inferius interire.

Sicut enim mutata dicitur persona, quia mutatus est ejus vitæ status: sic etiam mutatus est vitæ status quia mutata est persona: sed utraque mutatio tùm personæ tùm status ut sit vera & sincera, cor mutatum esse debet: *Cor est primum vivens, & ultimum moriens;* hoc vulgare dictum de utraque vita, seu morte, tam naturali quam spirituali verè debet intelligi, sicut & illud Sapientis: *omni custo-* Prov. 4.
dia, erva cor tuum quia ex ipso vita procedit. Quasi Novitio diceretur: quia nunc, quando sumitur habitus, cor est novum & in sua no-

vitate

vitate integrum, spirituales sentis affectus, amore commoveris & gaudio: bene habet, hoc est suave Christi jugum, hæc est vitæ religiosæ suavitas; sed quamdiu putas sic suaviter vives? audi & crede. Quamdiu scilicet cor tuum conservabis in sua integritate & novitate. Hic est scopus propositæ veritatis, & totius finis discursus, ut, quantùm gaudere semper velis, tantùm in hac novitate cordis persistas. Statim enim atque cor inveterascet, desinet gaudium. Tùm autem inveterascet, quãdo aliter de rebus senties ac modò sentis. Modò tibi omnia vana videntur præter Deum & salutem, & nihil tam abjectum in religione, quod non acceptes: si post aliter sentias & judices, tùm puta te inveteratum & ne miseris si te privatum gaudio sentias, quia non est gaudium nisi in corde novo, nisi in corde novitatem suam conservante.

Mirum esset, si modò non gauderes, qui modò agnoscis bonum quod possides: sic planè pòst, si non tibi sapit illud bonum; non est mirum si non gaudeas, imò mirum esset si gauderes, quia ut toties dictum est, gaudium ex amore, & amor ex apprehensione boni formatur; quamdiu manebit illa boni apprehensio quam modò habes, manebit ejus amor & manans inde gaudium: at quando illa desinet, desinent simul consequentes affectus. *Ingemuerunt omnes qui lætabuntur corde, cessavit gaudium*, inquit Propheta, quia videlicet ut ante dixit, *transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum:* uno verbo, non ii fuerunt corde qui prius erant. *Scrutetur proinde vias suas*, ait S. Bernardus, *& studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur, & videbit profectò se non omnia reliquisse, nec propterea metur se non illud percipere, quod non est promissum nisi his qui relinquent omnia, & inter omnia semetipsos.* Quamobrem idem sanctus Pater ad se primò accedentes, & ad sumendum paratos habitum sic urgebat vehementius: *Age ergo qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. Imò verò maximè & principaliter abnega temeti jum si deliberas sequi eum qui eximanivit propter te semetipsum: pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, terrenam molem, pone illa quinque non hominum planè juga, sed boum quæ tibi insipienter emisti. Alioqui sequi sponsum & venire ad nuptias spirituales, quinaria hac pressus & oppressus corporis sensualitate non poteris.* Vide quæ plura prosequitur, & quæ opportuniùs referuntur in quarta parte, hebdomada decima septima, quæ tota est de suis relinquendis, aut semel relictis, nunquam resumendis: ubi quæ Religiosos spectant, & hoc præsens argumentum: hæ præter plures alias exhibentur veritates.

Isa. 24.

In illa verba: Ecce nos reliquimus omnia.

Nulli melius sunt omnia quàm omnia relinquenti.

Plura dat Christo qui dat omnia, licet pauca & vilia, quàm qui multa & pretiosa, non datis omnibus.

Væ Religioso non relinquenti omnia.

Sua omnia melius relinquit, qui se relinquit non relictis bonis, quam qui sua bona relinqueret, se non relicto.

Ne terreatis difficultate relinquendi omnia. Minor est difficultas omnia relinquenti quàm partem aliquam.

Qui se dicit sua omnia reliquisse, nec contentus vivit; mentitur, aut mendacem facit Christum.

Nisi ab omni cupiditate voluntas, sicut ab omni errore intellectus, verè convertatur; vix ulla est vera conversio.

Hæc postrema proponitur in eadem 4. parte, Feria 2. Hebd. 16. sequens autem in 5. parte, Feria 6. Hebdom. 8. & Feria 3. Hebdom. 13.

Non tam spectatur in divinis quid dones, quam quid non dones.

Non tam quid Christo afferas, quàm quid à te non auferas.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

INDEX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
SECVNDÆ PARTIS.

A.

ABNEGATIO. Multos ejus actus requirit fides. *pag.* 236. B.

Actio. Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui, dum scilicet exercendo virtutem magis ac magis intelligitur quid sit illa virtus. *pag.* 384. A.

Adversa. In his cavenda perturbatio. 38. A. Servanda constantia. 42. A. quantum obest adversitas improvisa, tantum prævisa prodest. 44. A. Nulla in his conquerendi ratio. 46. A. vide *Providentia.* Quo in cœlis gloria sumetut vultu, hoc in terris calix sumendus est. 116. A si propter scripturas adversa sunt toleranda, sunt libenter toleranda. 119. A tum nimis conqueri valde damnosum est, 142. A Quæ duo sunt magis adversa, pœna & contemptus, ea sunt in Christiana Religione magis commendata. *pag.* 149. A

Affectus. Qui nimis suos diligit, non satis diligit. *pag.* 184. A v. *Inordinatio. Desiderium.*

Ambitio. Quàm cavenda. 23. A 271. A quæ sunt humili lucra, hæc sunt ambitioso detrimenta. 269. A. sex humilitatis actus illi oppositi. 265. *& seqq.* tota hebdomada.

Amor. v. *Charitas. Timor.*

Anima. Nihil æstimatione speculativa nobis pretiosius, sed practica, nihil vilius. *pag.* 262. A.

Avaritia. Quam sit noxia. *pag.* 31. B.

B.

BEATITUDO. Sex ejus desiderandæ motiva proposita. *pag.* 334. primum, quòd sit regnum æternum. 334. B secundum, quòd ibi nostra omnia desideria compleantur. 337. A tertium, quòd illuc suspirare nos faciat Spiritus sanctus. *pag.* 339. quartum, quòd Christus ibi regnet. 342. B quintum, quòd tale desiderium tam justè est debitum, ut injusti simus, & indigni cœlo nisi illud desideremus. 350. A. sextum, quòd ex tali desiderio, spirituale percipiatur gaudium. *pag.* 352. A.

S. Benedictus. Nomine & gratia benedictus. 404. A inter benedictos benedicetur, non cui melius omnia, sed qui ex omnibus melior. *ibid.*

Blasphemia. Qualis sit in Spiritum sanctum. *pag.* 381. B.

C.

COELUM. v. *Beatitudo. Desiderium.* Tanti cujusque refert se à terra retrahere, quanti ad cœlum trahi. pag. 344. B.

Charitas. In ferendis injuriis. 14. A constans in adversis. 43. A ejus proprietates applicatæ mysteriis Resurrectionis Christi, sive apparitionibus. 249. Charitas patiens est. 250. benigna est. *ibid.* sæpe tamen videtur esse Charitas, & est magis carnalitas. 254. non æmulatur. 256. & quicquid acquiras æmulando, plus perdis quàm acquiras, cum charitatem perdas, quâ nihil est melius. 257 non agit perperam. 257 non inflatur. 260. non est ambitiosa. 265 non quærit sua, & melius tamen sic invenit. 291. non irritatur. 294. non cogitat malum. 298. non gaudet super iniquitate. 301. congaudet veritati. 303. omnia credit. 313. omnia sperat. 315. omnia suffert. 318. non excidit. 320. Charitatis & humilitatis conjunctio. pag. 429.

Crisis. Corporum & animarum. pag. 178.

Christus D Quantæ dignitatis. 10. quanta eius jactura & unde proveniat, *ibid* quod sit vera via. 40. tum præcipuè cum consideratur patiens. 49. v. *Perfectio. Imitatio.* Quàm se infirmum nostri causâ fecerit. 52. de illius doloribus tam internis quàm externis. à pag. 89. per totam quadragesimam. Quàm tremenda hæc ejus sententia: *Qui non est mecum, contra me est.* 124. de illo nobis plus esse debet gaudii & amoris, quàm de nobis ipsis. 289. non minor eius auctoritas præcipientis aliquid quod agamus, quàm revelantis quod credamus. 319. magis audiendus de cœlo nobis lo-

quens, quàm dum in terra loquebatur. p. 346. Cogitatio ejus omnem difficultatem mitigat. pag. 356.

Cogitatio. Quàm necessaria sui cognitio. 10. Cognitio quidem præcedit actionem, sed actione crescit & perficitur. pag. 384.

Concordia. Qui sensu suo privato saniorem se aliis putat, sano se privat sensu. pag. 366. vid. *Contentio.*

Concupiscentia. Causa est cur pauci salventur, & cur ex illis paucis tu forte non sis. 5. V. *Mors.* cuius cogitatione reprimitur. *Mundus.* quem sola facit concupiscentia.

Confusio. Quæ in malo bona est, in bono mala est, 199. Quem pro Christo sperni pudet. pag. 144.

Consideratio. Bonum est otium, & quantum valeat ad bene operandum. pag. 2. quantum valeat ad bene operandum. pagina 358.

Consilium. Donum est Spiritus sancti. 383. nihil sine consilio. pag. 439.

Consolatio. V. *Gaudium.*

Contemptus. Aut amandus tui contemptus, & te contemnenti, congaudendum, aut non amanda Charitas quæ congaudet veritati. pag. 303. contemptus terrenorum. pag. 337. 344. 347. 349. 386.

Contentio. Licet obtineres quod contendis & ambis, non esset contendendū: licet verò contendas, non illud obtinebis. pag. 22. vid. *Charitas. Concordia.*

Contritio. Dolorem sensibilem nec includit, nec excludit. 101. Quantò est de peccato major tristitia, tantò est peccatori majus gaudium de fontibus Salvatoris. pag. 242. Vide. *Lachryma. Peccatum.*

Conversio. Nisi verbum Dei te convertat, tu pervertes verbum Dei. pag. 25. in vera contritione vera conversio. pag. 103.

Crux. Non quæsitæ cruces, magis exquisitæ pag. 159. & seq. per totam hebdomad. Passionis. De Inventione Crucis. pag. 435. vid. *Mortificatio.*

D.

DESIDERIUM. Pia etiam desideria debent esse ardentia & temperata pag. 188. qui sibi non contradicit in suis malis desideriis, sibi contradicit in bonis, orando scilicet Orationem Dominicam cui opponuntur mala desideria. 330. de desideriis cœlestibus, fusè tota hebdomada Rogationum sive Ascensionis Domini. à pag. 334. vide *Beatitudo.*

Deus. Magis timendus, quia bonus. 3. & quo magis apparet eius bonitas eo peccatum est gravius illi resistere. 445. V. *Peccatum in Spiritum sanctum.* Cum bonis, bonus est, seu liberalis & magnificus. 293. sicut à Deo cuncta, sic ad illum sunt referenda. 303. sicut creaturæ omnes nos ad eum ducunt si volumus, ita volendum est. 394. si sicut ab illo quærendus est officium, ita ille in officio quærendus est. pag. 439

Dilatio. Cavendā in acceptando statu seu vocatione cognita. pag. 440.

Divitiæ. Quàm sint illæ ac solicitudines mundi damnosæ. pag. 32.

Donum. Donatio nostri facta Deo, sit integra. 18. sic debetur Christo 191. sic amplè compensatur à Deo. 293. In acceptandis donis divinis spectandus est potius qui donat, quam quod donatur. 370. septem dona Spiritus sancti applicantur ad septena quædam Apostolorum nobiliora facta vel dicta post missionem ipsius Spiritus sancti. 373. Donum sapientiæ. 373. Donum intellectus. 380. donum scientiæ. 386. donum consilii. 388. donum fortitudinis. 391. idonum pietatis. 393. donum timoris. pag. 396.

Dotes. Quæ sunt corporis glorioſi, communicantur animæ cum Christo suscitatæ à pag. 224. *per totam hebdomad. Resurrectionis domini.*

E.

EPISCOPUS. Quid voce hac significetur. *Excusatio.* Nulla est sanctitatis acquirendæ. 79. nulla imitandi Christi. 92. nulla irascendi. pag. 295.

F.

FIDELITAS. In minimis non minima pag. 7. tanta fidelitate ministerium est exercendum quantam habere oportuit in eo expectando & recipiendo de manu Domini 399. vide *Ministerium.*

Fides, Fiducia. Claritas est in tenebris. 256. hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Aut hæc est nostra ignominia si vincat mundus fidem nostram. 244. non est prius intelligendum ut credas; sed primò credendum est, ut post intelligas. 313. vera fiducia confidenti nunquam infida.

315. fides tota est in credendis omnibus. 318. Christo loquenti de cœlis magis credendum est quam loquenti in terris. 346. defectus fiduciæ quam noxius. pag. 392.

Fortitudo. Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis. 391. fortioris est animi non vinci à bonis blandientibus, quam ipsa vincere mala terrentia. pag. 430.

S. Franciscus de Paula. Verè minimus & verè maximus. pag. 428.

G.

GAUDIUM. Qui cum Christo dolente non dolet, non potest cum ipso gaudente gaudere. 89. beatius est carere omni sensibili consolatione, quàm eâ abundare. 186. ut fur de furto, sic mundus de mundo gaudet. 281. quomodo tristitia vertatur in gaudium. pag. 286. gaudium quod nemo potest à nobis tollere. 290. gaudium de iniquitate alterius pejus est quam ipsa iniquitas. 298. gaudium Religiosi de novo habitu. pag. 454

Gratia. Opportune illi cooperandum. pag. 108. differentia gratiæ Angelorum & hominum. 233. multæ in usu Sacramentorum nobis nostro defectu pereunt. pa. 325.

H.

HOMO. Vetus homo crucifigendus. pag. 169. alioquin novus iterum crucifigitur. pag. 172.

Honor. Sicut vinum novum, sic novus honor maximè temperandus. pag. 265.

Humilitas. Qui se Christi exemplo non humiliat, exemplo dæmonis humiliabitur. 15. quò quis inferior est in ordine hominum, eo superior est in Christi ordine. pag. 147. humilitati tuendæ tutius est vix de se, quam vel humiliter loqui. 260. videnda tota hebdomada. 2. post Octavam Paschæ. Undenam præsertim humilibus tot dentur gratiæ. pag. 428. humilitatis & Charitatis cognatio. pag. 429.

Hypocrita. Quis censendus. pag. 73.

I.

IACOB. Figura electorum, & filiorum B. MARIÆ Virginis. 426. quàm diversus esset à fratre suo Esau. *ibidem.* quam sit necesse eos qui velint subsidium B. Virginis, ipsum Iacob imitari. *ibid.*

S. Iacobus. Pro Christo necatus. pag. 432.

Ieiunium. Quomodo sit celebrandum. pag. 54. Vide Feriam 4. Cinerum.

Imitatio. Non quidquid Christus egit, sed quomodo. pag. 64. 73. non excusat infirmitas ab imitando Christo pag. 92.

Indifferentia. Nemo paratior ad omnia dona Dei recipienda, quam qui ad nulla sibi danda æquè paratus est. 370. adhibenda est orationi. pag. 389.

Infans. Infantes esse oportet vel bona vel mala infantia. pag. 247.

Ingratitudo. In qua consistat. pag. 17.

Innocentia. Qui sibi innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipsæ innocentiæ injuriam facit. pag. 142.

Inordinatio. Quantumvis parva cordis & rationis, non est parvum malum. 258. 310. inordinatus animus seu affectus impuram facit intensionem. *ibidem.*

Intellectus. Tantùm ab actione illustratur, quantùm ipse actionem illustrat. 384. sequi potius fidem debet, quam præcedere. pag. 333.

Intentio. Sicut à Deo, sic ad Deum omnia. 308. sicut à Domino quærendum est officium, ita in officio quærendus est Dominus. pag. 442. vide. *Respectus humanus. Pontifices.*

Invidia. Quam sit iniquum gaudere de iniquitate alterius pag. 298. V. *vindicta.*

S. Ioachimus. Quantæ vir Sanctitatis. p. 401.

S. Ioseph. In 1. parte.

Ira. Quantùm fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas. pag. 127. quæ est ira suavior, eò est potentior. 137. Esto appareant aliquæ irascendi causæ, multò tamen plures & validiores ne irascaris. pag. 294.

Iudicium. Judicare de rebus secundum rationes æternas, proprio Christiano. 150. Non est temerè judicandum de aliis. 299. nostro non est fidendum judicio. pag. 367.

L.

LABOR. Nullus est labor nisi sit in vinea Domini, & in vinea Domini nullus est labor. 3. cogitatione Christi mitigatur omnis labor. pag. 356.

Lachryma. Passionis Christi vicaria. 177. quæ manant ex cœlesti desiderio, quò descendunt celerius, eò ascendunt velociùs. pag. 340.

Liberalitas. Quanta in Deo. pag. 292.

Libertas. Nemo liberior quam qui minus est liber. pag 217.

Loquela. Qui audaciùs loquitur inferiori, timidiùs

midiùs Superiori loquetur. 131. vix de se loquendum, etiam humiliter pag. 261.

M.

MANSUETUDO. Quò quis mitior eò generosior. pag. 110.

S. Marcus. Quàm benè per Leonem repræsentetur. pag. 450.

S. Maria Virgo. Valedicit illi passurus proximè filius. 401. adstat cruci. 177 Charitas eius patiens, etiam post Resurrectionem filii. 250. Affinitas cum illa major est sanctitatis quam sanguinis. 401. plus est illam esse sanctam quam Matrem Dei. pag. *ibidem.* In festo Annunciationis ejus per multas Evangelicæ narrationis partes. *Vide* primum indicem.

S. Matthias. Eligitur in Apostolum. pag. 368. 399.

Memoria. In oblivione cæterarum rerum, memoria Christi est. 260. vel nulla Christi recoletur memoria, vel nulla erit in eius cultu querimonia. pag. 357.

Ministerium. Qua fidelitate sit exercendum. pag. 362. 399.

Misericordia. Divinæ abusus. pag. 56. 378.

Moderatio. In adversis & prosperis. 150. In internis & externis. pag. 361.

Mors. Mortificatio. Mortificandis concupiscentiis opportuna mortis memoria. 67. Quæ viventi res fuit gratior hæc fiet morienti gravior. 70. ut vita mortem ordinat, sic mors vitam. pag. 71. qui supra mortem est infra se videt omnia. 115. vid. *Crux & tota passionis hebdomada. Resurrectio.* Quantam in te vim habet desiderium regni cœlestis, tantam tibi vim facies. 334

Mundus. Non excusamur inde à peccato. 53. Mundum facit concupiscentia. 83. Qui sectatur honores mundi quos fugit Christus, à Christo fugit ad mundum. 140. Vinci à mundo quàm turpe. 244. vanum ejus gaudium. 285. quomodo eum arguat Christus de justitia & de judicio. pag 308.

Murmur. Cogitatione Jesu reprimendum. 355. alioquin nulla oratio in ejus nomine. 40. & fit injuria sanctæ Cruci p. 435

N.

NECESSITAS. v. *Virtus.*

Negligentia. In audiendo Dei verbo. 25. In salute procuranda. 97. In usu Sacramenti. pag. 325.

O.

OBEDIENTIA. In omnibus sicut fides. 318. quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere. 326. Qui rationes inquirit obedientiæ, rationem quærit suæ inobedientiæ. pag. 364.

Occasio. Quanta peccandi. 20. si dum adest, virtus abest, vix unquam aderit. pag. 108. 2. 22.

Officium. v. *Ministerium. Status.*

Oratio. Facta in nomine Salvatoris. 41. 328. quomodo obtinetur quidquid oratur. 315 329. de oratione sat multa. 330. *& seq.* in feriis Rogationum. De oratione Dominica cui contradicitur in singulis capitalibus vitiis. pag. 331. orans debet esse compositis affectibus. pag. 389.

Otium. Sicut nemo otiosus operatur in vinea Domini, sic nemo bene operatur nisi otiosus 1. plus vitæ perdis quàm vivas. pag. 282.

P.

PASCHA. Quid significet Pascha. 219.

Patientia. In audiendo Dei verbo, quæ si desit, magis abundè est est patiendum. 54 quàm multis scriptura doceat esse patiendum. 145. In patientia impassibilitas. 229. quàm verè Charitas includit in se patientiam, tam verè impatiens excludit à se Charitatem. pag. 250.

Peccatum. Progressus peccati ab uno ad aliud. 11. quantæ occasiones peccandi. 18. peccatum ex negligentia. 25. peccati gravitas ex Christo patiente agnoscitur. 49. 197. nullum peccandi tempus. 52. societas & multitudo peccantium magis auget peccatum. 53. peccati continuatio quàm damnosa. 58. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua & in æternum non peccabis. 72. principiis obsta. 88. resistendum usque ad sanguinem. 156. gravius est Christo pati à peccato, quàm pro peccato. 196. *& seq.* toto Passionis Dominicæ discursu. Propositum certamen in septem Christi stationibus & verbis contra septem vitia capitalia. 211. Mors peccati seu vitæ sensualis quomodo sit animæ quædam immortalitas. 228. quo magis voluntarium peccatum, eò magis. 301. 322. sapienter

ter ille qui maluit liber peccato possideri à dæmone, quàm levi cum peccato liberare possessos. 307. singulis septem petitionibus orationis dominicæ septem oppositæ peccata capitalia. p. 331. peccatum in Spiritum sanctum. v *Spiritus*. Ubi major Dei contemptus, majus peccatum. 378 v. *Inordinatio*. *Perfectio*. Tres ejus acquirendæ viæ, quibus multum Confert Christi patientis consideratio. 48. tanto altius perfecti, quanto magis Christo subjecti. pag. 63.

Perseverantia. Cæteræ pugnant virtutes, sola vincit perseverantia. 134. 190. sic charitas & constantia simul junctæ, ut nisi sint simul junctæ non sibi constent. 42. melius erat viam justitiæ non introisse quàm retroisse. pag. 321.

S. Philippus. Pro Christo cruci affixus. pag. 433.

Pietas. Sicut pietas valet ad omnia, sic omnia valent ad pietatem. pag. 393.

Pœna. Quàm sit à Christo suavis. p. 150. 356

Pœnitentia. Nulla est sine proposito emendationis. 75. Interior quæ est peccatorum dolor, nunquam deponenda. pag. 164.

Pontifex. Quo die consecratur, consideranda veritas. 446.

Præcipitatio. Præcipitatio animi in statu vitæ deligendo præcipitium est animæ pag.

Præsumptio Quàm damnosa. 21. nimia firmitas, infirmitas. pag. 36.

Prosperitas. v. *Honor*.

Providentia. Multum confert ejus consideratio ne adversis perturbemur. 38. adversa prævidere, quanti referat pag. 44. 124

Prudentia. In rebus agendis. 259. v. *Consilium*.

R.

RATIO. Ejus inordinatio licet parva, non parvum malum 258. modum in rebus & medium inter extrema semper quærit. 361. rationibus æternis & supernaturalibus potius quàm humanis & naturalibus oportet duci. pag. 151. v. *Sapientia. Voluntas*.

Religio. Persecutionem patitur à malis Christianis. 57. quo die religiosus induitur habitus. pag. 453.

Renuntiatio. Multæ sunt ejus species, quarum omnium exemplar luculentissimum Christus dedit septem suis in cruce prolatis verbis. pag. 174. *& seq.*

Resignatio. v. *indifferentia*.

Respectus. Humanus respectus, Inhumanus Christi despectus. 153. Cavendus prædicando. 274 v. *Intentio*.

Resurrectio. Nemo cum Christo mortuus qui cum ipso non resurgat: nemo cum Christo resurgit, nisi qui cum ipso sit mortuus. 219. quænam sint dotes resurgentis cum Christo animæ. 229. *& seq.* tota fere hebdomad. Resurrectionis Domini.

S.

SACERDOS In qua sanctitate ordinandus debet esse, debet ordinatus semper esse. Sic cum Christo sacrificet, ut sit ipse sicut Christus sacrificans & sacrificium. pag. 453.

Sacramentum. In usu sanctissimi Sacramenti, tota nostri debet esse æmulatio; alioquin ingratus est tanti beneficii; qui se tantum ex parte immolat, se totum immolante Christo 17. quàm gloriosum est Sacramento multum in nos posse, si velimus; tam ignominiosum est pauca posse quod nolimus. pag. 323.

Salus. Salvus. Pauci salvantur, & quæ causa est ut pauci Salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis. 5. salutis æternæ pericula. 20. 30. nulla gravior persecutio quàm quæ contra salutem animæ. 57. si ordinatis ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris. p. 83. frustra te Christi miserer, nisi te tui prius misereat, ut inde scilicet saluti diligentius prospicias. 95. Indicia pro salute animæ sicut pro sanitate corporis. pag. 179. v. *Conversio. Anima*.

Sapientia. Humana sapientia sic divinæ opponitur, sicut humanæ stultitia. 373. donum sapientiæ *ibidem*.

Scandalum. Sicut non est afferendum, ita est sufferendum. pag. 13. 151.

Scientia. Qui eminentior est in illa quæ dicitur eminens scientia, minus inter homines eminere cupit. 386. ubi de dono scientiæ. V. *Zelus*.

Scriptura Sacra. Nisi te convertat, hanc pervertes. 26. *ubi de verbo Dei*. Non aliter scripturæ dicunt adversa toleranda quam libenter. pag. 1. 19.

Secessus. Nulli magis necessariò secedendum,

quam qui minus neceſſarium ſibi putat ſeceſſum. pag. 358. V. *Conſideratio. Otium.*

Silentium. Qui loquendo, vinceris, ſilendo vincis. pag. 178.

Solicitudo. Spinæ ſunt ſuffocantes verbum Dei. 31. ſolicitudo temperata ſui officii. pag. 361.

Spes. Non confundit. 315. ſpes cœli, cœlum eſt; quaſi iam illud præguſtarer. pag. 352.

Spiritus ſanctus. Sex virtutes ad eum recipiendum diſponentes. 358. ſeptem eius dona. V. *Donum.* Quod nos magis, hoc illum magis contriſtat. 375. de peccato in Spiritum ſanctum, quam ſit ſingulare in malitia, & multis tamen commune pag. 377. Qui peccant in Spiritum, vix peccant, quin blaſphement. pag. 380.

Status. Non debet eligi ſine Deo. 438. alioquin ſine Deo exercetur. *ibid.* quam fideliter ſecũdum Deum exercere debeat. V. *Fidelitas. Miniſterium.* Quis ſit ſtatus inordinatus & quomodo poſſit ordinari. pag. 444.

Superbia. Quam timenda. 16. odibilis Deo & hominibus. pag. 23. reprimitur memoria mortis. 69. nimis audacem facit & nimis timidum. 132. non colit Virginem Matrẽ Dei, quin non eam ut humilem colit Ancillam. 422. humilitas oppoſita per omnes gradus. Vide in quadrag. ſingulis penè feriis, & tota ſecunda hebdomad. poſt Octavam Paſchæ. V. *Ambitio Humilitas.*

T.

TEMPERANTIA. Ipſa eſt bona infantia. pag. 227.

Tempus. Qui ad tempus credunt, nullo credunt tẽpore qui tẽporales ſunt, nullius sũt tẽporis. 29. Tẽpore carniſprivii, quibus armis impietas propugnatur. 50. Nihil unquam Chriſtiana Religio paſſa eſt gravius, quàm quod à Chriſtianis tùm patitur. 56. Tempus paſſionis Chriſti. Criſis quædam eſt æternitatis. 199. Quam ſit modicum vitæ tempus. 277. quantum ex illo modico nobis etiam perit. 282. ſi tempus reſpicis comparandæ tibi virtutis, vix ullam tibi comparatam reſpicies, quia nulla eſt virtus, ſi non reſpondet tempori. pag. 433.

Tentatio. Quantæ nos circumſtent. 20. quàm ſalubris timor contra præſumptionem. 21. ſi tentatorem permiſeris ingredi, non ſe permittet egredi, facilius excluditur quam ejicitur. 87. ubi plura de hac materia. In plagis Chriſti, ſanitas ſive remedium tentationis. pag. 240.

Timor. Qua parte peccator à ſe timorem Dei excutit, eâdem Deus peccatori timorem magis incutit, nempe à bonitate Dei. 4. hinc rectè dicitur: Poſuiſti fundamentum eius formidinem. 16. qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. 20. 136. ubi majus eſt peccandi periculum, ibi major ſit timor. 53. Amori potius timendum eſt ab amore quàm à timore. pag. 396.

Triſtitia. Quomodo veritatur in gaudium. 286. quæ à Chriſto eſt, magis jucunda eſt, quàm quæ à mundo jucunditas. pag. 288. V. *Contritio. Gaudium. Pœnitentia.*

V.

VERBUM DEI. Quænam ſint eius impedimenta. 27. vide *Scriptura Sacra.*

Veritas. Quomodo illi congaudet Charitas. 303. Deus eſt prima veritas, cui credendum eſt in omnibus. 318. Chriſtus veritas eſt & vera via, in qua melius eſt claudicare quàm præter viam fortiter ambulare. 39. V. *Fides.*

Vindicta. Qui ruina gaudet inimici, ruinam eius in ſe trahit. 138. illuſtrior de inimicis palma eſt, mori pro eis, ne moriantur quàm ipſis perditis triumphare. pag. 174.

Virtus. Si non ſemper vix unquam. V. *Occaſio.* ſi times difficultatem virtutis, major eſt difficultas ſine virtute 34. Virtutis commendatio ex Chriſto patiente. 51. Sicut ex neceſsitate virtus, ita ex virtute neceſsitas. 121. in infirmitate virtus 232. Septẽ virtutes in ſeptẽ Chriſti ſtationibus contra ſeptem capitalia vitia. 112. ſeptem eædem virtutes comprehenſæ in ſeptem petitionibus orationis Dominicæ. 331. In modo & medio eſt poſita. 362. nulla ſi non reſpondet tempori. pag. 433.

Vita. Sic tota debetur Chriſto ut nihil ſit in vitæ noſtræ uſu minus noſtrum quàm ipſe vitæ uſus. 191. quam ſit brevis. p. 277. quàm multò etiam breviorem eam faciamus. 282. Vita immortalis in morte, vita ſcilicet gratiæ in morte peccati. pag. 227.

Vocatio. Quando eſt cognita, non eſt retardanda p.

Voluntas. In adimplenda Dei voluntate noſtra eſt virtus 108; noſtra etiam perfectio

115. impietatis quoddam est genus, velle aliter servire Deo quàm ipse velit, quod his evenit, qui plura quàm possint, velint facere; & quæ possunt non faciunt. 182. In dubio certius est & rationi conformius, aliorum rationi te cõformare quàm propriæ, quia sic melius divina cognoscitur & exercetur. 275. qui non orat in nomine Domini, nihil orat; & qui non orat secundum Divinam Voluntatem non orat in nomine Domini. 328. idem de spe ac fiduciâ dicitur. p. 315.


Z.

ZELUS. Scientia sine zelo, arma sine milite: zelus sine scientia, miles sine armis. 60. Saluti alienæ vacandum sine præjudicio suæ propriæ. 271. ardere oportet potius quàm lucere. pag. 273.

Collegij Soc. Jesu Paderbornæ 1666

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th F
2522